liturgica.

Museum Lessianum

ARTHURUS VERMEERSCH, e Soc. Iesu
DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, ROMAE, IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA S. I. PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS

PERIODICA

DE RE CANONICA ET MORALI

UTILIA PRAESERTIM

RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS

TOMUS DECIMUS TERTIUS

(continuans ***De Religiosis Institutis****, etc. t. 2)*

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, Califor

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Editoris Pontificii

BARCELONAE
EUG. SUBIRANA
Puertaferrisa

ROMAE (19)
DEPOSITO LIBRI, UNIVERSITÀ GREGORIANA
Via del Seminario, 120

1925

10232

v. 13

IMPRIMI POTEST

IOSEPHUS FILOGRASSI, S. J., *Praep. prov. Romanae.*

IMPRIMATUR

Sora, 28 Dec. 1924

† ANTONIO M. IANNOTTA
Vescovo di Aquino, Sora e Pontecorvo

ISOLA DEL LIRI — Società Tipografica A. Macioce & Pisani

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De nomine et qualitate Ordinarii.

I. **Varius nominis usus.** - Adiectivo nomine *Ordinarius*, quam plura nomina substantiva compleri possunt. Vulgo novimus medicum *ordinarium*; universitates noverunt professores *ordinarios*; religiosi noverunt confessarios *ordinarios*. Ac, propter frequentem usum, facile etiam fit ut, suppresso vel subintellecto nomine substantivo cui adiciebatur, nomen *Ordinarii*, brevitatis causa, in substantivum transeat.

Sic, apud DU CANGE (*Glossarium* v° *Ordinarius*) reperies, ex monumento 1105, canonicos dictos fuisse *Ordinarios*; - ab INNOCENTIO III, vocatum esse *Ordinarium*, illum canonicum cuius munus erat claustrum « ex officio custodire, signare diligenter et auscultare a singulis lectiones, etc. ». In Codice Theodosii, L. 16, 8, 4; et L. 3, 8, 15, *Ordinarii* quoque vocati sunt iudicum ordinariorum officiales vel apparitores. *Ordinarius* fuit tamen nomen magis proprium iudicis ordinarii. *Ordinarii* etiam appellati sunt omnes dignitates ecclesiarum quibus competit aliqua iurisdictio ; et quasi antonomastice, propter suam magis universalem iurisdictionem, *Ordinarius* loci seu *Episcopus*. DU CANGE allegat haec LINDWODI ad Provincialem Cantuarensis Ecclesiae, L. I, tit. 3: « Ordinarius principaliter habet locum de episcopo et aliis superioribus, qui soli sunt universales in suis iurisdictionibus... sed sunt sub

eo Ordinarii, hi videlicet quibus competit iurisdictio ordinaria de iure, privilegio, vèl consuetudine, etc. » Ceterum in Decretalium L. 1., t. 31, *De iudice ordinario*, fere semper de Episcopo fit sermo. Quare frequenter nomine *Ordinarii* designatur Episcopus in decretis Concilii Tridentini, v. g. s. XXIV, c. 9. 10 et passim ; et apud BENEDICTUM XIV, *De synodo* L. III, c. 2, 1, etc. Demum Vicarius Christi, qui propter verba Domini : « non veni ministrari sed ministrare » (Matth. 20, 28) sè appellavit *Servus servorum Dei*, propter alia verba quibus Christus omnem potestatem sibi datam vindicavit (Matth., 28, 18), appellatus est *Ordinarius Ordinariorum* ; dum contra, canonici interdum vocati sunt *Ordinarioli* seu *minores Ordinarii*.

Verum, sensim sine sensu, alii usus, in iure, obsoleverunt ; et nomen *Ordinarii* vel *Ordinarii loci* factum est proprium Episcopi.

Is fuit diu iuris usus, quando, 20 febr. 1888, LEO XIII, post speciale examen Cardinalium Supremae Congregationis *S. Officii*, declaravit, in exsecutione dispensationum S. Sedis, « appellatione *Ordinarii* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et, Sede vacante, Vicarium capitularem vel legitimum Administratorem » (*Coll. de Pr. Fid.* II, 1685) (1).

Non semper tamen in posterioribus iuris monumentis vox *Ordinarii* illa amplitudine usurpata est. Sic, in C. *Officiorum et munerum*, LEONIS XIII, 25 ian. 1897, *Ordinarii*, in art. 29, non sunt nisi Antistites dioecesi vel quasi - dioecesi praepositi. Agitur enim de lege qua libri proscribuntur ; Vicarius autem ge-

(1) In ista declaratione, notabile est, Vicarios generales non secus atque Episcopis videri ascribi Vicariis Apostolicis, dum Codex, c. 198, § 1, soli Romano Pontifici, Episcopis, et Praelatis *nullius* Vicarium generalem agnovit.

neralis legem sine peculiari mandato ferre non potest.

Quamvis vox *Ordinarii*, attenta iurisdictione Superiorum regularium, ipsis conveniret, neque esset omnino extra usum, sicut probat ipsa quaestio posita 22 ian. 1701, sub n. 8, de Superioribus localibus a Congregatione *Montis Coronae* (*Decr. auth.* S. R. C. n. 2067), nomine tamen isto Superiores regulares designari minime consueverant, et potius quaerebatur quinam *Praelati regulares* dici possent. Cf. nostrum *De prohibitione et censura librorum*, n. **96**.

In decreto tamen *Vigilanti studio*, 25 maii 1893, et *Ut debita*, 11 maii 1904, nomine Ordinariorum etiam Praelati regulares seu clericales exempti continentur. Cf. *Resp.* 27 feb. 1905 ad Congr. de S. Spiritu (*Per.*, I, 132) immo, ut observavimus, *Per.* I, 135, etiam Superiores Instituti non exempti, quando non agitur de missis quae, in fine anni, Ordinariis tradendae sunt.

Codex demum, canone 198, iuridicam nominis significationem authentice definire voluit, resumendo et perficiendo descriptionem quam potius incidenter, de dispensationibus matrimonialibus, LEO XIII tradiderat. Perficit autem descriptionem LEONIS XIII, addendo omnes qui, deficientibus Romano Pontifice, Episcopo residentiali, Abbate vel Praelato *nullius* eorumque Vicario generali, Administratore, Vicario et Praefecto Apostolico, « interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine », et, « pro suis subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis ». Formaliter etiam distinxit Ordinarios locorum et simplices Ordinarios. Priores sunt omnes, exceptis Superioribus religiosis. (C. 198, § 2.)

II. **De nota essentiali communi Ordinariorum.** Nota ista, tum origine nominis tum Codicis numeratione nobis revelatur.

Origine nominis. Fuit Ordinarius nomen adiecti-

vum quod ad Iudicem addebatur. Iudex autem dicitur a iurisdictione. Ut ergo habeamus Ordinarium, *iurisdictio ordinaria* (sive propria sive vicaria) est necessaria, et quidem iurisdictio fori exterioris. Nam parochus non est Ordinarius. *Numeratione.* Omnes enim quos Codex numerat ordinariam habent fori exterioris iurisdictionem. Suntne etiam Ordinarii omnes qui istam iurisdictionem possident? Omnes, praeter Superiorem regularem localem. Exceptio ista facta videtur, quia Codex controversiam de qualitate Superioris localis: sitne Praelatus an non, dirimere noluit, et quia non in omnibus religionibus exemptis omnes Superiores locales hac potestate fruuntur. Recte igitur R. P. OIETTI, S. I. *Synopsis rerum moralium et iuris Pontificii* dicit: « Hac voce (Ordinarius) in iure denotantur illi, qui potiuntur iurisdictione in utroque foro ». Recte Ill. D. BOUDINHON (*Catholic Encyclopedia* v° *Ordinary*): « In lingua ecclesiastica (Ordinarius, i. e. iudex) designat personam quae ordinariam iurisdictionem hebat vel exercet. ... Superiores Congregationum et Institutorum quae votis simplicibus ligantur non sunt Ordinarii, quamvis maiore vel minore exemptione administrativa fruantur ».

Inde pronum est hanc colligere iuridicam conclusionem: *non* ipsa *exemptio* ut sic, *sed iurisdictio* ordinaria in foro externo nomen et qualitatem Ordinarii tribuit. Etiam regulares strictissime tales nullum Ordinarium proprium haberent, praeter Ordinarium loci, nisi, consequenter ad exemptionem, Superioribus regularibus clericis iurisdictio quasi-episcopalis in subditos data esset. Quod claris exemplis confirmare possumus. Ordo S. Ioannis de Deo est exemptus; numquam tamen eorum Moderator supremus nomine Ordinarii venire potest. Novimus etiam Congregationem religiosarum quae, qua religiosae, etiam a visitatione epi-

scopali sunt exemptae. Nemo tamen qualitatem *Ordinariae* Superiorissae generali concedet.

III. **Corollarium pro Congregationibus religiosis.** Nisi simul sint clericales et exemptae, earum Superiores maiores nomine Ordinarii venire non possunt. Si sunt exemptae, ratio formalis cur Superior maior sit *Ordinarius*, in iurisdictione fori exterioris, ipsi tributa, reperienda est. Id aperte tradit quoque R. P. LARRAONA in erudito articulo *Commentarii pro religiosis*, IV, 115: « Certum est, Superiores maiores Congregationum clericalium non exemptarum, iuridice non venire directo nomine *Ordinarii.* » Addita vero voce *directo*, sibi munit viam indirectam limitandi seu partim revocandi suam declarationem. Ac re vera, circumspectis utique verbis usus, pervenit ad affirmandam vel insinuandam hanc alteram regulam, qua clericales Congregationes, etiam non exemptae, exemptis assimilarentur in rebus in quibus visitationi episcopali subducuntur, ita ut tunc *in ipso Codice* nomine Ordinarii intellegendus esset quoque Superior maior Congregationis clericalis non exemptae. Si cl. auctor mere istud assereret, esse casus, in Codice vel extra Codicem, in quibus legislator improprie locutus sit, vel in quibus, ob iuris analogiam, ad non Ordinarios, transferendum sit quod de Ordinariis statuitur, istud admitti potest; a nobis quoque admittitur, dummodo prudens singulorum casuum examen fiat; sed nihil peculiare tribuit Congregationibus clericalibus, cum perinde dicendum sit, saltem interdum, de ipsis Congregationibus laicalibus. Verum id nobis videtur a recta iuris interpretatione alienum, ut *regula generalis ponatur qua, nomine Ordinarii, in Codice, intellegamus Superiorem maiorem Congregationis clericalis non exemptae, si demonstremus rem agi in qua ab episcopo non visitatur.* Sic enim a privato viro *corrigeretur* authentica definitio Codicis, quae

elaborato canone 198 continetur. - Praeterea ipsa *Ordinari ratio* formalis *perverteretur*, cum non iam in iurisdictione sed in exemptione poneretur. — Demum *res est periculo plena*. Difficile est aestimare quo se porrigant consectaria regulae positae ut generalis. Atque in casu praesenti, bene intellegitur cur nolit Legislator Congregationibus quarum firmitatem et amplitudinem nondum beneficio exemptionis agnovit, proprium tribuere Ordinarium, distinctum a S. Sede et ab Ordinario loci.

Quocirca etiam desiderantur argumenta quibus novum istud assertum comprobetur.

Cl. auctor allegat, ni fallimur (nam dispersa in variis notis argumenta satis confuse proponuntur) *aequiperationes* partiales et *necessitatem*, ne ipsa exemtio pereat.

Aequiperationes in iure haberi, nemo negat. Sed demonstrandae sunt, sive *explicito* textu iuris, ut sunt aequiperationes quas ipse numerat in nota 10 p. 115, sive *implicito*. Deficiente textu *explicito*, pro *implicito* allegari possint partiales exemptiones. Verum, cum non possimus ex assimilatione in exemptione colligere assimilationem in qualitate et nomine Superioris, non minus quam explicita, implicita demonstratio ex textu desideratur.

Necessitas, ne pereat exemptio, non habetur. Sin minus, Instituta laicalia exempta deberent et ipsa habere proprium Ordinarium.

Si iam consideremus *exempla* quibus cl.auctor regulam a se propositam, non probare sed confirmare intendit, in primis observabimus, etiamsi omnia quae ab ipso afferuntur a nobis admitti materialiter possint, haec, nostra sententia, fuerint *derogationes, exceptiones* legi communi factae, minime autem *applicationes praefatae* regulae ; nulla enim regulae quae non exsistit applicatio haberi potest.

Verum singula consideremus.

a) C. 5 permittit ut tolerentur consuetudines centenariae vel immemorabiles, statutis Codicis contrariae, « si *Ordinarii* pro locorum ac personarum adiunctis, existiment eas prudenter submoveri non posse. » Velit R. P. LARRAONA, ut Superiores maiores Congregationis clericalis non exemptae Ordinariis assimilentur, ut de propriis consuetudinibus Codici contrariis ipsi iudicium ferre possint.

Nullam videmus necessitatem istius assimilationis, verbis Codicis contrariae. Etenim, res petitur sine usu. Namque Congregationes iuris Pontificii originis sunt recentis; paucae Congregationes clericales quae iam a saeculo exsistunt: Passionistarum, SS. Redemptoris, sunt exemptae. Quare valde dubitamus esse unam Congregationem clericalem quae centenariam consuetudinem Codici oppositam habere queat. Praeterea, cum singulis quinquenniis relatio de statu et vita Congregationis sit reddenda, practice S. Congregationi *de Religiosis* competet de consuetudinibus iudicium ferre. Quam relationem cum nunc, post Codicem, etiam Ordines regulares mittere debeant, canon 5 vix apud ipsos Ordines usum reperiet.

b) Ex c. 47, rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae, etc. dummodo, *iudicio Ordinarii*, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio. « Quia Congregationes clericales in iis omnibus quae ad regimen ipsarum pertinent, generatim exemptae sunt (c. 618, § 2) et directe ac omnino independenter ab Ordinariis cum Sede Apostolica communicant, hac in re merito Ordinariis aequiparari possunt ». Sic laudatus auctor.

Sed observamus, in c. 618, § 2, principium de ista exemptione circa regimen poni ut *commune* omnibus Congregationibus iuris Pontificii non exemptis, etiam si sint laicales; independentem autem commu-

nicationem cum S. Sede competere etiam laicalibus Institutis virorum. Ergo, nimis demonstraret hic cl. auctor, i. e. Ordinarios haberi etiam in religionibus laicalibus. Quod autem, ut addit in nota 22, stylus Curiae, sive quoad informationem sive quoad exsecutionem rescriptorum, aequiparet religiones clericales non exemptas exemptis, id minime probat intentum. Ratio enim haec est, SS Congregationes velle ut rescriptorum exsecutio committatur *Sacerdoti*. Omnis enim clericus capax est recipiendae iurisdictionis necessariae, sed non ideo fiet Ordinarius. Iterum hic ratio auctorem ultra intentum perduceret. Nam etiam Congregationes laicales, quorum Superior sit sacerdos, v. g. Clerici S. Viatoris, in hac re aequiperantur Congregationibus exemptis. Immo fit ut rescriptum committatur *confessario* exsequendum: non ideo dices ipsum haberi ut Ordinarium.

Quod ad ipsum casum erroris de quo in c. 47, si res est omnino manifesta, non putamus ullum Ordinarium esse adeundum; si vero certitudo erroris non adeo est evidens, tunc utique Ordinarius interrogandus est. Quid autem tunc obstat, quin Ordinarius loci interrogetur, sicut ipsi Regulares eum adeunt quando proprius Superior necessaria potestate caret? Ceterum practice, potius S. Sedes interrogabitur.

c) In rescriptis de vita religiosa, Ordinarius cui, si in litteris praecipiatur, rescriptum praesentari debebit, erit, sic R. P. LARRAONA, Superior maior Congregationis clericalis etiam non exemptae.

Verum res, ni fallimur, aliter componentur. Religiosi enim nihil a S. Congregatione obtinent, nisi per Procuratorem generalem, qui nihil petet nisi assentiente Superiore generali. Quare, praesentatio huic facienda satis superflua existimabitur. Si autem, in aliquo casu, rescriptum de vita religiosa potuerit Superiorem latere, S. Congregatio iubebit ut ostendatur,

non Ordinario, sed Superiori Generali vel Provinciali. Si denique, simpliciter imperetur praesentatio Ordinario, non poterit esse nisi Ordinarius loci, cui soli, per se, praesentatio ista utilis esse possit.

d) Quamvis S. C. S. *Officii* noluerit ad Superiores Congregationum traducere normam qua facultates Ordinariis concessae transeunt ad successores, praxis tamen id habet, ut observat cl. auctor.

Iterum, logice deberemus tunc Ordinarios etiam Congregationibus et Ordinibus laicalibus agnoscere. Namque eodem modo transibunt ad successores facultates habituales concessae Moderatori generali Ordinis S. Ioonnis de Deo, Superiori Generali clericorum S. Viatoris, et, ni fallimur, etiam Superiori generali Fratrum scholarum christianarum.

e) Ex c. 78, Ordinarius S. Sedem monere debebit si quis privilegio ab eadem concesso graviter abutatur. Existimat R. P. LARRAONA obligationem istam non loci Ordinario sed Superiori maiori Congregationis clericalis competere, si privilegia vitam religiosam in Congregationibus clericalibus tangant; cum vigilantia circa disciplinam religiosam spectet ad Superiorem maiorem.

Nostra sententia, id etiam Superior localis, qui tamen non est Ordinarius, qua Superior, praestare debebit. Et si Ordinarius loci abusum noverit, etiam si agatur de Ordine regulari, ipse S. Sedem monere debebit. Monitio enim isti Ordinario praecipue praescribitur, qui non possit per se remedium afferre: qua impotentia raro, si umquam, impedietur Superior religiosus, cum agitur de rescripto respiciente vitam religiosam.

Exempla itaque recitata talia non sunt quae demonstrent nomen *Ordinarii* frequenter Codice usurpari significatione quae excedat vim definitionis authenticae ipso Codice datae.

Utique, S. C. *Consistorialis* tacite admisit se im-

proprio usu in decreto *Redeuntibus* nomen Ordinarii usurpavisse, cum, 20 ian. 1919, declaraverit in casu vocem extendendam esse ad duos Superiores Generales Congregationum clericalium (cur non ad Provinciales?); verum, ex particulari concessione nequit interpretatio generalis colligi; et usus quispiam improprius facilius in decreto quodam irrepere potest quam in ipso Codice canonico, praesertim cum, si staret regula proposita in *Commentarium pro religiosis*, frequens foret casus.

Sic, in decreto *Ut debita*, S. C. *Concilii*, 11 maii, 1904, n. 7° verbis « *Ordinarii dioecesani* », ut monebamus *Periodica*, I, 135, contra proprietatem verborum, intellegendi sunt omnes Superiores religiosi, etiam non exempti.

Addebamus tamen, n. 5° eiusdem decreti, ubi agitur de missis tradendis in fine anni Ordinario proprio aut S. Sedi, nomen Ordinarii esse secundum propriam significationem sumendum. Quod etiam docebat *Nouvelle Revue Théologique*, t. 36 (1904), p. 615. In Codice autem, error n. 7 correctus est canone 837 ubi, pro *Ordinarii dioecesani* ponuntur verba: « Qui missas per alios celebrandas habent »; sed in canone 841 nomen Ordinarii servatum est, cum agitur de missis in fine anni tradendis; et sic, nostram interpretationem confirmando, Codex curam demonstrat qua nomen *Ordinarii* secundum propriam suam vim adhibere solet.

Quocirca, his perpensis, regula quae nomen Ordinarii ad Superiores maiores Congregationis clericalis extenderet, non videtur admitti posse. Interrogata, 22 ian. 1701, ad 8, occasione decreti de assignanda officio definita die, « An, nomine Ordinariorum (localium) in hoc et similibus casibus intelligantur etiam Superiores necnon Priores locales Regularium », *S. R. C.* respondit *Negative*. Ad quaestionem: utrum necne in casibus in quibus auctoritati Episcoporum subtrahun-

tur, Superiores maiores Congregationum clericalium non exemptarum possint nomine Ordinarii venire, etiam *Negative* respondendum esse arbitramur.

Regula huiusmodi gratis fingitur, et laborat hoc falso supposito, necessarium partialis exemptionis consectarium esse ut Congregatio, partialiter exempta, proprium, praeter Ordinarium loci et S. Sedem, Ordinarium nanciscatur.

Quod Congregationes prosperae et satis late diffusae assimilari cupiant Congregationibus exemptis, facile intellegimus nec improbamus; sed via id assequendi non est extensiva Codicis interpretatio, sed impetratio decreti exemptionis. Hoc sine incommodo magnae et ferventi Congregationi concedetur, dum extensiva interpretatio, quae, indiscriminatim, omnibus Congregationibus clericalibus iuris Pontificii, etiam valde exiguis, aeque prodesset, non paucis abusionum periculis esset obnoxia.

Haec definitione nominis *Ordinarii* et recto eius usu, Codex vitare studuit, observando distributionem Institutorum religiosorum in varias classes, inaequalis iuris.

De recenti quaestione circa bona ecclesiastica.

I. **Principia** quaedam *recolenda sunt* et perspicue enuntianda.

1. Trita et omnibus nota divisione, plura clericorum bona distinguuntur: *patrimonialia*, *ecclesiastica*, *casualia* quae simul dicuntur *quasi-ecclesiastica* vel *quasi-patrimonialia*. Haec tamen, spectata eorum origine, ad bina summa genera revocari possunt. Alia enim sunt originis *profanae*: patrimonialia et etiam parsimonialia, cum parsimonia sit quaedam personalis industria; alia sunt originis *sacrae*, quatenus acquiruntur clerico, qua tali. Haec rursus sequenti modo

distribui possunt in hodierno regimine Ecclesiae. Alia debentur clerico quatenus certum munus exsequitur et definita, ipsa lege, officia implet, ut cum Horas canonicas recitat, vel parochus praedicat; et, hoc titulo, percipit bona ecclesiastica seu fructus beneficii stricte talis, i. e. cuiuspiam fundi seu capitalis, pertinentis ad Ecclesiam; alia ipsi tribuuntur pro eius sacra et minus definita actione; atque, hoc titulo, parochus percipit *casualia*, quae componuntur *iuribus stolae (albae vel nigrae)* et *voluntariis oblationibus*, v. g. ad offertorium missae. Iura stolae sunt retributiones, legitime admissae, quae occasione quarundam ministrationum (baptismi, benedictionis nuptialis: stolae albae iura, vel funerum: stolae nigrae iura) a fidelibus solvendae sunt; et competunt parocho, etiam si is sacramentum non administraverit seu benedictionem non dederit ipse, sed alter sacerdos qui, cum eius assensu ministerio parochiali functus est.

Alia demum bona ministris sacris cedunt occasione definitae actionis sacrae, v. g. celebratae missae: et haec sunt *stipendia*.

2. Iam vero, omissa hoc loco consideratione bonorum profanae originis, quae a nostro proposito aliena sunt, de bonis sacrae originis haec *communiter* tenenda et dicenda sunt:

a) Titulus quo percipiuntur, ab Ecclesia agnosci debet, ut ipsa simonia vitetur. Cf. *Theol mor.* II, n. **279**. « Non habetur simonia, sic c. 730, cum temporale datur non pro re spirituali, sed eius occasione ex iusto titulo *a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito* ». (Legitima non est consuetudo, sine consensu competentis Superioris ecclesiastici, c. 25.)

b) Ecclesia potest bona ista simpliciter et sine addito onere ministris sacris concedere, et potest etiam eadem onere gravare. Si enim agitur de bonis

quae ex antiquis oblationibus constituta sunt, haec in plenum dominium Ecclesiae transierunt, ut libere, dummodo prudenter, a Suprema auctoritate dispensentur. Iam vero iusta causa est conveniens et abundans honorarium clericis assignatum. De qua re omnino cf. dicta a MOLINA *Iust.* I, d. 147, n. 33 et 34; LEHMKUHL, *Theol. mor. I*, n. 1072, nota. Si autem agitur de iuribus stolae, de recentibus oblationibus, et de stipendiis missarum, fideles oblatores onera peculiaria imponere non intendunt cum sine indicato fine haec tribuunt.

c) Ecclesia potest voluntatem suam mutare et ad adiuncta accommodare.

3. Secundum hodiernam disciplinam, Supremus Ecclesiae Legislator aestimavit ad splendorem dignitatis Cardinalium conferre ut liberam bonorum etiam ecclesiasticorum dispositionem haberent. Quare, c. 239, § 1, 19 ipsis privilegium concessit « De reditibus beneficiariis libere disponendi etiam per testamentum, salvo praescripto can. 1298 » (de sacra supellectile).

Quod vero ad reliquos clericos, bona distinxit. *a*) Si reditus sunt *stricte beneficiales*, superflua decenti sustentationi debent, saltem ex religione, in pios usus erogari; *b*) *casualia* acquiruntur ut quasi-patrimonialia; ita tamen, ut in regionibus ubi his aliter non provisum est, in missionibus exteris et in Anglia, non sola rectoris seu parochi persona, sed etiam alii ministri, cultus divinus et aedificium sacrum inde sustententur; *c*) *Stipendia* ipsi personae pro usibus suis libere acquiruntur. Hac bonorum, distinctione Ecclesia etiam intentionibus fidelium satisfacere studuit. Etenim, cum beneficia stricte talia conflata sint ex massa bonorum quorum rata pars pauperibus addicebatur, destinatio ista confirmatur obligatione tradendi superflua piis operibus. Atque ubi desunt peculiares reditus quibus istis aliis neces-

sitatibus provideatur, manifesta intentio fidelium est ut ipsorum largitiones etiam cultui servando et exercendo applicentur.

II. **Recens exorta quaestio.** Canon 1410 statuit ut dotem beneficii constituerent non sola bona quorum proprietas est penes ens iuridicum, sed etiam « certae et voluntariae fidelium oblationes quae ad beneficii rectorem spectent, sive iura, ut dicitur stolae intra fines taxationis dioecesanae vel legitimae consuetudinis ». Quid ergo, si, ut obtemperent iussioni canonis 216, § 1 et voto eiusdem canonis § 2, Episcopi vel quasi-Episcopi territorium in proprie dictas parochias diviserint, iisque pro dote assignaverint reditus casuales, iuribus stolae et oblationibus compositas; quid iuris, inquam, de pecuniis quae supersint postquam congruae sustentationi et impendiis necessariis provisum fuerit? Reliqua ista pertinentne pleno iure ad parochum ut bona quasi-patrimonialia, an contra, potestne Antistes aequabiliter definire summam quam solam parochus sibi ex his superfluis reditibus sumere possit, dum reliqua usum pium habere debeant? Pro hac obligatione affirmanda militare videtur canon 1473, qui generaliter disponit: « Etsi beneficiarius alia bona non beneficialia habeat, libere utifrui potest fructibus beneficialibus qui ad eius honestam sustentationem sint necessarii; obligatione autem tenetur impendendi superfluos pro pauperibus aut piis causis ». Casualia sunt fructus beneficiales; ergo obligatio ista in ista cadere videtur. Rursus tamen casualia non sunt fructus beneficii sicut, ante Codicem communiter intellegebatur, immo sicut in capitibus de beneficiis describitur. Quare, nonne contexta oratio suadet ut in c. 1473, fructus beneficiales stricte intellegamus de fructibus fundi seu capitalis ad ipsum ens iuridicum pertinentis? De isto solo, ut supra monuimus, habetur ratio peculiaris exigendi ut superflui

fructus erogentur in opus pium, i. e. intentio fidelium qui, ante divisionem bonorum in distincta beneficia, massam componebant cuius rata pars pauperibus tribuebatur. Praeterea, cum ipsa *S. Paenitentiaria*, 9 aug. 1821 et 9 ian. 1823 (cf. CARRIÈRE, *De iust.* I, p. 297), declaraverit, pro Belgio, casualia esse bona quasi-patrimonialia, quorum clerici liberum dominium haberent, nonne aequitati canonicae magis consentaneum est ut clericos aliarum regionum pari iure ponamus?

Quamvis in hanc sententiam inclinemus, existimamus quaestionam istam bene solvi non posse sine auctoritate S. Sedis, quae res secundum maius bonum commune libere componere potest.

IV. **Scholia.** 1. Remuneratio quae a Monialibus solvitur cappellano suo; pensio quam municipium cappellano publici Instituti pendit, ad reditus casuales ascribendae sunt.

2. De stipendiis proprie talibus nulla quaestio movetur. Haec dotem beneficii constituere nequeunt.

3. In missionibus exteris, non raro casualia imputantur in sustentationem saltem partialem missionarii, ita ut minuant summam quam Vicarius vel Praefectus Apostolicus addicit sustentationi ministrorum quos variis officiis onerat et honorat.

De Constitutione Vicarii generalis vel delegati facta ab Administratore Apostolico.

I. Ante Codicem, probatissimi auctores facultatem constituendi Vicarium generalem omnibus qui ordinaria potestate quasi-episcopali in territorio fruebantur, generaliter tribuebant. Sic, LEURENIUS, in tractatu *de Episcopi vicariis*; BOUIX, *De iudiciis ecclesiasticis*, T. I, P. 2, cap. 3, § 2; et etiam WERNZ, *Ius Decr.* II,

n. 804, qui, in nota 28 refert *obligationem* qua Vicarius Apostolicus teneatur Vicarium generalem constituendi. Constitutiones tamen Benedicti XIV quae allegantur, i. e, C. *Ex sublimi*, 26 ian. 1753; et *Quam ex sublimi*, 8 aug. 1755, imponunt Vicarium generalem qui, post obitum Vicarii Apostolici regimen assumat, dum Vicarius generalis de quo agimus nihil iam post obitum Ordinarii potest.

Bene itaque intellegitur cur, freti etiam canone 294, § 1 quo « Vicarii et Praefecti Apostolici iisdem iuribus et facultatibus in suo territorio gaudent, quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus », et fortasse declaratione 20 febr. 1888, relata p. (2), plures Vicarii Apostolici sibi putarint esse facultatem Vicarium generalem nominandi. Hoc tamen ipsis explicite negavit S. C. *de Propaganda Fide*, epistola 8 dec. 1919 (A. A. S., XII, 120; *Per.* X, 199), appellans canonem 198 Codicis I. C. qui solis Episcopis residentialibus et Praelatis *nullius* Vicarium generalem formaliter agnovit.

Quocirca nunc, v. g. R. P. VIDAL, *Ius canonicum*, II, n. 636, his solis facultatem istam ascribunt.

II. Quid iam de *Administratore Apostolico* dicemus? PIRRHING, *De Officio Vicarii* (I, 28) n. 39 fine; LEURENIUS, *De Vicario generali Episcopi*, q. 24, BOUIX, l. c. q, 3, incunctanter admittunt ab Administratore viduatae Ecclesiae Vicarium generalem constitui posse. Rursus tamen argumentum quo usa est S. C. *de Prop. Fide* ut a Vicario Apostolico istam facultatem abiudicaret, videtur etiam in Administratorem Apostolicum cadere, cum neque huic canon 198 adesse Vicarium generalem supponat.

Nostra sententia, distinguendus est Administrator Apostolicus *permanenter* constitutus et Administrator qui *ad tempus* sit datus. Ad tempus datus Vicarium

generalem constituere nequit. Codex enim ipsum Vicario Capitulari assimilat (c. 315, § 2, 1°). Hodie autem receptum est non posse a Vicario capitulari Vicarium generalem constitui. Si autem est permanenter constitutus, eodem canone, prorsus Episcopo residentiali aequiperatur. Ratio autem cur, ex ipsa officii natura, Vicarii Apostolici non videantur posse Vicarium generalem constituere, i. e. quia re et nomine sint *Vicarii generales* S. Pontificis in territorio ipsis commisso, non valet, saltem attento nomine, de Administratore permanenter constituto.

Et dum Vicarius Apostolicus Summi Pontificis vices agit, Administrator potius Episcopum supplet.

Quare, non obstante c. 198, Administratori permanenter constituto, facultatem nominandi Vicarium generalem esse putamus. Accedit usus, v. g. Hispaniarum, ubi plures sunt huiusmodi Administratores. Silentium autem c. 198 explicari potest hac ratione, quod non omnes Administratores Apostolici, sed soli permanenter constituti hac potestate donentur.

Quaesitum est utrum necne possent Administratores Apostolici facultatem participare nominandi *Vicarium delegatum*, sicut S. C. de *Prop. Fide* id Vicariis Apostolicis concessit. Quod negandum arbitramur, si de Administratore agitur qui *dioecesim* regat, quia Vicarius delegatus supplet Vicarium generalem in regionibus ubi hierarchia ordinaria nondum est restituta. In *dioecesibus* vero vel Vicarius generalis vel nullus esse potest.

BONIFATIUS IX.

Bulla 1 Februarii, 1400.

FACULTATEM ORDINANDI SACERDOTES CONCEDENS

« Bonifatius, etc. Ad perpetuam rei memoriam. Sacre religionis sub qua dilecti filii Abbas et Conventus Monasterii Apostolorum Petri et Pauli ac Sancte Osite virginis et martyris in Essexia Ordinis sancti Augustini Londoniensis diecesis devotum et sedulum exhibent altissimo famulatum promeretur honestas ut votis eorum illis presertim per que utilitas dicti monasterii procuratur et cultus divinus in eodem in dies augmentatur, ac honor abbatibus eiusdem monasterii pro tempore existentibus uberius impenditur in futurum quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus.

« Hinc est quod nos ipsorum Abbatis et Conventus in hac parte supplicationibus inclinati ut idem abbas et successores sui in perpetuum abbates eiusdem momonasterii pro tempore existentes omnibus et singuiis canonicis presentibus et futuris professis eiusdem Monasterii omnes minores necnon subdiaconatus diaconatus et presbyteratus ordines statutis a iure temporibus conferre libere et licite valeant et quod Canonici sic per dictos abbates promoti in sic susceptis ordinibus licite et libere ministrare possint quibuscumque Constitutionibus Apostolicis et aliis contrariis in contrarium editis quacumque firmitate roboratis nequaquam obstantibus eisdem abbati et successoribus suis ac eorum Canonicis auctoritate Apostolica tenore presentium indulgemus ». — Sequuntur clausulae confirmatoriae et impedientes revocationem etc.

Post tres annos, bulla ista est ab ipso Bonifatio IX revocata, instante episcopo londinensi. Bulla est 6

febr. 1403. In hac Bonifatius memorat duplicem gratiam a se concessam dictis abbati et conventui: privilegium utendi omnibus insigniis pontificalibus et conferendi sollemnem benedictionem; dein privilegium conferendi omnes ordines, non excluso presbyteratu, statutis temporibus, nequaquam obstantibus Constitutionibus. Postea: « Cum autem sicut exhibita nobis pro parte venerabilis fratris Nostri Roberti Episcopi Londoniensis petitio continebat monasterium prefatum in quo idem Episcopus ius obtinet patronatus per quosdam ipsius Episcopi predecessores londonienses episcopos qui fuerant pro tempore fundatum extiterit ac littere et indulta huiusmodi in gravem ipsius Episcopi et iurisdictionis sue ordinarie ac ecclesie londoniensis lesionem vergere dignoscantur Pro parte eiusdem Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum ut sue et eiusdem ecclesie indemnitati consulere in premissis de benignitate apostolica dignaremur ». Ideo S. Pontifex prius indultum complete revocavit.

Monumentum istud ex archivo Vaticano (Reg. lat. 81, fol. 264) Rev.mus Pater FEDERICUS FOFI, abbas generalis Canonicorum Lateranensium fideliter exscripsit et vulgavit, cum notis in *Scuola Cattolica*, ephemeride Mediolanensi, mensis martii 1924, p. 177 ss. Ipse ibidem memorat controversias quibus occasionem dedit bulla INNOCENTII VIII, 9 april. 1489 « Exposcit », propter hunc locum « ne monachi dicti ordinis (Cistercieusis) pro suscipiendis subdiaconatus et diaconatus ordinibus extra clausuram hinc inde discurrere cogantur tibi et successoribus tuis, ut quibuscumque dicti ordinis monachis, aliis vero quattuor abbatibus prefatis ac eorum successoribus ut suorum monasteriorum predictorum religiosis quos ad id idoneos repereritis subdiaconatus et diaconatus ordines huiusmodi alias rite conferre » possitis.

Bulla ista ex integro refertur in *Analecta Eccle-*

siastica IX, 1901, ac fuse de argumento ibi disseruit P. PIUS A LANGONIO, O. M. C. Cf. p. 311 ss; 358 ss; 468 ss.

Monumentum istud cum lectoribus nostris communicare, non autem notis illustrare voluimus. Hoc unum observamus, quattuor subesse explicationes istius indulti: Abbas ille habebat consecrationem episcopalem; - agitur de concessione litterarum dimissorialium; - invalida fuit concessio; - Deus seu Christus commisit episcopo absolute potestatem conferendi ordines; sacerdoti autem condicionate, si Vicario Christi placuerit. Reiectis duabus prioribus explicationibus, R.mus Abbas in quartam inclinat.

De missa religiosis praescripta.

Vi canonis 610, § 2, « in omnibus religionibus virorum, et etiam, quoad fieri potest, in religionibus mulierum, cotidie celebrari debet Missa officio diei respondens secundum rubricas ». Qui canon respicit, non tantum regulares quibus est obligatio chori, sed etiam observandus est in domibus religiosarum quae non habent nisi vota simplicia. sed ex Constitutionibus a Sancta Sede approbatis ad officium chori obligantur (1).

Hoc canone omnibus domibus religiosis in quibus est obligatio chori celebranda est Missa conventualis. Haec est quasi pars officii divini, et regularibus iam imposita erat decr. gen. 2 dec. 1891 (*Decr. Auth.* n. 3757).

Haec Missa conventualis tamen non eodem modo imponitur religiosis ac capitulis. Religiosi enim de iure communi non tenentur ad eam celebrandam in cantu, nec ad eam applicandam benefactoribus in genere, quae ambo capitulis imponuntur can. 413 § 2 et 417 § 1; neque diebus quibus rubricae plures

(1) RESPONSUM PONTIFICIAE COMMISSIONIS AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS. Dubium III solutum in plenariis comitiis Eminentissimorum Patrum die 20 maii 1923 (cf. haec *Periodica*, p. 79).

praescribunt Missas conventuales, ipsi, quamvis omnes celebrari possint, secluso tamen iure consuetudinis aut Constitutionum, ad plures non tenentur (*Decr. cit*).

I. ***Quaenam Missa celebranda est ut conventualis.*** — Regulariter Missa conventualis est Missa ipsius officii diei.

Huic regulae tamen non nullae apponuntur exceptiones.

A. **Missa de feria aut vigilia.** - 1. In feriis Quadragesimae, post diem Cinerum ac Passionis ante dominicam Palmarum, in feriis Quattuor Temporum extra octavam Pentecostes, et in vigiliis communibus, si occurrat officium duplex aut semiduplex, praeterquam duplex 1 vel 2 classis aut octava privilegiata 2 ordinis, Missa conventualis, si unica tantum celebratur, erit de feria vel vigilia, et si simul occurrant aliqua ex praedictis feriis et vigilia, de feria cum commemoratione vigiliae *(Additiones et Variationes in Rubricis generalibus Missalis Romani ad normam Bullae Divino afflatu I, 4)* (1).

Si autem in praedictis feriis aut vigiliis occurrat duplex 1 vel 2 classis aut octava privilegiata 2 ordinis, Missa conventualis celebranda est de officio diei cum commemoratione feriae, et, extra duplicia 1 classis, vigiliae (Ibid).

2. Si occurrat vigilia communis in die qua officium dictum est de feria Adventus, extra Quattuor Tempora, Missa conventualis erit de vigilia cum commemoratione feriae; in feria vero Quattuor Temporum, de feria cum commemoratione vigiliae (*Add. et Var.* V, 1).

3. In diebus litaniarum, tam maiorum quam minorum, si fiat processio, Missa conventualis, si unica sit, dicitur de Rogationibus cum commemoratione officii diei, nisi hoc fuerit duplex 1 classis, quo casu

(1) Haec in posterum indicabuntur siglo *Add. et Var.*

dicitur de festo cum commemoratione Rogationum (*Add. et Var.* I. 4). Si vero non fiat processio: *a*) in litaniis maioribus, Missa conventualis celebratur de occurrenti festo vel octava privilegiata cum commemoratione de Rogationibus; *b*) feria II Rogationum, Missa conventualis, si unica sit, erit de Rogationibus, nisi occurrat duplex 1 vel 2 classis, quia tunc celebratur de officio diei cum commemoratione Rogationum; *c*) feria III Rogationum dicitur de officio diei, etiam si hoc fuerit de die infra octavam communem aut de octava vel festo simplici; si tamen officium dictum sit de feria, erit de Rogationibus; tandem *d*) feria IV Missa conventualis, si unica sit, dicitur de vigilia Ascensionis, nisi officium occurrens fuerit duplex 1 vel 2 classis, quo casu erit de officio diei.

B. **Missa de dominica impedita.** Quotiens Missa alicuius dominicae, sua die ab officio nobiliori impedita, secundum rubricas infra hebdomadam resumenda est in die in qua officium factum non est de feria (1),

---

(1) Secundum rubricas (*Add. et. Var.* I, 6), si Missa alicuius dominicae (non tamen dominicae in die 5 ianuarii repositae, nec dominicae post Epiphaniam aut Pentecosten in sabbato anticipatae) sua die ab officio nobiliori impediatur, resumenda est prima infra hebdomadam die qua officium fit de feria propriam Missam non habente, qua die prohibentur Missae de Requiem et votivae, de quibus infra. Quod si infra hebdomadam nulla talis occurrat dies, resumitur Missa dominicae die qua ex sequentibus officiis celebretur officium secundum ordinem hic datum minus nobile, et quidem, si plura sint eiusdem inferioris nobilitatis, in primo ex eis, cauto tamen ut numquam haec Missa de dominica resumatur in die qua officium quidem fit de die infra octavam sed simul tamen occurrit feria propriam Missam habens vel aliqua vigilia: 1. de festo simplici, 2. de sancta Maria in sabbato, 3. de die octava simplici, 4. de die infra octavam communem, 5. de die infra octavam privilegiatam pro particulari tantum Ecclesia concessa, 6. sed tantummodo si agatur de dominica infra respectivam octavam occurrenti et non de alia ante eam octavam impedita, de die infra octavam in universali Ecclesia privilegiatam. Missae tamen de dominicis infra octavas Nativitatis et Epiphaniae, si sua die impediuntur, ex propriis rubricis, resumuntur in proximiorem sequentem diem in qua officium fit de die infra octavam, et tantum, deficiente tali die, post praedictas octavas.

RITUS HUIUS MISSAE. - **Gloria** dicitur si Missa resumitur infra octavam in universali Ecclesia privilegiatam vel infra tempus paschale, et insuper in missis de dominicis infra octavas Nativitatis et Epiphaniae, etiam si post

Missa conventualis dicitur de dominica reposita (*Add. et Var.* 1, 6).

C. **Missae de Requiem.** 1. Prima die cuiusque mensis, extra Adventum, Quadragesimam, tempus Passionis et Tempus paschale, et excepto mense novembri, in qua officium fit de feria communi, nec prius resumenda sit Missa de dominica in propria die ab officio nobiliori impedita ut superius dictum est, loco Missae de officio diei *dicitur* Missa conventualis de Requiem pro defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus et aliis. Dicitur Missa cotidiana cum tribus orationibus uti prostant in Missali, et etiam in Missis lectis addenda est Sequentia *Dies irae (Add. et Var.* III, 2, 10 et 11).

2. Feria II cuiusque hebdomadae, extra Quadragesimam, Tempus Passionis et Tempus paschale (1), in quo officium fiat de feria, dummodo non occurrat aliqua vigilia, aut primo resumenda non sit Missa dominicae praecedentis in sua die ab officio nobiliori impedita, loco Missae conventualis de die, dici *potest* Missa pro defunctis ut supra. Si vero Missa conventualis celebretur de feria vel votiva de SS. Trinitate, in ea, penultimo loco inter omnes ora-

---

respectivas octavas resumuntur; extra hos casus numquam dicitur. **Credo** dicitur tantum in missa de dominica infra octavam in universali Ecclesia privilegiatam, et quae infra ambitum ipsius octavae, resumitur; extra hunc casum numquam dicitur, ne quidem infra alias octavas, etiam si symbolum habeant, nec in missa de dominica infra octavam privilegiatam, sed quae post ambitum huius octavae resumitur. **Praefatio** dicitur secundum rubricas, h. e. in Missis de dominicis infra octavas Nativitatis, Epiphaniae et Ascensionis. Etiam si resumuntur post octavam, dicitur praefatio de respectiva octava, quae habenda est propria Missae dominicae; *Communicantes* vero proprium non dicitur nisi Missa resumatur infra ambitum ipsius octavae; in Missis de dominicis infra tempus paschale praefatio paschalis, quae item propria est harum Missarum; in reliquis dicitur praefatio communis (non vero de S.ma Trinitate), nisi facienda sit aliqua commemoratio quae propriam exigat praefationem; in Missis tamen de Tempore Adventus numquam dicitur praefatio de beata Maria Virgine. *(Add. et Var.* VII, 1, et 3; VIII, 1, 2. **Ultimum evangelium** secundum *rubricas* (Add. et Var. IX).

(1) Non excipitur hic Adventus.

tiones, additur oratio *Fidelium*, pro qua nulla ex orationibus pro diversitate Temporum assignatis omitti potest (*Add. et Var.* III, 3).

D. **Missae votivae**. - Quotiens officium fit de feria, exceptis feriis Adventus, extra sabbatum, Quadragesimae, Temporis Passionis, Quattuor Temporum, Rogationum et Vigiliarum, dummodo primo resumenda non sit Missa de dominica praecedenti in sua die ab officio nobiliori impedita, neque iuxta rubricam superius datam, celebranda sit Missa conventualis pro defunctis prima die libera mensis, pro Missa conventuali dici *potest* una e sequentibus Missis votivis pro singulis feriis assignatis:

Feria II, nisi dicatur Missa defunctorum ut supra, Missa de SS. Trinitate;

Feria III, Missa de Angelis;

Feria IV, Missa de S. Ioseph, vel de SS. Apostolis, Petro et Paulo, vel de omnibus SS. Apostolis, vel de Patrono principali oppidi vel civitatis, dioecesis, provinciae et nationis, vel etiam de Titulari ecclesiae propriae, vel, pro regularibus, de Titulo aut S. Fundatore Ordinis vel Congregationis;

Feria V, Missa de Spiritu sancto vel de SS. Eucharistiae Sacramento;

Feria VI, Missa de S. Cruce, vel de Passione Domini (*Rub. gen. Miss.* IV, 3 et *Rubr. spec. ad missas votivas*).

Sabbato in Adventu, si officium dictum sit de feria, nisi occurrat feria Quattuor Temporum vel aliqua vigilia, Missa conventualis *dicitur* de S. Maria *Rorate* (*Rubr. gen. Missalis* IV, 2).

Praeter has, nulla alia potest pro conventuali celebrari Missa votiva (1). Quod si Episcopus Missam

(1) Excipitur quidem casus, sed qui raro occurrit, scilicet in ipsa die Dedicationis ecclesiae vel consecrationis altaris, item in benedictione prima-

votivam sollemnem praescripserit pro re gravi, aut celebranda foret Missa votiva privilegiata de SS. Corde prima feria VI mensis, aut iuxta Add. et Var. IV, 1-3, Missa de festo impedito, vel de festo quod cum magno concursu populi celebratur, vel de sollemnitate in dominicam minorem translatam, si ibidem unica tantum celebratur Missa, pro votiva celebranda est Missa conventualis secundum regulas superius datas, sed in ea additur sub prima conclusione cum prima, oratio Missae votivae, nisi occurrat Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, aut duplex 1 classis Domini primarium universalis Ecclesiae, praeterquam feriae II et III Paschatis vel Pentecostes; deinde, sub altera conclusione, fiunt tantummodo commemorationes quae huic Missae votivae conveniunt (*Add. et Var.* II, 3; IV, 1-3). Et, nisi ritus ipsius Missae sit simplex, dicitur *Credo* (*Add. et Var.* VII, 3). Eodem modo agendum est die qua in omnibus ecclesiis et oratoriis dioecesis permittitur Missa votiva privilegiata pro fidei propagatione.

II. ***Quaenam commemorationes faciendae sunt.*** — 1. Si non celebratur alia Missa conventualis, vel, praeter conventualem, Missa in cantu, in Missa conventuali de officio diei omnes fiunt commemorationes quae in officio factae sunt ad laudes; in Missa vero conventuali quae non est de officio diei, praeterquam in Missis defunctorum, fit primo commemoratio ipsius officii de die, nisi huic orationi praemittenda sit commemoratio a missa inseparabilis, deinde adduntur omnes commemorationes quae in officio factae sunt ad Laudes, omissa, ut patet, illa de qua dicitur Missa (*Add. et Var.* I, 4; V, 1 et 2; *Rubr. spec.* ad

---

rii lapidis et in benedictione sollemni ecclesiae, etiam si unica tantum celebratur Missa, haec celebranda erit ad normam novarum rubricarum (Cf. *Add. et Var.* II, 7 - 9 et 11).

Missas votivas). Attamen *a*) in dominica Palmarum et in vigilia Pentecostes ad Missam nihil fit de quolibet officio ad laudes commemorato;

b) in duplicibus 1 classis, in Missa conventuali, *etiam lecta*, non fit commemoratio de die octava communi nec de festo aliquo duplici aut semiduplici ad laudes commemorato, nisi tamen sit festum Domini, etiam secundarium, in dominica quavis aut in vigilia Epiphaniae occurrens quodque in casu commemorationem obtinet sicut ipsa dominica;

c) in duplicibus 2 classis, in Missa Conventuali, *etiam lecta*, non fit commemoratio de octava simplici vel festo simplici ad laudes commemorato;

d) excluditur pariter suffragium de omnibus sanctis, nisi oratio *A cunctis* pro diversitate temporum assignata, dicenda sit, et Tempore paschali commemoratio de Cruce.

Contra, *a*) in feriis Quadragesimae et Quattuor Temporum, in dominica cuius officium in sabbato anticipatur, in vigilia digniori, in Missa fit commemoratio de vigilia communi occurrenti, nisi simul occurrat duplex 1 classis, etsi de ea facta non est Commemoratio ac laudes;

b) in diebus litaniarum, tam maiorum quam minorum, ad Missam fit commemoratio de Rogationibus, quamvis, extra feriam II Rogationum, nihil de iis factum sit ad Laudes (*Add. et Var. V. 1 - Add. et Var. in Rubr. gen. Brevicerii. Notanda in tabellas, 5*).

2. Si plures celebrantur Missae conventuales, vel, praeter conventualem celebratur in eadem ecclesia Missa in cantu, in nulla ex eis fit commemoratio de aliis, et commemorationes fiunt in missa cuius indolem seu rationem participant, v. g. commemoratio de vigilia in Missa de feria, commemoratio de octava in Missa festi et vicissim; at si, praeter missam conven-

tualem, celebratur missa votiva in cantu, commemorationes omnes fiunt in missa conventuali, et in Missa votiva dicuntur orationes quae Missae votivae conveniunt (*Add. et Var.* V, 4).

III. ***Quaenam orationes dicendae sunt.*** — 1. Orationes pro diversitate temporum assignatae dicuntur secundum rubricas, et si plures celebrantur Missae conventuales, vel praeter Missam conventualem celebratur alia Missa in cantu, in singulis, si iuxta ritum ipsius missae et commemorationis in ea factae admittuntur, ita tamen ut orationes quae infra aliquam octavam vel in vigilia aliter ac pro tempore occurrenti fuerint praescriptae, dicantur tantum in Missa de octava vel vigilia aut cum earum commemoratione celebrata. Quod si praescribitur tertia oratio ad libitum, haec in Missa conventuali eligitur ad libitum praefecti Capituli vel Superioris Communitatis (*Add. et Var.* VI, 1; V, 4).

2. Item Collectae ab Ordinario imperatae in Missa conventuali, et, si plures celebrantur, in singulis adduntur secundum rubricas (Ibid.).

3. Orationes ultra eas quae a rubricis praescribuntur addere in Missa conventuali, etiam lecta, numquam licet (*Add. et Var.* VI, 5).

IV. ***Debetne dici Sequentia?*** — Sequentia quae aliquibus assignatur festis, semper addenda est in Missa conventuali, *etiam lecta*, de die infra octavam eorundem festorum (*Add. et Var.* VII, 2).

V. ***Quaenam praefatio sumenda est.*** — Praefatio in Missa conventuali dicitur secundum rubricas (*Add. et Var.* VIII); sed si plures celebrentur Missae conventuales, vel praeter conventualem celebretur Missa in cantu, praefatio propria alicui octavae privilegiatae non adhibetur in Missa in qua de praedicta octava non fit commemoratio; item non dicitur praefatio de tempore Quadragesimae vel Temporis Passionis in

Missa in qua non fit commemoratio feriae; tandem, praefatio de octava communi, ac de feria VI post octavam Ascensionis, sicut praefatio de Nativitate Domini a die 2 ad 4 ianuarii inclusive et praefatio de Tempore paschali in feriis communibus huius temporis adhibetur tantum in unica ex his Missis, scilicet in Missa propria, si celebratur, secus in Missa de officio diei (*Rubr. spec. ad praefationes* et *Add. et. Var.* V, 5).

Ultimum evangelium dicitur secundum rubricas (*Add. et Var.* IX).

IOS. PAUWELS, S. I.

Notandum de Commentario Facultatum Nuntiorum, etc.

In tomo XII, *Periodica*, p. (127). (128), commentando facultatem n. 30, de dispensationibus matrimonialibus, occurrit nobis difficilis clausula « dummodo constet de status libertate *partis fidelis* ad removendum polygamiae periculum. » Cur specialis ista sollicitudo de parte fideli, cum polygamia potius a parte infideli timenda sit? Rationem aliquam e iurisdictione Ecclesiae petitam afferre conati sumus.

Verum epistola ab amico lectore nobis missa planiorem hanc explicationem proposuit, mendum typographicum irrepsisse in vulgatos textus, etiam in eum quem emendatiorem a se edi *Monitore Ecclesiastico* 1920, p. 137 professus est. Legendum enim esse *partis infidelis* ubi scribitur *partis fidelis*. Lectionem *partis fidelis* nimis miram esse quam ut sit veri similis; et in formulis facultatum *de Propaganda Fide*, ubi similis facultas conceditur, v. g. n. 14 Formulae II minoris (1) ponitur *partis infidelis*.

Explicatio ista nobis omnino probatur.

---

(1) Cf. nostra de *Formulis facultatum S. C. de Prop. Fide* Commentaria, p. 89.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De propagatione et diffusione vitae religiosae. Synopsis historica

A. P. STEIGER, S. I. b. m. conscripta.

Post iteratas praelectiones quas de Iure religiosorum *in Pontificia Universitate Gregoriana habuit*, P. IOSEPHUS STEIGER, S. I. *canonicum de Religiosis opus in lucem edere meditatus est. Quod cum solita sibi sollicitudine et cura praepararet, morte praereptus est, ita ut quasdam tantum commentationes pie colligendas confratribus et amicis suis linquere potuerit. Inter haec fragmenta, erudita synopsis historica de vita religiosa reperta est. Quam in haec Periodica inserere placuit, ut plurium, ni fallimur, utilitati consuleremus, et simul constantem post discessum amicitiam aliquo pacto significaremus.*

CAPUT. I. — ***Ante Christum et extra religionem christianam.***

Vita ascetica, si eo nomine intelligas segregationem a mundo, et exercitium operum poenalium, quibus homo ad vitam moralem perducatur puriorem, antiquissima est; nec ulli ferme defuit religioni, cuius ratio putidum materialismum et fetichismum transcendit.

1. **Prophetae** — Ascetae profecto fuerunt multi ex prophetis V. T. Pro suo munere populum electum in sinceritate verae fidei continebant, eius mores arguebant, verum Dei cultum promovebant, ipsi tamen, haud raro, vitam a mundo segregatam, sive soli, sive cum discipulis agebant. (Cfr. IV. Reg. c. 2, 1-25; c. 4, 25, 38; c. 6, 1). « Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti » etc. Hebr. XI. 37 sqq. Hancque ab causam Patres monachis christianis Eliae, Elisaei, praesertim S. Ioannis Bapt. vivendi rationem, tamquam normam et exemplar proponere non dubitarunt. (Cfr. SUAREZ *de Stat. Relig.* L. III. c. 1. S. BASIL. ep. ad Chilonem, n. 5 (P. G. 32, 358); CASSIAN. Coll. 18, c. 6 (P. L. 49, 1101). S. HIER. ad Paulinum (P. L. 22, 583.)

2. **Rechabitae** — Hoc vitae genus, suo modo inter Iudaeos retinebant Rechabitae, de quibus agit Ierem. XXV. 1-10. Cfr. Commentatores recentiores in hunc locum.

3. **Esseni** — Asceticam vitam profitebantur Esseni (Iosephus: *Ἐσσηνοί*; Philo: *Ἐσσαῖοι*, a radice hebr., hasch - pius? probabilius a radice aramaica, saha, plur. asahai, unde asai = lavare, lavantes, les baigneurs). Hi iuxta Philonem constituebant *τάγμα* - ordinem, sectam peculiarem, cuius exordia, teste Iosepho, ad medium saec. II. a Chr. sunt referenda. Tempore Christi numerabantur circiter 4000, incolebant ut plurimum ora maris mortui, non nullis etiam in dispersione vicorum habitantibus, ut fratribus itinerantibus hospitium et auxilia praeberent.

Profitebantur continentiam, ii saltem qui in supremo i. e. in quarto gradu consistebant. Bona privatim nulla possidebant, sed omnia in communi; superioribus spondebant obedientiam absolutissimam; diem, in orationibus et in labore manuum occupati, transigebant, maximi

habebant balnea ritualia, quibus bis in die, ante mensam, indulgebant.

Secta erat profecto iudaica, sed haeretica. Licet enim 5 libros Moysis admitterent, in multis rigorismum, vel Pharisaeorum, excederent, tamen ad templum Hierosol. non accedebant, sacrificia cruenta reiiciebant, aliunde, monotheismo cultum solis adiiciebant, (forte ut nobilissimi divinitatis symboli), doctrinas orphicas, pythagoricasque (quoad animam) admittebant, et in secretissimo cultu quo angelos prosequebantur forte « mysteria » quaedam celebrabant.

Eos Philo vocat *πρακτίκους*; iuxta Josephum in Lege considerabant tantum doctrinas morales. Porro eorum principia ethica, ut habet Philo, ad tria revocantur; continebantur scilicet: *τῷ φιλοθέῳ, τῷ φιλαρέτῳ, τῷ τε φιλανθρώπῳ*. Evanuerunt demum in vastatione Palaestinensi sub finem saec. I.

Reliqua quae Essenorum vitam attinent accipe a Döllinger. *Heidenthum u. Judenth.* p. 775. Cfr. *Kirchenlex.* v. Essener; *Realencycl. protest.* eod. verb.; de Fontaine, *Quest. hist.*, t. 17, p. 221: *Les moines juifs et le christianisme*; Don U. BERLIÈRE: *Revue Bénédict.* 1891, p. 12: *Les origines du monachisme.*

Fontes quoad earum historiam sunt: Philo lib. *Quod omnis liber probus*, edit. Paris. 1646, p. 876. Iosephus *de bello Iud.* lib. II, 8; *Antiqq.* XIII, 5; XVIII, 1. Plinius, *Hist. nat.* V, 15.

4. Therapeutae — Asceticam pariter vitam agebant illi qui sub fine saec I. prope Alexandriam Aegypti, circa Maream paludem, viri et mulieres contemplationi studuisse dicuntur, et sub nomine therapeutarum circumferuntur: dicti therapeutae = cultores, curatores, vel quod Deum diligentissime colerent, vel quod animas sedulo excolerent et curarent a morbis vitiorum.

Eorum vivendi genus fuse describitur in libello *Περὶ Βίου Θεωρητικοῦ ἢ ἱκετῶν*, cujus libelli primus omnium mentionem fecit Eusebius et tamquam opus Philonis traduxit: *Hist. Eccl.*

l. II, c. 17 (edit. Schwarz, Mommsen), et de facto inter eius opera prostat (edit. Paris. cit. p. 889). Hic porro libellus unicum tibi praestat fontem, e quo hodie, therapeutarum existentiam et vivendi rationem accipias.

Verum haec res densissimis involvitur tenebris, ideoque potius ad scholam historicam amandanda. Quaeri enim potest: 1. Utrum dicti therapeutae iudaei fuerint, vel potius christiani adhuc iudaizantes? Et sane, ad christianos respexisse Philonem, Eusebius ut probabile habet, et vitam therapeutarum monachorum instituto respondere, *Hist. eccl.* l. cit.

Id vero Hieronymus, amplians Eusebium, diserte affirmat. *De viris illustr.* c. 11 (P. L. 23, 626) pariter PP. deserti, ut refert Cassianus, *De caenob. Instit.* lib. II. c. 5 (P. L. 49, 84) et post ipsos Sozomen. lib. I. c. 12 sq. Cassiodor. *Hist. tripart.* lib. III, c. 1. etc. cf. etiam rationes Bollandistarum apud D. Bouix, *de Regul.* t. I, p. 153.

Hisce testimoniis non obstantibus, prudenter addubitabis therapeutarum christianismum, ex iis ipsis quae in cit. libello habentur, de choreis, de sacrificio panis et salis, etc, quod. b. Hieronym. non effugit, dum fatetur « fuisse christianos iudaizantes » cfr. *Realencycl.* v. Philo, t. 15, p. 35.

Quaeri ulterius potest: utrum libellus *περὶ βίου Θεωρητ.* revera sit ex manu Philonis, an potius fetus supposititius ignoti auctoris iudaei I, vel monachi christ. III saeculi? — Et sane, rationes dubitandi sunt: *a*) ipsum vocabulum *μοναστήριον*, quod sequiorem aetatem sapit; *b*) aetas Philonis, eo tempore quo therapeutae sub. b. Marco vixisse dicuntur; - nam anno 41, « iam senex » partes habuit in legatione iudaeorum ad Claudium Imp.; *c*) quia auctor plane silet de principiis dogmaticis therapeutarum, dum Essenorum principia theoretica et practica fuse evolvit. *d*) quod praecipuum est, praesentia multarum virginum *aetatis provectae* (*γηραλέαι παρθένοι*), quod nec in Iudaeos quadrat, nec respondet tempori quo Alexandrina

ecclesia fundata dicitur; virginitas enim provecta, initia habet remotiora. Alias rationes dubitandi, vide apud Schuerer, *Gesch. des Iud. Volkes*, III[3], p. 536.

Libelli authenticitatem *negarunt* et auctori *Iudaeo* I saecul. ignoto tribuerunt : Nicolas, in period. theol. protêst. Strasbourg, 1868 ; Weingarten, in *Real Encycl.* v. Mönchtum ; Derenbourg, *Études juives*, t. XVI, 1888, et alii quos videsis, apud Schürer l. c. p. 536, n. 140 ; eam *negarunt*, libellumque *monacho christ.* III. saec. adscripsere : Gratz, Jost. praecipue Lucius : « Die Therapeuten », Strassburg, 1880; alios vide ap. Schürer l. c. p. 537 ; authenticitatem *addubitant* : Schürer, l. c. Harnack in *Herz. Real. Eneycl.* 2ª edit. v. Therap. et alii. Demum, Philonem ut *auctorem libelli vindicant* præ ceteris Massebieau, « *Le traité de la vie contempl* », *extrait de la Revue de l' Hist. des Religions*, t. XVI, 1887. Quem *sequuntur* E. Herriot, « *Philon le Juif* », p. 299, Paris, 1898 ; Conybare, « *Philo about the contempl. life* », London, 1895, et Zöchler » *Askese u. Mönchtum* t. 1. 1897, p. 128, sq, ubi rationes Conybeare recenset - ipse tamen therapeutas ut Iudæos habet, simulque concedit, libellum Philonis, non ea quae historice fuerunt, sed quæ phantasia sua delineavit scriptor, referre. Cui forte assentire poteris, nisi praeeligas subscribere iudicio cl. Schürer : « Ein sicheres Urteil ist desshalb schwierig, weil dieses Asketentum, religiös ziemlich farblos, in Wahrheit weder indisch noch christlich war ». Nostra igitur sententia, lis sub iudice manet.

5. Pagani : — Non desunt inter paganos qui vitam asceticam, sensu superius expresso, amplexi sunt. Indorum orientalium regionem non immerito solum natale et sane feracissimum ascetismi pagani dixeris, et hodiedum manet. Tametsi difficile, immo impossibile est, in utroque poemate heroico « Mahaborata » et « Romaiana » et in aliis vetustissimis documentis, secernere granum veritatis, a palea fabularum, id tamen liquidum est : Brahmanos diu ante reformationem Budhisticam suos habuisse ascetas qui modo eremitice, modo collegialiter in sylvis (vanaprastha *ὑλοβίου*) degebant, asperrimae paenitentiæ et contemplationi dediti, sicque suam in divinam substantiam

resorptionem praestolantes. Historice nota est et alia eorum secta ascetica dicta *γυμνοσοφισταί* Strab. XV, 65. — Pariter asceticam vitam duxerunt **Budha Gautama** dictus **Çakyamouni** (= Çakya, nomen generis, muni = asceta), circa 560 ant. Chr. et eius discipuli ; indeque derivati Mendicantes (Bhikshu = mendicans) et sensuum edomitores, etc. qui paulatim vitam coenobiticam inierunt.

De his cfr. *Kirchenlex.* et *Real encycl.* verb. Brahmanismus, Buddhismus; Mgr. Bigandet: « *Vie ou légende de goudama* 1878 ; Auger, « *Les mystiques dans les Pays - Bas*, chap. 2, p. 23. Lege etiam, cum necessariis cautelis, Zöckler « *Askese u. Möncht.* 1897 t. 1, §§ 1 - 4. Nota est quae apud graecos floruit schola, coenobitica Pythagoricorum c. an. 562 A. C. Cfr. Zeller « *Phil. der Griechen* » edit. 6, t. 1. p. 361; Chaignet 1874 « *Pythagore et le Pythagorisme* ».

Aegyptus inde a tempore Lagilarum habuit suos inclusos (*κάτοχοι*), viros et feminas, Serapidis cultui devotos. Demum, ut brevitati consulam, exhibent et ipsi Mahumetani quinque principaliores sectas asceticas sive confraternitates, « faciunt enim favos et vespae » (Tert.), sed utique melle vacuos. De his cfr. Heimbucher, *die Orden und Kongreg.* 1896, p. 14; Rev. des deux Mondes, Mars 1886 « *Sociétés secrètes chez les Arabes* »; Vigouroux, *Rev. bibl.* 1896. « *Les prêtres de Baal et leurs successeurs* » ; Zöckler. l. c. p. 309-22.

Quae cum ita sint, increduli passim, non nulli etiam protestantes, sub larvata facie scientifica (cfr. Hilgenfeld, 1878. *Zeitschr. f. Wissensch., Theol.* p. 148, Weingarten, *Real. Encycl.* v. *Mönchtum*, non verentur affirmare, ascetismum et vitam monasticam christianorum, a paganismo originem suam derivasse, huiusque instituta repristinasse, quippe cum eadem opera poenalia utrobique observentur: Le geste est le même.

Verum resp. 1. Assertionem esse contra omnem

fidem historicam. Et sane cum de origine alicuius societatis quaestio movetur, testes omni exceptione maiores sunt ipsi societatis fundatores. Qua igitur ratione vita monastica christianorum enata sit, ipsi veteres Patres plenissime enarrant apud Cassian. Collat. 18, 4 et 5; norunt profecto utrum ab Indis, vel a Serapidis reclusis formam vivendi acceperint. Pendent scilicet omnes a S. Antonio, qui, iuvenis et illiteratus, in desertum secessit, et a Pachomio, qui a Palaemone rudimentariam formam vivendi accepit, quam ipse postmodum propria legislatione perfecit.

Resp. 2. Ad explicandum, cur extra christianam religionem, vita ascetica suos habuerit sectatores, abunde sufficit observatio facti duplicis: multis insidere nativam propensionem in vitam solitariam; multis pariter, peculiarem zelum verae vel falsae divinitatis, et famem rerum divinarum, inesse; quid igitur mirum si etiam in falsis religionibus homines invenias qui huic rerum divinarum instinctui se committant (1). — Nec tamen inde concludas monachismum christianum *ex solo* instinctu naturali suam duxisse originem: absit; sed perinde ac naturam gratia extollit atque perficit, ita apud nostros instinctum naturalem, mira et nobilissima ratione extulerunt exempla, doctrina et vocatio D. N. Iesu Christi; et quia solus christianorum monachismus divino hoc spiritu animatus est, solus etiam uberrimos in communem utilitatem fructus procreavit. Recte, de paganorum ascetis, Montalembert. « Ils n'ont rien produit, rien sauvé; l'orgueil de l'erreur et la corruption de l'oisiveté les ont rendus inutiles à l'esprit humain comme à la société ». *Moines d'Occid.* t. 4, p. 41 sq.

(1) Apposite P. H. Delehaye in re analoga: « Il serait peu judicieux de recourir à l'hypothèse de l'emprunt, lorsque la nature humaine, agissant sous l'empire du sens religieux, suffit à tout expliquer », « *Les légendes hagiographiques* », chap. 6, p. 170.

Resp. 3. Tametsi *idem faciunt* ascetae pagani et christiani, minime idem *est*, perinde ac non idem est, quod idem faciunt medicus et carnifex. Ut idem *faciant*, in causa est ipsa rerum natura : communem prosequuntur scopum : vitam dico moralem puriorem, unionemque cum divinitate. Commune omnibus, congenitum experiuntur impedimentum, concupiscentiam dico : ideoque tum meditationibus et oratione ad Deum tendunt ; tum carnem continentia, abstinentia multimoda, operibus poenalibus et vita solitaria edomunt. Ut autem ipsae castigationes utrobique non idem *sint*, in causa est motivum ad eas impellens. Buddhistae, Manichaei, dualistae et pessimistae, naturam sensibilem malam reputant, ideo ab ea refugiunt ; christianus autem, ut carne mortificatus spiritu vivat, cum Christo in Deo. Cfr. Schiewitz, op. cit. I. § 8.

CAPUT. II. — *In Oriente christiano usque ad Concilium Chalcedonense* (an. 451).

1. **Ascetae.** — Vitam religiosam suo exemplo docuit Christus, ad eamque invitavit quotquot ad perfectionem eniti vellent, viam sublimem consiliorum iis proponens. Exempla et doctrinam Christi, beati Apostoli sibi ut regulam vitae retinuerunt, et in hac « philosophia » nacti sunt discipulos et sequaces, praeter mandata, etiam consilia, imprimis paupertatis, amplectentes, ut legimus (Act. II. 44 - 45, IV. 32 sqq.).

Ab ipsis Ecclesiae incunabulis christiani paruerunt praedicationi Apostolicae « induimini D. I. Chr. et carnis curam ne feceritis in desideriis » (Rom. XIII, 14). « Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis » (Gal. V. 24) ; ideoque

abnegationi interiori externam addiderunt mortificationem abstinentiae et ieiuniorum ; tum ut castigantes corpus proprium, illud in servitutem redigerent ; tum ut ab infestatione illius se liberarent qui non eicitur nisi per orationem et ieiunium. Porro qui singulari ratione in his operibus, privationibus et orationibus se exercebant dicti sunt *ascetae* (*ἀσκηταί ἀσκήτριαι*), nomine mutuato ab antiquis athletis (1). Hi igitur, qui facultatibus abundabant, bona sua pauperibus elargiebantur, plurimi, ab usu et commercio omnium segregati, solitarie vivebant, (*ἀποτάκτικοι*) ; vestes pauperiores praeeligebant (*σακκοφόροι*), saepius in castimonia (Ignat. *ἐν ἁγνείᾳ*) et continentia perfecta, etiam ex voto perpetuo, vitam transigebant. (*ἐγκρατεῖς*). Cfr. Iustin. *Apolog.* I. n. 15. 29. (P. G. 6, 350. 374.) Athenag. *Legat. pro christ.* n. 33. (P. G. 6, 966).

De excessu Pinyti, ep. Cretensis, quoad continentiae obligationem cfr. Euseb. *Hist. eccl.* IV, 23. Vide etiam Dom Conolly, contra Burkitt quoad S. Aphraaten : « *Aphraates and Monasticism* », *Journal of Theolog. stud.* Iuly 1905, p. 522 et responsionem Burkitt, ibid. Octob. 1905, p. 10.

Degebat quisque, ut plurimum, in propria domo solus, aut etiam cum contubernali *ὁμοψύχῳ*. Constituebant *τάγμα* sive ordinem, medium inter clerum et fideles, ideoque in ecclesia sacris intererant primi post clerum, post quem et ipsi, ante fideles, sacris mysteriis participabant, et, monachismo iam nato, pluribus saeculis supervixere. Cfr. Clem. Alex. *Strom.* lib. II, 17, lib. VI, VII. (P. G. 8). Constit. apost. lib. XIII, 13.

2. Virgines. — Ab ipso Ecclesiae exordio, non modo feminae (cfr. Act. XXI, 9), sed et viri multi, teste Iustino et Athenagora, se Christo dedicarunt in

(1) Vide Platonem, *De Civit.* lib. 3, edit. Didot, t. 2, p. 53 - Cfr. 1 Cor. IX, 25.

continentia absolutissima, e quibus viris, ut multa documenta genuina et antiquissima testantur, potissimum allegebantur ministri sacri; operae tamen pretium visum est seorsim quaedam indicare de virginibus sequioris sexus: namque earum institutum suis legibus circumscribebatur, diu ante formam vivendi coenobiticam in monasteriis; immo et huic novae formae supervixit aliquantulum, sicut et apud orientales schismaticos, hodiedum permanet. Cfr. Silbernagl, « *Verfassung d. Kirchen des Orients* », 1904, p. 273.

Has « *νῦμφας τοῦ χριστοῦ καλεῖν εἴωθεν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία* » ipsaeque constituunt *μέγα τεκμήριον.... τοῦ παρ' ἡμῖν εἶναι την ὀντως.... Θεοσεβεῖαν* », ut habet S. Athan. *Apolog. ad Const.* § 38, (P. G. 25, 640); iuxta b. Cyprian, *de habit. virg.* n. 3, (P. L. 4, 413), virgines sunt « flos ecclesiastici germinis... illustrior portio gregis Christi », eorum *μεγάλα ἐγκώμια* paucis sed validissimis verbis enuntiavit b. Athanasius, in celebri opusculo: « *λόγος σωτηρίας, ἢ περὶ παρθενίας* », (P. G. 28, 280, n. 24), prae omnibus in hac materia legendo.

Libelli authenticitas saepe addubitata fuit. Recentius, von der Golz (1), eam solidis et manifestis argumentis vindicavit, etiam contra rationes inefficaces cl. Batiffol, (*Röm. Quartalschrift* 1893, p. 275). Quae recentissime opposuit LAUCHERT « *Leben des hl. A. Athanasius* » p. 160, 1911, ex stylo libelli, non videntur multum attendenda; nam b. Athanasius, in dicto libello, nullum exponit mysterium fidei, ratione cujus regulam a cl. Lauchert indicatam sequi debuisset; potuit sane in hac practica manuductione virginum ad frugem vitam, diversu uti stylo.

Constituebant et ipsae *τάγμα*, seu ordinem ecclesiasticum (2), cuius indicium superest in liturgia, in officio feriae sextae in Parasceve, adhortatione tertia. « Ore-

(1) In collect. d. Harnack « *Texte und Untersùchùngen*, t. 14, fasc. 2, 1905.
(2) cfr. Origen. in Num. homil. 2, n. 1. P. G. 12, 591.

mus et pro omnibus Episcopis.... virginibus.... » ubi manifeste ut specialis ordo ecclesiasticus a populo distinctus enumerantur, ideoque in ecclesia locum privilegiatum sibi assignatum occupabant, ut docent Tertull. *De exhort. cast.* 11 (P. L. 2, 975). Constitutiones Apost. l. 2, c. 57. (1)

Non tamen eas tibi fingas ad imaginem monialium nostrarum. Assumpto enim proposito virginitatis, neque paupertatis, neque obedientiae votum coniungebant; neque Regulae professionem sensu stricto, tametsi communiter ss. Patres eas gravissime deterrent a *φιλαργυρία*, et ad elargitionem bonorum, quae habeant, provocant, sicque eas ad spiritum et consilium paupertatis promovent. (Cypr. Athan). Insuper vivebant sub peculiari cura episcoporum (Cypr. *De habitu virg.* c. 3), iunioresque senioribus, a quibus instituerentur, tradebantur (Athan. « *Vita s. Antonii* » c. 3) (2), ideo et aliquid consilii obetientiae attingebant. Vivebant in domo paterna solitariae aut cum contubernali *συμψύχῳ* (Ath. libell. cit.) nempe eiusdem propositi, et si id impossibile, aut forte periculosum, in domo ab Ecclesia conducta (3). Ibi vacabant ieiunio, orationibus certis horis persolvendis, lectioni ss. scripturarum, operibus manualibus et *φιλοξενίῳ* (4). Tenebantur sapientissimis cautelis, non modo caste sed et caute vivere; abstinere ab circumcursionibus, (Hieron. Athan. l. cit). a conviviis praesertim nuptialibus, a balneis (Cypr. *De hab. virg.* n. 18 seq. Athan. lib. cit. n. 11), a mundo et cultu muliebri (Cypr. l. c.

---

(1) Vide etiam opusc. *De lapsu virg.* c. 6, n. 24 - inter opera dubia S. Ambrosii (P. L. 16, 374).

(2) P. G. t. 26, c. 843, cfr. pariter inter opera S. Athan. vitam Syncleticae; vide S. Methodii *συμπόσιον* P. G. 18, 27, et passim.

(3) Argumento ex epist. S. Cypr. 62, n. 2, P. L. 4, 365.

(4) Lege s. Athan, libello cit. nn. 6, 7, 10, 13, 16, 17 - Vide etiam epist. 22 S. Hieronymi, n. 8, 17, 18, P. L. 22, 494 seqq. - S. Ambr. *De virgin.* lib. 3, cap. 2, 3, 5, P. L. 16, 221, seqq.

n. 5. Tertull. *De velandis virg.* (P. L. t. 2, col. 906); hinc praescribitur ipsis tunica, ependytes et maforium (= velum) nigri vel saltem subfusci coloris (Athan. lib. cit. n. 11). Ex his paucis, quae recitavi, iudicabit lector, utrum cl. Duchesne rem acu tetigerit dicendo « La vierge chrétienne, qui était restée vierge, aviat rempli l'essentiel de ses obligations surérogatoires » (1). Sublimiora quam integritatem materialem ss. Patres ambiebant *χορευτρίᾳ Χριστοῦ* (s. Athan. lib. cit. n. 25).

Huic ordini ecclesiastico, virgines aggregabantur primitus sine alia condicione aetatis quam quae natura obligationis assumendae ex se postulabat, Ecclesia respiciente potius « aetatem fidei et pudoris » quam annorum, ut habet s. Ambrosius (2). Asella quippe vix annum decimum aetatis egressa se Christo dedicavit (3). Irene, soror b. Damasi Papae, vicennis defuncta, iam pluribus annis inter sponsas Christi vixerat. Saeculo deinde IV, in Africa, statutum est ne reciperentur ante annum 25, Conc. Carth. III an. 397 = apud Gratianum can. 5, Dist. 77. Imo a tempore Leonis I, requirebatur aetas 40 annorum: cfr. apud Grat. can. 19 Concil. Agath. 506 = can. 13, C. 20, quaest. 1.

Primo et altero saeculo, virgines forte solo proposito, cum aliquo signo exteriori, absque voto expresso, se Christo dedicarunt. Verum, ut natura rei ferebat, mox formali voto se obligarunt. Huius facti testes habemus, primo: Clementem Alexandrinum (c. an. 192). Strom. III. 1: « *τὴν πρὸς Θεὸν ὁμολογίαν* »; ibid 15 « *ὁμολογήσας μὴ γῆμαι* » (P. G. 8, 1103, 1197); dein Tertull. *De virg. veland.* cap. 11 « continentiae votum »; ibid. cap. 14 « prolatae in

(1) *Origines du culte*, c. 13, p. 405.
(2) *De Virginit.* n. 39. P. L. 16, 276.
(3) Hier. epist. 24. P. L. 22, 427 - Vide epitaphium virginis Irene, inter op. S. Damasi, P. L. 13, 405.

medio et publicato bono suo » etc. (P. L. 2, 905); demum s. Cyprianum, *De habit. virg.* cap. 4. (P. L. 4, 443). — Hoc votum, prout coniectura satis fundata suadet, virgines primitus privatim emittebant: id quidem insinuat Athanasius libello cit « de virginitate » n. 9; et supponit tota argumentatio auctoris libri « de vera virginitate » n. 39-41. (1) Privata haec voti emissio semper licita permansit. Ast serius, saec. nempe V, cum episcopi coeperunt virginibus imponere maforium (velum) sollemni consecratione, cum hac veli impositione coniuncta fuit publica voti emissio, quae, si sapiam, constituebat ubique impedimentum dirimens futuri matrimonii (sic recte explicabis verba S. Siricii Papae epist. 10. cap. 1 (2), ubi de virgine velata lapsa, ait « sive *incestum* commiserit furtim, seu volens crimen protegere, *adultero* mariti nomen imposuit... ut quae sponsa Christi fuerit, coniux hominis *diceretur*... » cfr. eiusdem Pont. epist. ad Himerium episc. Tarrac. cap. 6. (3) Similiter verba epist. s. Innoc. I ad Victric. Rotom. cap. 12 (4), expressius adhuc can. 13, Caus. 27, quaest, 1 « *separentur* et numquam eis concedatur iugali vinculo religari ». Sed iste canon, quem Gratianus conc. Tribur. adscribit est prorsus incertus, licet non negarim consuetudinem iam antea hunc effectum iuridicum in quibusdam ecclesiis introduxisse: quo sensu probabiliter S. Cyprianus virginem ad matrimonium deficientem vocat « adulteram Christi » epist. 62, n. 4, et generatim de virginibus sacris dicit, epist. 60, n. 2. « membra Christo dicata, et in aeternum continentiae

(1) Inter op. s. Basilii, P. G. 30, 745 seq. - Verum auctor libri probabilius est Basilius Ancyranus (c. 360) ex medico episcopus. cfr. Cavallera, *Revue d'Hist. Eccles.* VI, 1, Lovanii, 1905.

(2) Apud D. Constant. Rom. Pont epistolae, p. 688.

(3) Ibid. p. 629, lege praecipue doctissimam notam sub litt. b. p. 755, in qua exponit, quo sensu varia conc. particularia haec verba intellexerint.

(4) Ibid, p. 754.

honore pudica virtute devota » ; licet eius mens non undequaque manifesta sit, ut patet ex epist. 62, n. 2. Basilius vero Ancyranus, cit. libro *De vera virginit*, absolute docet nullitatem attentati matrimonii « eo quod virgo libera non sit, » n. 39, « quia vivit vir eius i. e. Christus », n. 41 (1). Nec abludit, ut puto, can. 13 conc. Eliberitani (an. 306, forte 300) = can. 25, Caus. 27, q. 1 ; dum e contra mitiorem disciplinam exhibet can. 19 conc. Anchiritani (utrum Ancyrani ?) an. 314 = can. 24, cit. quaestionis.

Interdum, in non nullis ecclesiis, e coetu harum virginum, quaedam in ordinem diaconissarum assumptae sunt, etiam non observata aetate canonica 60 annorum, iuxta I Tim 5, 9. quod quidem, pro suo rigorismo, Tertullianus *de veland. virgin.* cap. 9. (Patr. Lat. t. 2. p. 902) episcopis vehementer exprobrat. Consuetudinem hanc localem, negat quidem Rhamani (2), verum eius argumenta debiliora videntur (3).

Omne lignum, omne pomum, omne frumentum, ut monet S. Augustinus, habet suum vermem : purissimi virginum Instituti fuit vermis cohabitatio non nullarum cum viro coelibe, quasi cum fratre, patre vel tutore, unde *συνείσακτοι*, *ἀγαπῆται*, subintroductae, audiunt.

Verum huius excessus nullum vestigium historicum, quod sciam, invenire est apud catholicos, duobus prioribus saeculis. Quae enim recentissime adducta sunt a dr. Knopf (4), nonnisi a viro mediocris iudicii excogitari potuerunt; sane nec hilus nec vola huius rei habetur in cap. 11, v. 11 celebris. « *Didache* » quem allegat; nec sine risu accipies alterum eius ar-

(1) P. G. 30, 746 seq. cfr. et s. Basil. 2 epist. canon. ad Amphilochium, apud Sitra.

(2) In sua editione, sic dicti « Testamenti D. N. I. Chr. », 1899, p. 164.

(3) De antiquis virginibus lege inter recentiores : cl. Wilpert « *Die altchristlichen Iungfrauen* » *in Zeitschrfit f. k. Theologie*, 1889, p. 302, et d. Schiewitz « *Das morgenländ. Mönchtum* », 1904, t. 1. § 3-7.

(4) « *Das nachapostolische Zeitalter* » 1905, p. 413.

gumentum depromptum ex. « *Herma* » Visione 2, capp. 2, 3, cum tamen expressis verbis agatur de eius uxore legitima, ex qua filios genuerat (P. G. 2, 8[illegible]8.) Multoque infelicius allegat eiusdem operis similitudinum lib. 3, similit. 9, cap. 11, tum quia tota narratio imaginaria est, tum quia paulo infra cap. 15 dicitur quaenam sint illae 12 virgines, scilicet: fides, abstinentia, etc. (ibid. p. 990, 993.)

Immanis iste abusus non auctoritate Ecclesiae Catholicae invaluit, nec umquam ab illa probatus, semper vero graviter reprobatus est ubicumque apparuit; neque fundatur, ut voluisset D. Achelis « Virgines subintroductae », 1902, in I. Cor. VII, 36 (1). Imo censet hic auctor, ibid. huiusmodi caelibes voluisse, audaci suo facto, gratiae Christi victricem potentiam demonstrare. Quae somnia, vigilanti calamo, refutavit D. Ladeuze, *Revue d' Histoire Ecclés.* VI. 1. p. 58-62, 1905.

Abusum invexerunt haeretici, et probabiliter, primi omnium, *gnostici*; de his enim diserte narrat S. Irenaeus (P. G. 7. 507,) *Adv. haer.* lib. 1, cap 6, n. 3: « alii (gnostici) valde modeste ab initio, quasi cum sorore fingentes habitare, procedente tempore, manifestati sunt, gravida sorore a fratre facta ». Similiter de Hieracitis refert S. EPIPHANIUS, *Haer.* 67. n. 2, 8 « nemo in illorum gregem admittitur, nisi virgo sit, aut monachus, aut continens, aut vidua » ; et dein concludit « ceterum ridiculi vel maxime Hieracitae sunt, ob ascititias (*συνεισάκτας*) feminas, quas cum apud se se habeant, ad quotidianum dumtaxat ministerium eas se adhibere gloriantur ». (P. G. 175, 183). Longe graviora reprehendit idem scriptor in sic dictis Origenianis, haer. 63, n. 1, seq. (Ibid. 41, 1063). Mores vero

---

(1) Vide quae iam dudum sapientissime in hunc locum scripsit Epiphanius, *haeres* 61, n. 5. (P. G. 41, 1046).

catholicorum describit auctor 2 epist. ad Virgines, sancto Clementi tributae, capp. 1 et seqq. « sub eodem tecto cum virginibus non manemus » (P. G. 1, 418). Saeculo tertio demum, pravis haereticorum exemplis necnon humana fragilitate, contaminatae sunt procul dubio etiam virgines catholicae. Verum deficientibus ad tale contubernium non defuit cura episcoporum qui eas a vesana cohabitatione retraheret et obstinatas gravissimis poenis perurgeret.

Lege, exempli causa, integram epistolam 62 S. Cypriani, (P. L. 4, 364), epist. 55 S. Basilii (P.G. 32, 402), eiusdem sancti Doctoris « *λόγος περὶ τῶν συνεισάκτων* » (ibid. 30, 841). S. Gregorii Naz. « *praecepta ad virgines* », inde a versu 96, (ibid. 37, 585), binas S. Io. Chrysostomi orationes contra turpem huiusmodi convictum, (ibid. 47, 495, 513), orationes admodum graves, ut vel ipse b. Hieronymus, acri suo stylo, nihil mordacius proferre valuit, sive in epist 22, n. 2, sive in epist. 117, quae tota hoc vitium exagitat (1).

Non igitur suo officio defuere Pastores Ecclesiae quominus exitialis cohabitatio tolleretur; sed adimpletum est verbum Domini: « Necesse est ut veniant scandala ». Matth. XVIII, 7.

3. Eremitae. — Medio saeculo tertio, novum efloruit genus ascetarum. Ingruente enim immani persecutione Decii (250), multi fideles, praecipue ex ordine ascetarum, ut tortores declinarent, in abdita montium et solitudines deserti, maxime Aegypti, recesserunt, quorum numerum adauxit persecutio Diocletiani (303), qui dulcedine vitae contemplativae illecti, etiam sedata procella, in eremo permanserunt. Alii, nulla persecutione cogente, ultro ad tale vitae genus confugerunt, ut liberius Deo sibique vacarent. Hi sunt fundatores *vitae eremiticae*. Prior omnium, quem certo cognoscamus, fuit S. PAULUS, dictus per antonomasiam *Eremita*.

---

(1) P. L. t. 22, p. 402. 953. - cfr. etiam can. 19 conc. Ancyrani (an. 314) et can. 3 conc. Nic., edit. Laughter, Lipsiae, 1898, p. 34, 37.

Natus Thebis 234, anno 250 in eremum se recepit, ibi ultra 90 annis Christo meruit, et anno 342, 113um annum agens, pie obiit et a b. Antonio sepultus est. Cfr. S. Hier. *Vita S. Pauli*, (P. L. 23, 17), et *Acta SS.* t. 1. Ian. die 10, p. 662.

4. **Monachi.** — Splendidum porro lumen, et vitae anachoreticae Patriarcha, fuit S. ANTONIUS, dictus magnus, cuius admirabilem vitam et conversationem conscripsit b. Athan. (P. G. 26, 833) (authenticitas libelli certissima est catholicis et protest.). Quae vita, ut scite observat S. Gregorius Naz., Orat. 21 : (P. G. 35, 1088.) simul fuit « *νομοθεσία τοῦ μοναστικοῦ βιοῦ ἐν πλάσματι διηγήσεως.* »

Coma, vicus superioris Aegypti, prope Heracleam maiorem, ei patria fuit, 251 ; 18 annos natus, bona paterna pauperibus erogavit et in vico natali asceticam vitam professus est. Anno aetatis 35 in regionem montanam trans Nilum (i. e. ad Orient.) se recepit ; anno circiter 55 in interiorem eremum secessit ubi, fama sanctitatis et dono curationum, multos nactus est discipulos, sicque prope Phaium (circ. 305) apparuit prima monachorum aggregatio ; (monachi = *μόνος ἔχειν*, sic dicti, eo quod discipuli b[1] Patris habitabant singuli seorsim in cellula sua, quae cellulae, vel domunculae, non multum ab invicem distabant).

Demum inde recedens se recepit ad montem Colzim (Mons Antonii, postea dictum) prope Clyoma (1), ibique alteram habuit monachorum familiam. Universim, teste Rufino, si tali viro fidas, 6000 discipulorum habuit. Obiit 105 anno vitae suae, anno 356, die 17 Januar. Vide Acta SS. in h. diem. t. 2, p. 471. Nullam scripsit Regulam. Regula dicta S. Antonii, cui universi adhaerent monachi Maronitae, sequioris est aetatis.

(1) Topographiam vide in Hist. Lausiaca (P. G. 34, 202).

Eadem aetate inclaruerunt duo alii coetus monachorum frequentissimi, quorum prior degebat in Nitria et adiacente deserto (prope Cairum, à 40 kil. du Nil). Huius antecessor fuit B. Ammun, S.ti Antonii amicus. Numerosa sane erat familia : teste enim b. Hier. Valens, a. 375, 5000 monachorum ad militiam coegit; iuxta Rufin. *Hist. eccl.* lib. II, c. 3. (P. L. 21, 511), « tria millia aut eo amplius » (1). Alter occupabat vallem Scete, interiecta colle, 14 leucis a Nitria distans versus N. W.; quem fundaverat b. Makarios senior, ex Aegypt. sup. oriundus, natus Thebis c. 300, discipulus S. Antonii c. 335, obiit 394, 395 (2).

5. Coenobitae. — Coenobitarum Pater et primus legislator agnoscendus est S. PACHOMIUS. A parentibus paganis, in Thebaide sup. prope Esneh (Latopolis), anno 294 progenitus. Post brevem militiam saecularem, qua durante ad fidem venit catholicam, 314, vitam coluit asceticam; an. c. 320 eremitae Palemoni se tyronem exibuit, a quo discedens in vicum Tabennisi (3), se recepit. Discipulos nactus, eos in unam collegit domum (ante 328 ut expresse habet b. Athan.), communibus addixit orationibus et laboribus, ipsis que praeerat tamquam pater perpetuo vigilans, docens, et ad perfectam promovens vitam.

Ecce tibi primum *κοινόβιον* (328) quod Pakhomius, non venator novitatis, sed promotor illius perfectionis quam plurimi rite assequi possent, invexit. Quo vero homines cohabitantes, in ordine, fervore spiritus et mutua charitate contineret, regulam man-

---

(1) De Nitr. lege Hist Lausiac. c. 7., de b. Ammun. ib. c. 8. Ruf. *Hist. monach.* c. 21 (P. 21. p. 413).

(2) De Makario cfr. hist. Lausiac. c. 19, sed praesertim dissertationes quae prostant a capite tomi 34. P. Gr. Quoad Scete, *Lettres édifiantes*, t. 5. p. 243., *Missions cathol.* 1882, p. 33, 54, 70 et Acta SS. ad diem 17 Octob., Acta S. Ioan. Colobo (= Le nain).

(3) Jardins d'Isis, ad rip. orient Nili, in dioecesi Tentyrae Denderah.

suetudine, virili pariter fortitudine conspicuam, prior omnium, conscripsit, discipulisque indixit (1). Quem ob finem ab eremitica ad coenobiticam vivendi rationem, se transtulerint veteres, egregie narrat in *Vita Publii*, Theodoret. *Hist Relig.* (P. G. t. 82, p. 1354), cfr. et Hier. *Ep. ad Rustic. monachum*, n. 9, (P. L. t. 22, p. 1077), et *ep. ad Eustoch.* 22. n. 35. Lege etiam 12 rationes, quas ex sent. veterum congessit, in Commentario *Reg. Benedict.*, D. Martène (P. L. t. 66, p. 259 seqq.).

Semel atque hoc vivendi genus per Aegyptum innotuit, multi eremitae sponte se ad vitam communem obtulerunt, unde affulget quanta sapientia, quanta opportunitate Pakhomius hoc temperamentum induxerit, simulque explicatur, unde brevissimo tempore, in regione caeteroquin non admodum frequentata, tot asseclas potuerit habere. Etenim praeter coenobium Tabennense, alia decem aedificavit aut aggregavit, quorum 9 viris, 2 monialibus replebantur cfr. *Hist. Laus.* c. 39 in f. Universa haec monasteria, arcto vinculo spirituali et oeconomico, inter se colligabantur. Praeerat toti coetui superior generalis, in monasterio Pheboon secundo. loco fundato residens, cui parebant superiores locales et monachi universi. Bis in anno (tempore paschali et medio augusto), conveniebant Pheboon superiores locales cum delegatis omnium monasteriorum, ad negotia communia spiritualia et oeconomica tractanda; insuper Superior gen. singulas domus per annum visitabat. Ut vides, constituebant veram congregationem sensu moderno (2). Singulae domus manebant sub

---

(1) *Regula S. Pakhomii*, interprete b. Hier. t. 23, p. 61, cfr. t. 50 p. 271 - Quae de angelo refert Histor. Lausiaca, cap. 32, fabulosa videntur, ut ostendit Schiewitz « *Das mongenländ. Mönchtum*, t. 1, p. 128.

(2) Hinc non omnino probandum videtur hoc scriptum a R. P. BASTIEN : A l'origine, les monastères étaient indépendants les uns des autres; tout au plus, pourrait-on admettre une certaine juridiction d'honneur (sic) réservée au fondateur de l'Ordre. *Directoire canon.* 2 edit. et 3. p. 6.

iurisdictione Episcopi dioecesani, et sub inspectione Patriarchae Alexandrini. Monachi non emittebant vota formalia sed professionem suam per habitus susceptionem post praeviam probationem, declarabant. Erant tantum non omnes, laici, officiis divinis ii praeerant, qui iam aucti sacerdotio accesserant; ipsa regula expresse vetabat susceptionem ordinum sacrorum sine mandato superioris (1).

Obiit b. Pakhom. an. 348, quo tempore in eius coetu vivebant 3000 religiosi, tempore Cassiani (c. 400) 5000 (Cassianus, *Coenob. Instit.* lib. 4, cap. 1) et paulo post 7000.

Vitam veriorem omnium S.ti Pakho., a monacho graeco coaevo conscriptam, habes in Act. SS. ad diem 14 Maii. Quoad historiam Pakhomii eiusque instituti, habes duo opera catholica eximia: Ladeuze « *Études sur le cénobitisme pahhomien* », Paris, Fontemoing 1898, et Schiewitz. *Das morgenländ. Mönchtum* t. 1. Mainz, 1904.

Restat ut brevissime describam ordinem quo vita religiosa in varias Orientis plagas diffusa est: de qua re consule Dom Besse, « *Les Moines d'Orient* », Paris 1900, chap. 1. *Topographie monastique de l' Orient.*

S. Hilarion, natus Tabathae, prope Gazam an. 291, discipulus S. Antonii, duobus mensibus universam eius vivendi rationem didicit. Redux in patriam, propagavit vitam religiosam per omnem Palaestinam, ut refert b. Hieron, in eius vita, c. 14 in fine. (P. L., 23, 34) Ubique floruerunt laurae (*λαύρος, λαύρα*), platea, vicus, scl. aggregatio domuncularum monachorum, in forma pagi, singuli singulis inhabitabant *μόνος ἔχειν*, non modo in Ierusalem et Bethlehem, sed et ad ora Maris

(1) Eorum disciplinam accipe a Schiewitz, op. cit; p. 176-220; eorum mores ib. 225-256, ubi doctissime refellit ignorantiam et putidas calumnias d. Amelineau, in variis fasc. *Musée Guimet*, t. XVII, XXV, et praesertim in Introductione, ad opus: « *Les moines d' Égypte* »: eorum vestes describunt: Heimbuchèr « *Die religiöse Ord.* » t. 1. p. 40., Dom Besse « *Les Moines d'Orient* »; p. 251.

interioris. Inde profectus in Cyprum, hanc vitam et illuc introduxit, unde in alias insulas, usque ad Siciliam diffusa est. Obiit 371. Celebre est monasterium monachorum, quod ad praesepe D.ni, Bethlehem, erexit S.a Paula circ. 386.

Ex Palaestina, vita religiosa propagata est in Syriam, floruit IV saeculo Antiochiae et in montibus circumvicinis. Ibi vixit solido qua driennio. S. Ioan. Chrysostomus. (De praeclaris viris huius regionis lege Theodoret. *Hist. eccl.* P. G. 82, 1190 et 1411, et Hist, relig.)

In desertum Chalcidis, hanc vitam invexit S. MALCHOS, 337, ibi vixit et eius historiographus S. Hier. c 375 : *vita S. Malch*, (P. L. 23). Inde dilatata est in Seleuciam et Apameam, unde prodiit Theodoretus episcopus Cyri. 423.

In Osrhoena floruit magnus IULIUS SABBAS, monachus et episcopus, huius vitae promotor indefessus quem cumulatissime laudant b. Hier. et b. Ioan. Chrys. Eremeticam vitam egit prope Edessam. 330 (1).

Eodem IV saeculo, Mesopotamia, aemula quadantenus Aegypti, numerosissimas continebat monachorum familias. Iis viam paraverat B. APHRAATES (c. 320), instituendo celeberrimos ascetas, continentia praeclaros : beni qjama = filios testamenti cfr. Patr. Syr. t. 1, dissert. Dom Parisot, p. XIV, sq. et sup. cit. art. *Journal. theolog.* Iun. 1915 « Aphraates and monacism »; Zöckler, Askese und Möncht. 1897, p. 182. Eos vero instituit S. Jacobus Nissiben. 350. Cfr. Dom. Antonelli, *Introduct. in opera S. Iacobi Nissibeni.*

Exinde hoc vitae genus commigravit in Persidem et Arabiam. De monachis in monte Hareb et Sinai,

---

(1) Quoad eius vitam et opera cfr. Theodoretum (P. G. 82, 1308). De diffusione ipsa cfr. Peregrinat. Sylviae, p. 64, editionis Vindob. Edessae floruit etiam monachus et Ecclesiae Dr. S. Ephrem, † 373.

lege praeclara scripta S. NILI + 431, discipuli S. Ioannis Chrysost. ibi monachum agentis (P. G. 79, 590, 694).

Versus aquilonem, in Armeniam, vitam religiosam propagavit, utique non sinceram, EUSTATHIUS, ep. Sebastenus, quondam b. Basilii amicissimus et post haec inimicus (+ 380). Verum non omnes erroribus Eustathii adhaesere, eosque laudat b. Greg. Naz. « carmine ad Hellenum » (Ibid. 37, 1471).

Vitam religiosam in Ponto et Cappadocia promoverunt S. GREGORIUS NAZIANZENUS, S. MACRINA soror S.ti Basilii et ipse BASILIUS 329-379, qui ex itinere Aegyptiaco redux, regulam conscripsit prudentia et suavitate plenam, ratione cuius recte salutatur novus et praecipuus vitae religiosae legislator in Oriente; nam et hodiedum monachi orientales omnes, uniti et schismatici, item russiaci, hanc sequuntur regulam, ab ipsaque, magna ex parte, pendet Regula b. Patris BENEDICTI, quae Occidentales monachos tot saeculis iam ad perfectionem promovet (Cfr. Vitam S. Basilii P. Gr. t. 29; cfr. et Greg. Naz. orat. in Basilium; ibid., 36, 335. Eius regulam habes in P. G. 31, 1032).

Constantinopoli, ante regnum Theodosii I, 406, rari inveniebantur monachi. Equidem, Marin, *Les moines de Constantinople,* p. 1 sqq., non dubitavit traducere Constantinum, ciusque matrem, S. Helenam, tamquam fundatores plurium monasteriorum in nova Roma, sed obstat disertum Callinici testimonium. Hic enim in *vita S. Hypatii*, magistri sui, paulo ab initio narrat: « circa annum 384 (1), nullum in illustri Constantini civitate exstitisse monasterium, uno excepto magni Isaaci, opera vero huius famuli Dei, circa 406 (i. e. inde a regno Theodos. I), plurima iam inchoata fuisse ». Contra Marin, et de vitae religiosae initiis in civitate Constant. lege Pargoire, *Les débuts du Mo-*

(1) Constantinus obiit an. 337.

nachisme à Constant. » *Revue des Quest. hist.* t. 65, 1.er Janv. 1899.

Scholion. Non defuerunt inter huiusmodi monachos qui peculiarem et extraordinam vivendi rationem tenebant. Scilicet :

1) *Inclusi :* frequentiores erant in Aegypto, ut multa exempla habes in Hist. Lausiaca, P. G. 34, cfr. v. gr. c. 43 ; in Syria, Mesopotamia, in Palaestina ; cfr. P. G. 82, 1339. 1342 etc.

2) *Hesychastes* sive Inclusi, silentium perpetuum servantes.

3) *Subdivales et Pastores*, qui nempe nullo certo utebantur habitaculo, sed sub dio vivebant, dormiebant. Pastores eiusdem generis vitam sectantes in Mesopotamia frequentiores erant in solitudine montium, Deum sine intermissione collaudantes, nec alio cibo nisi herbis crudis, vel arborum cortice victitantes. Cfr. Theodoret. *Hist. relig.* P. G., 82, 1294, et cap. 4, 1339.

4. *Sale* i. e. stulti, nempe stultitiam ex amore Christi fingentes. cfr. *Hist. Lausiac.* 41, 42. Prostat pariter in Actis SS. vita stupenda huius generis, t. 1. Iulii, p. 120-151, *Vita S. Simeonis Sali.* (cfr. P. G. 93, 1669).

5. *Acoemetes* (α priv. κοιμάω) quorum laus divina nullo somno interrumpebatur, per turnum nempe diu noctuque psallebant (Laus perennis). Eos instituit ALEXANDER + 430, sed absoluta eorum constitutio pro cedit ab Abbate Ioanne in monasterio Gomon in Bithynia ; celebre fuit etiam huiusmodi monasterium Constantinopolitanum, dictum *Στούδιον*.

6. *Stylites*, de quibus lege eruditum librum P. Hip. Delehaye, *Les Stylites*, cui addas tamen quae leguntur de Nicandro, primo omnium stylitum in P. G. 79, 249.

De vita, disciplina et pietate antiquorum religiosorum, lege : Rufinum : « Historia Monachorum » (P. L. 21, 387); Beatum Hieronymum (P. L. 23 ab initio); Aphraaten. (Patr. Syr. t. 1. Demon-

stratio 6ª, p. 271; cf. et Demonstr. 3); Palladium: « Historia Lausiaca » (P. G. 34) (1). Eodem tomo, P. G. 34, habes quae ad utrumque MAKARIUM, et ad monachos tum Nitriae, tum Scete, spectant - Evagrium, " *Rerum monachalium rationes* „ (P. G. 40), - S. Ioan. Chrysostomum: " *Adversus oppugnatores vitae monasticae* „. (P. G. 47) *Apophtegmata Patrum*, et *Paradisus Patrum Aegyptiorum* (P. G. 65); - S. NILUM (P. G. 79), - Theodoretum: " *Historia religiosa* „ (P. G. 82); - Zosimum: " *Alloquia* „ (P. G. 78); - Moschum: " *Pratum spirituale* „ (P. G. 87 bis); S. Theodorum studitam: " *Descriptio monasterii Studii* „ (P. G. 99). De schemate vel habitu monachorum; lege Dorotheum, monachum, sub finem saeculi VI (P. G. 88).

Ex his multa in unum corpus collegit doctus P. Rosweid, hoc corpus iterum edidit Migne tt. 73 et 74 suae Patr. Lat. In fine tomi 74 prostat magnae utilitatis: " *Onomasticon rerum et verborum difficiliorum, quae in vitis Patrum occurrunt* „, p. 399-515. Multa etiam, scitu dignissima, reperies in notis quibus Alardus Gazaeus, monachus Vasten. Atrebatensis, utrumque opus Cassiani illustravit (P. L. 49). Vide etiam dissertationem prooemialem, primo vol. operis Luc. Holstenii praefixam " *Codex Regularum* „. Migne illam denuo dedit (P. L. 103, 403). Plura summi pretii, tibi dabit etiam Mabillon, in suis doctissimis praefationibus ad tomos saltem priores " Analecta benedictina „.

Quoad usus monialium graecarum, videsis: « *τυπικόν* » quod, post Montfaucon, edidit Migne: Patr. Gr. t. 127.

APPENDIX: *De Regulis monasticis Orientalibus.*

§ 1. — Regulae suppositiae.

Rectissime Allatius in sua dissertatione, ad opus iam citatum, Lucae Holstenii: « Codex Regularum monasticarum », observat (Praefatio, pag. XI): « Primaria sane, et quasi fundamentalis monachorum Regula, Evangelium erat, illa inquam Christi consilia, quae... patrem

(1) Haec editio a Ducaeo primo publicata, an. 1624, quam Gent. Hervet, Rhemensis, latinitate donaverat, an. 1555, interpolata est. Puriorem textum latinum edidit Rosweid, de qua infra. Textum criticum nuper edidit Cuthb. Butler, *Hist. Lausiac. dissertat. and text*, 2. vol.

et matrem, uxorem, agros propter Christum relinquere, sicque nudos Christum sequi, suadebant. Regulae particulares nihil nisi eius primae atque universalis Regulae applicationes aut declarationes, locis et personis aptatae, habebantur. Hisce monumentis, viri sanctissimi, discipulis suis rationem aliquam certam perveniendi ad plenitudinem perfectionis, indigitarunt, ostendentes, qua puritate, discretione, et mensura consilia evangelica in vita quotidiana, et in singulis ferme mentis et corporis operibus, servarent. Quae dicta et monita, vel etiam praecepta Patrum, procul dubio ipsa ratione vivendi monachorum diversificabantur. Alia enim anachoretis, alia coenobitis congruebant. Hinc, dum verae, aut spuriae regulae anachoretis propositae praecipue vitam interiorem attingunt, exteriorem autem, quasi in obliquo ». Regulae coenobitarum integrum hominem interiorem, exteriorem, et, quia in fraternitate degebat, etiam socialem, moderantur.

1. Antiquissimum huius generis monumentum tibi exhibet: *Regula Palemonis*, secundum quam, illustrem suum discipulum, Pakhomium instituit.

Prostat in vita coptica b. Pakhomii; illam gallice reddidit Amelineau (1); prostat in extenso, apud D. Besse, *Les moines d' Orient*, p. 74. - Si genuina sit, ante annum 320 condita sit oportet, cum saltem eo tempore b. Pakh. ad Palemonem venit. Si genuina sit! mediocrem enim fidem merentur, ea quae in vitis, ab Amelinean editis, privative continentur, et in vera eius vita, graece primitus scripta, non etiam continentur. Rationes asserti, vide apud Schiewitz, *Mönchť*. § 12, p. 137-147.

2. Circumfertur *Regula S. Antonii abbatis ad Monachos*.

Prostat autem in duplici recensione: *1)* ex collectione Regularum b. Benedicti Anianensis (+ 821) P. L. 103, 423. Cf. P. G. 40, 1066, qui ex priori quodam exemplari, hausit 35, et ex alio 13, universim numeros exhibet 48; *2)* ex arabico interprete maronita Echel, numeros 80 continente.

(1) Musée Guimet, t. 17, p. 12.

Ea, procul dubio, supposititia est, cum, teste Athanasio, b. P. Antonius undequaque litteris et graecis et copticis destitutus erat. Desumpta videtur ex ipsa vita b. Athanasii, quam ut speculum et exemplar practicum diu monachi retinuerunt. Auctorem videtur habuisse monachum, et quidam Aegyptium, ut ex reg. 23, 34, 42, etc., coniectura probabili, assequimur ; item antiquissima est, cum vitam coenobiticam nondum respiciat. Vide etiam Schiewitz, Op. cit. p. 77 ; 13 posteriores regulae, iuxta recensionem B. Benedicti, communes sunt regulae Isaiae, infra n. 5.

3) Spuria procul dubio est *Regula Macarii*, quam multi maximi fecerunt, et ipsi Lerinenses, usque ad ann. c. 661, si Mabillon fidas. (*Acta SS. O. B.* t. I, 635, secuti sunt.) - Ipsa enim Hieronymum, Rufinum, Palladium et Cassianum latuit. Eius auctor, ex choro monachorum aegyptiorum fuit. Verosimiliter quae circa Macarium illi innotuerant, hac ratione digessit (P. G. 34, 967 ; P. L. 103, 447). Egregiam profecto epistolam eiusdem Macarii suae collectioni adiecit b. Bened. ibid. p. 451.

4) Circumferuntur *tres* compilationes sub titulo *Regulae Patrum.*

a) P. Gr. t. 34, col. 971 ; P. L. t. 103, col. 435 : « S. *Serapionis, Macarii, Puphnutii et alterius Macarii Regula ad monachos* ». Edicitur Coenobitis. Allegati Patres ex ordine statuunt 1) Serapion, c. 1-4 : de vita coenobitica, de uñione paterna, de abbate et obedientia ipsi debita. 2) Macarius, 5-8 : de officiis Patris spiritualis, de ordine psallendi, de receptione alumnorum, hospitis. 3) Paphnutius, 9-12 : de ieiunio, de opere manuum, de cura infirmorum, de ordine domestico. 4) Macarius, 13-16 : de pacis vinculo inter ipsa monasteria fovendo, de clerico suscipiendo, de emendatione culparum, de vitanda personarum acceptione. - Haec regula, coenobitis appropriata, re-

spicit potius praepositos, ut in munere suo rite procedant, quam subditos. Confecta videtur ad imaginem « canonum ecclesiasticorum SS. Apostolorum » *Ἰωάννης εἶπε ... Πέτρος εἶπε...* etc. - In recensione Vaticana desunt ultima 4 capita. Ex hac regula plurima mutuatus est S. Pater Benedictus.

b) P. Gr. t. 34, 977; P. L. 103. col. 441. Sine nomine auctoris; constat praefatione, et 7 praeceptis, vitae coenobiticae congruis. Habes ibi partim repetitiones ex priori, partim complementa quaedam, quoad ordinem servandum in officii divini persolutione.

c) P. Gr. t. c. col. 979; P. L. t. c. col. 443, sine Auctoris nomine. Ut in cap. 1 diserte nuntiatur, additamentum tibi exhibet ad priores iam existentes regulas. Videtur fetus latinus, et sequioris aetatis, ac duae priores, ut conicere licet ex reg. 4 et 13, quae supponunt iam in coetu multos clericos, qui certe non aderant primis monachismi initiis.

5. **Beati Isaiae abbatis praecepta,** seu Consilia, posita tyronibus in monachatu. — Fuit hic Isaias beato Antonio coaetanus, obiitque ut aiunt, pro Christo martyrium, anno incerto. Haec regula 68 axiomata, religiosis omnis generis et aetatis perutilia, exhibet. Excerpta profecto videtur ex dictis, vel etiam scriptis Isaiae quae circumferuntur. Prostat apud Migne (P. G. 40, 1105 ss.). Regula vero, in codice b. Benedicti Aniani, legitur. P. L. t. 103, col. 427.

Hae igitur regulae omnes aut apocryphae sunt, aut sanctorum consilia et effata circa vitam religiosam tantum tibi tradunt.

§ 2. - Regulae proprie dictae.

1) *Regula S^ti Pakhomii.*

Equidem ut fabellam reiicienda censemus quae, hac occasione, Palladius refert in *Hist. Lausiac.* c. 38, de Angelo qui de caelis advolans, C. Packhomio regulam aeneis tabellis insculptam tradiderit. Ratio est quia, nedum in vita Pakhomii primitiva, ulla huius caelestis et mirae communicationis mentio fiat; e contra, expresse et repetitis vicibus asseritur, ipsum beatum virum, hanc regulam constituisse, ordinasse etc., cui testimonio nullum praevalere poterit; imo non admittimus fabellam Palladii, eo quod ipse sibi aperte contradicit, dum in decursu narrationis, Angeli sui immemor, pluries asserit, Pakhomium has regulas confecisse. Nec demum b. Pakhomius transgressores regulae reprehendit, aut castigat quasi violatores legis de caelo allatae, nec de angelo legifero quidquam novit Hieronymus.

Prout nunc prostat, 194 articulis, nullo vinculo logico compactis, continetur. Verosimile est: *a*) b. Legislatorem primitus paucissima puncta, eaque urgentiora, definivisse, tractu vero temporis, prout prudentia sua supernaturali, et quotidiana experientia, admonebatur, varia addidisse; *b*) hac eadem ratione, utrumque ipsius, post Petronium, successorem (hic enim secundo iam magistratus sui mense e vivis sublatus est) Orsisium et Theodorum se gessisse videntur; ita ut, non tam quae constituit Pakhomius per se, quam codicem regularum quas Pakhomiani eo tempore observabant quo rogarunt b. Hieronimum ut graecum exemplar latine redderet, habeamus.

Ortum et progressum vitae coenobiticae sub b. Pakhomio, alias descripsi. Arbor haec fecundissima, 50 annis post obitum b. Patris (346), ramos suos ad Alexandriam usque iam extenderat. Canopeum enim coenobium ortum habuit versus

400. Cum autem ad hoc coenobium confluerent plurimi Latini, et lingua Coptica, qua Pakhomius regulam digesserat inexpertes, necnon lingua graeca in quam iam dudum translata fuerat, ignari, ipse Sylvanus presbyter, b. Hieronymum rogavit, ut exemplar graecum latinitati donaret. Quod libenter egit, paulo post, an. 404, i. e., ut ipse refert in Praefat. ad Reg. S. Pakhomii, paulo post dormitionem sanctae Paulae, quae in dictum annum inciderat.

Prostat igitur haec regula inter opera b. Hier. P. L. t. 23 col. 65, cui adiecit translationem reliquorum S. fundatoris operum.

Haec regula, ut legenti statim patet, asceticam fortitudinem, mira mansuetudine et eximia discretione ita temperat, ut onus et iugum monasticae conversationis humeris multorum coaequet. Ideoque b. Pahhomius verissime primus monachorum legislator celebratur, a quo posteriores omnes hauserunt, ut de S. Basilio, et de Beato Patre Benedicto in comperto est; immo regulae 20, 33, 47, 56, 57 et 86, 94, 106 in nostram transierunt domesticam disciplinam.

Huic regulae iure subnecteres tamquam legitimam ipsius interpretationem, doctrinam Orsiesii, b. Pakhomii successoris, quam videsis: P. Gr. t. 40. col. 869.

2) *Regulae S^ti Basilii.*

Exstant sub duplici forma:

a) *Regulae fusius tractatae*, *ὅροι κατὰ πλάτος*. (P. G. 31, 389 ss.). Haec pars 55 regulis absolvitur, quibus maxime disciplina monastica exterior et visibilis regitur.

b) *Regulae brevius tractatae*, *ὅροι κατ' ἐπιτομήν* (P. G. 31, 1037) in quibus partim principia vitae perfectioris traduntur, partim casus particulares e superioribus enati resolvuntur. Sunt universim 313 regulae huius serici.

Utrumque opus fetus genuinus S. P. Basilii agnoscendum est - cfr. argumenta Ioannis Garnier, O. B. (P. G. 31, 1614). In utroque opere, procedit: *κατ' ἐ-*

ρώτησιν καὶ ἀπόκρισιν, per interrogationes et responsiones. Observantiae quotidianae in neutra consignantur: hae enim de ore ad os transmittebantur, nullo adhuc consuetudinario scripto; observantias dico, quae pertinent ad modum et ordinem psallendi, ad laborem manuum, formam vestimentorum, quantitatem et qualitatem ciborum et ad correctionem culparum, etc.

Hisce regulis, fatente Greg. Naz. orat. 20 in S. Basil. « et sensus omnes castigabat, et membra omnia componebat, et veram virginitatem servare admonebat ». Elucet in ipsis sapientia et discretio mirabilis, genuinum informant paupertatis, castitatis et maxime abnegationis internae et obedientiae sectatorem. Tota ferme eorum vis in hac utraque virtute abnegationis et obedientiae constituitur; suavitas et prudentia in eo, quod mensura qua singuli urgendi et promovendi sunt, relinquitur prudenti superioris iudicio, a cuius nutu omnes vult pendere, illa aviditate iussionem senioris quaerentes, qua infantulus fame confectus ubera nutricis ambit. Exinde intelligis, cur omnes posteriores monachorum institutores, Legiferum Patrem ut proprium doctorem venerati sint. Abunde b. Basilium laudavit b. Benedictus, cum in fine propriae Regulae B. Basilium nominavit suum « Patrem spiritualem ».

Vivente adhuc Basilio, hanc regulam amplexi sunt omnia Ponti et Cappadociae, tum virorum cum mulierum, coenobia, imo pedetentim ea universum Orientem monasticum contribulem sibi fecit, exclusa omni alia, in iis regionibus regularis vitae forma. Ea ipsa hodiedum vivunt quotquot Oriens et Occidens Basilianae familiae numerat membra; adiectis paucis successu temporis, et variato interdum pro locis et condicionibus diversis, consuetudinario.

Rufinus regulam b. Basilii latinis exhibuit in eorum linguam eam vertens, ast hic vir, pro sua incondita temeritate qua in multis usus est, utramque regulam tumultuarie in unam con-

flavit; immo plurima, pro arbitrio, ex illis abiecit. Sic igitur, ex Rufini manu, Occidentales acceperunt regulam unicam 203 quaestionibus et totidem responsionibus constantem. Hancque unicam b. Pater Benedictus et reliqui occidentales prae manibus habuerunt. Prostat in codice b. Benedict. Anian. (P. L. 103, 487 ss). Demum saec. XVIII, an. 1722, Ioannes Garnier, O. B., editione sua Paris. Operum S. Basilii, huius sancti Patris regulas sinceras restituit mundo.

c) *Ἐπιτιμία*, seu codex poenarum quibus mulctandi sunt regulae transgressores: *a)* viri, 60 articulis; *b)* canonicae, 19 articulis mulctantur: hoc opus inter dubia Basilii relinquitur in P. Gr. t. 31. col. 1306-1315.

d) *Constitutiones monasticae* seu asceticae ad eos qui simul, aut solitarie vivunt, constant 34 capitulis, quorum 17 priora per prius anachoretis edicuntur, reliqua autem coenobitis. P. Gr. t. 31. col. 1321-1427.

Hoc opus veteres, cum doctissimo Theodoro Studita, scriptore saec. IX, acriter Basilio vindicarunt; moderni e contra magis magisque in consensum abierunt abiudicandi illud S. Patri. Nec spernendae sunt horum rationes, quas optime evolvit Ioannes Garnier in Praefatione ad opera Santi Basilii (P. G. 31, 84 ss). Alius enim spiritus Constitutionum, alius Regularum. Hac enim reiciunt ut invalidiorem statum anachoreticum, cfr. reg. fusior. c. 7; constitutiones, data opera, per 17 capita illum fovent; stricta est et, ut decet virum in perfectionem enitentem, severior Regularum mens; mitior, commodior mens constitutionum, imo si legeris huius operis c. 7. n. 2. t. cit. col. 1366, iure cum Garnerio censebis " Constitutionum auctorem ita indulgentem fuisse, ut etiam rationis fines transgressus sit „ et ideo minime a b. Patre prodiisse has constitutiones.

Quod si curiosior ulterius quaeras, cuinam igitur auctori Constitutiones monasticae adiudicandae sint? Argumentis probabilibus tibi Ioannes Garnier indicat Eustathium Sebastenum quondam Basilii amicum et in fine inimicum, ut se habet mortalium cor versatile. - Cum autem non sit huius loci quaestionem hanc fusius evolvere, adeas cit. auct. in P. Gr. t. 31. col. 119-132.

Complementi causa iuvat haec praeterea meminisse:

3. *Regula Orientalis* dicta est, collecta a Vigilio diacono : constat 47 articulis, quos ex regula S^ti^ Pakhomii plerumque desumptos fuisse primo intuitu constat : ipsis namque verbis pakhomianis, utitur auctor (P. L. 103, 477 ss.).

De hoc opere Gennadius « Script. Eccl, » c. 51, (P. L. 58). « Vigilius diaconus composuit ex traditione Patrum, monachorum regulam, quae in coenobio ad profectum fratrum in conventu legitur, breviato et aperto sermone totius monasticae professionis in se tenentem disciplinam ». Vixit quidem hic Vigilius saec. V. sed cuiusnam ecclesiae diaconus fuerit, ignoratur, ignoramus et patriam ipsius, licet probabili coniectura eum Gallum credamus, si utique vera sint, quae in Annalib. Trevirens. Christophori Brover, lib. VII leguntur, in apologiam monasterii S^ti^ Maximini Treviris. Erecta fuit ibidem religio christiana monastica, sub « Regula Orientalium monachorum ». Quae si ita se habeant, Regula nostra Orientalis dicitur, tantum ratione fontium e quibus compilator eam hausit, minime vero ratione personarum quibus ea lex fuit.

4. *Syntagma doctrinae* *συντάγμα διδασκαλίας* (P. G. 28, 1642) plura, quae omnino huc faciunt, tibi exhibet, maxime rationem qua ascetae, anachoretae et coenobitae consilium paupertatis servant.

Quoad monachos qui montem Sinai, vastissimam ipsi adhaerentem eremum incoluerunt, nescimus an et qua Regula vixerint. Admirabilem eorum vivendi formam tibi exhibet eleganti calamo praecipuus eorum, S. Nilus in tertia narratione, P. Gr. t. 79, col. 614-626.

5. Vide demum, si placet, *τυπικὸν τῆς κεχαριτομένης*, seu « Regula monasterii gratiarum plenae » quam primo edidit Montfaucon O. B. et recepta est in P. Gr. t. 127. Multa ibi circa graecarum monialium usus et observantias, alias incognita.

De condicionate iterata consecratione particularum dubie consecratarum.

I. **Status Quaestionis.** — Quaestionem non novam, sed usus non infrequentis, et quam probatus ceterum scriptor aliquatenus obscuram fecit, pro merito tractandam suscepimus.

Species facti. Non ita raro accidit ut celebrans qui, simul cum hostia maiore minores hostias, seu particulas, consecrandas habebat, quadam oblivione vel animi distractione deceptus, de extensione consecrationis ad particulas pyxide contentas, dubitare queat. Id, v. g. eveniet, si pyxidem istam extra ipsum altare proprie dictum, reliquerat: qui casus a SUAREZ (*De Eucharistia,* disp. 43, sect. 6 ad verba: sed obiciet) et a BENEDICTO XIV (*De S. Missae sacrificio* L. 3, c. 18, n. 6), considerabatur; vel si mere extra corporale, supra tamen altare posuerat: qui casus a S. ALPHONSO, (L. 6, n. 217), et, propter S. Alphonsi auctoritatem, a non paucis cum priore aequiperatur..

Huiusmodi oblivio interdum valde molesta esse potest, ut si in peregrinatione multi sacra dape refici cupiebant, nec tempus habeant exspectandi aliam consecrationis occasionem.

Hactenus tamen non aliud a theologis moralistis remedium indicabatur, nisi ut ex alia ecclesia hostiae consecratae sumerentur, vel in altero sacrificio, condicionate hostiae maiori consecrandae adiungerentur. Distributio enim hostiarum dubie consecratarum numquam, propter periculum idololatriae, permittitur; nec altera consecratio in eadem Missa iudicabatur honeste fieri posse. Sic, post LACROIX, L. 6, Parte I, n. 448, S. ALPHONSUS, L. 6, n. 217; sic BENEDICTUS XIV,

De sacrosancto Missae sacrificio, L. 3, c. 18, n. 6; sic omnes.

Nuper autem P. NOLDIN, b. m. in tomo III, n. 118 suae *Theologiae moralis*, difficultatem omnem sustulit solutione tam simplici ut mirareris eam vel veram esse vel nondum a tam multis qui de re scripserunt, repertam fuisse. Postquam enim hactenus receptam de dubie consecratis particulis sententiam rettulit, haec praeterea, quasi res plana sit, affirmat: « Licet etiam post consecrationem sive hostae maioris, sive calicis, verba consecrationis super eas proferre, quia sic non inchoatur novum sacrificium ».

Operae pretium est ut, in loco ad quem ipse nos remittit, i. e., n. 103 eiusdem operis, rationes sententiae perpendamus. Ab hoc initio proficiscitur. Certo valida est consecratio unius speciei sine altera. Rationem enim sacrificii a ratione sacramenti distinguere oportet. Namque, si vix non certum est, ad ipsam sacrificii eucharistici essentiam, consecrationem utriusque speciei requiri, ratio tamen sacramenti in eucharistia consecrationem utriusque speciei minime postulat. « Quare, una species, sine altera absque dubio valide consecrari potest ». Verum, ut ratio ista quidquam efficeret, nonne supponit distinctam aliquo modo a potestate sacrificandi potestatem consecrandi sacerdotibus collatam esse? Quid igitur si, ut ait R. P. DE LA TAILLE, *Mysterium Fidei*, p. 457, « eucharistia non est sacramentum, nisi in quantum est sacrificium »? i. e. si, quod LUGO affirmat communiter doceri, Christus ita instituit hoc sacramentum « ut simul instituerit illud in ratione sacrificii, nec voluerit fieri sacramentum sine sacrificio, nec sacrificium sine sacramento; nec sacerdotibus dederit duas potestates disparatas, sed unicam ad sacrificandum et consecrandum, ita ut neque extra sacrificium consecrare

possent, neque absque consecratione possent sacrificium offerre, ut probat cum aliis SUAREZ, D. 43, sect. 3 dico primo »? Sane non immerito scripsit S. ALPHONSUS. L. 6, n. 196 « Probabile est non fieri sacramentum nisi in sacrificio, ad quod... necessario requiritur consecratio utriusque speciei ».

Difficultatem istam fortasse persentiens, P. NOLDIN, ei, in sequentibus lineis, hoc modo respondere conatur. « Etiam si dicatur ad validam consecrationem requiri intentionem offerendi sacrificium, » haec intentio numquam sacerdoti, deest: « qui enim consecrare intendit ut alias consecravit seu ut Christus instituit, intentionem habet sacrificandi quantum potest, i. e. saltem inchoandi sacrificium ». Quo loco fere exscribit dicta a LUGO, l. c. n. 104. Sed si consideratio ista valida est pro casibus in quibus S. Alphonsus cum aliis existimat unam consecrationem sine altera licitam fuisse propter errorem invincibilem, vel improvisum eventum quo altera consecratio omnino prohibeatur, prorsus infirma nobis videtur quando ipse sacerdos, conscio modo, unam tantum speciem sine altera conserare intendit. Etenim initialis sacrificandi voluntas certe eum non deficit qui, binas species consecrare volens, subinde involuntarie altera peragenda impeditur. Sed, si utraque consecratio est sacrificio essentialis, sacerdos qui iam ante consecrationem sub specie panis, alteram consecrationem excludit, ne initialiter quidem sacrificat.

Quocirca, propter probabile dubium de ipso consecrationis valore, S. ALPHONSUS, L. 6, n. 196, declarat numquam in praxim deduci posse sententiam quae existimabat Papam permittere posse ut una tantum fieret consecratio.

Alteram dubitandi rationem de validitate consecrationis quam NOLDIN faciendam suggerit colligimus ex opere R. P. DE LA TAILLE, *Mysterium Fidei*. Non

paucos enim ibi allegat scriptores qui cum SCOTO existimant ad valorem consecrationis non sufficere ut formula consecrationis recitetur, sed praecedentia verba narrativa : « Qui pridie quam pateretur », vel aequivalentia omnino pronuntianda esse, ut sensibiliter constet verba essentialia : « Hoc est corpus meum » in persona Christi pronuntiari.

Nonne tamen magis efficax argumentum P. NOLDIN mutuari potest ex ipso *Rituali*, quo iubetur sacerdos qui materiam dubiam consecrarit, apponere materiam certam quam absolute consecret? Nullatenus. Tunc enim agitur de perficiendo inchoato sacrificio ; si prior consecratio invalida fuit, altera omnino requirebatur ut haberetur sacrificium completum ; dum in nostro casu, consecratio ista particularum ad integritatem sacrificii nihil refert. Id etiam fatetur R. P. GARDETTE, qui in *Nouvelle Revue Théologique*, 1924, p. 381, probabilitatem sententiae P. NOLDIN contra nos tuetur. Verum ipse hac altera ratione movetur, particulas istas dubie consecratas, saltem vi determinationis celebrantis ad sacrificium praesens pertinere, maxime si certo oblatae fuerint (1).

Haec tamen frustra urgeri existimamus. Etenim oblatio de qua sermo fit ea est quae ad offertorium recitatur. Haec autem est mere caerimonialis ; fit ut, etiam ex parte hominum offerentium, grata Deo sit essentialis oblatio sacrificii, quae in ipsa consecratione necessario perficitur.

« Ipsa immolatione sacramentali... involvitur ac peragitur vera nostra oblatio demonstratae hostiae » (*Mysterium Fidei*, p. 303).

Quare, cum sit sacrificio essentiali extrinseca, nullatenus efficere potest ut materia quae in priore

(1) « La matière probablement consacrée, surtout si elle a été certainement offerte, fait partie du sacrifice présent, sinon par nécessité, du moins par détermination du célébrant ».

consecratione non fuit consecrata, ita maneat conserabilis; et ad peractum sacrificium nihilominus pertineat. I. e. in priore consecratione, vel particulae fuere consecratae, ut tunc iterata condicionate consecratio est omnino inutilis; vel non fuere consecratae; et tunc iterata consecratio est necessario inchoatio alterius sacrificii.

An dices propter intentionem celebrantis utramque consecrationem moraliter uniri ita ut non novum sacrificium inchoetur?

In theologicis argumentis caveamus a fallacia verborum, quale vocabulum *moraliter*. Moraliter quidpiam fit vel habetur, quando fit vel habetur in existimatione hominum, praesertim quando physice non est factum vel habitum. Sic moraliter uniuntur verba, actiones, quamvis in se sint separata. Sed ut res possint sic intentione coniungi, necesse est ut sint sub imperio et dominatu coniungentis intentionis. Dominatus iste habetur circa actiones nostras humanas, unde fit ut una actionum series unum tantum actum bonum vel malum constituere queat. Sed in casu praesenti agitur de *opere operato* consecrationis quod humana voluntas instrumentaliter quidem efficere potest vel non potest, sed cuius significationem et vim adulterare nequit. Nequit ergo efficere ut completa iam consecratio aliqua celebrantis intentione vel determinatione novum complementum accipiat.

Retinenda igitur sunt haec verba LACROIX, L. 6, P. 2, n. 243: « Si sacerdos in missa, post consecratam maiorem hostiam; ante consecrationem calicis advertat appositas fuisse minores hostias consecrandas, de quibus intentionem non habuerit, non potest super has minores repetere formam, quia sic poneret duo sacrificia, et eadem die bis celebraret, nam et minores hostiae non haberent se per modum unius materiae totalis consecrandae; prior enim consecratio fuisset completa in maiore hostia, et minores terminarent unam novam totalem

consecrationem, neque una harum consecrationum de se esset referibilis ad alteram ; si autem aliquid sciverit de appositis hostiis minoribus et postea dubitet, an intentionem sufficienter extenderit etiam ad illas, agendum erit secundum dicta par. 1, n. 448 (tales hostiae erunt de novo in alia missa sub condicione consecrandae). Quod si dubitaret de valore consecrationis maioris hostiae, quamvis certus esset de invaliditate consecrationis minorum, posset repetere formam cum intentione condicionata circa maiorem et absolute circa minores, et tum omnes haberent se per modum unius materiae ».

De sententia P. NOLDIN, ephemeris « *Ami du clergé* », 1913, p. 382 dixit se non audere declarare improbabilem sententiam auctoris tam prudentis ». Quae verba, sane honori sunt bene merito P. NOLDIN, nullam tamen probabilitatem extrinsecam isti sententiae adiciunt. Contra, in Periodico *Bogoslovsk Venisk*, P. BOCK, S. I. mirabatur sententiam istam adhuc in postrema editione P. Noldin servatam esse. Ac re vera, cum nec auctoritate nee, ut nobis videtur, ratione commendetur, et dubia sit ipsa consecratio condicionate interata, *censemus eam tuto adhiberi non posse*.

De anticipata Missae applicatione.

I. **Status Questionis.** — Duplex esse potest anticipata applicatio. Vel enim agitur de applicatione pro necessitate futura, vel de applicatione pro necessitate praesenti quidem, sed Missa nondum petita ab auctore stipendii.

II. **De applicatione pro necessitate futura.** — Fuere qui satis absolute negabant applicationem valide fieri posse pro necessitate nondum exsistente, quia effectus Missae suspensus manere deberet, quod fieri nequit cum agitur de effectu ex opere operato. Sic LACROIX, *Theol. mor.* L. 6, p. 2. n. 222. Sed effectus

impetrationis ab effectu satisfactionis hic accurate secernendus est. Sane, non magis quam quod paenitentia sacramentalis poenas futurorum peccatorum expiare posset, Sacrificio Missae obtineri potest venia de peccatis nondum commissis. « Non est conveniens providentiae modus, ait SUAREZ, In 3 P. S. Thomae, d. 79, s. 10, in fine, ut ante commissam culpam sit iam veluti satisfactum pro poena; alias quodammodo posset postea impune peccare, nec culpa postea commissa facere proprie dignum poena quia inveniret iam solutam ». De cetero, cum Deus futura cognoscat, videndum est utrum necne petitio rationabilis demonstretur. Sic, si immediate petas sanationem a morbo quem nullatenus timendum habeas, id satis a rationabili more humano alienum videbitur. Quo sensu intellegimus dicta a S. ALPHONSO, L. 6, n. 337, Missam peti non posse pro necessitate futura, pro liberatione a carcere, ab infirmitate, si nunc fueris liber et sanus. Sed liberatio a malo futuro in genere profecto peti potest. Ac potest etiam quis petere a Deo ne tali morbo inficiatur; quod si infectus fuerit, ut ab eo incolumis evadat. Tunc, ut ait CAPPELLO, *De Sacramentis* III, I. 604, nihil suspenditur; sed nunc iam auxilium pro necessitate futura conceditur.

III. **De applicatione Missae nondum petitae.** — Cum non nulli, stipendio carentes, voluissent Missam anticipate offerre pro primo qui stipendium petiisset, iubente CLEMENTE VIII, de recenti ista consuetudine Hispaniae « in S. Congregatione primum de ea actum fuit diligentisrime, ac dein relatum ad Sanctitatem Suam, quae, ex eiusdem Congregationis sententia, huiusmodi consuetudinem tamquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis et offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiae more nimis abhorrentem, explosit, ac improbavit » (apud

BENEDICTUM XIV. *De S. Missae sacrificio*, L. 3, c. 22, n. 10, qui addit Congregationis sententiam a Paulo V fuisse per litteras ad universos episcopos promulgatam).

Responsio ista locum dein dedit controversiae, utrum applicatio sic anticipata esset solum illicita an etiam invalida. Ac periculum nullitatis saepe subesse docebat LACROIX, l. c. et post eum S. ALPHONSUS, L. 6, n. 337.

Simul tamen S. Doctor haec addebat: « Bene tamen advertit (Contin.) Tournely cum Vasquez, Aversa et Quarti, quod si sacerdos praevideat quod postulabuntur missae pro aliquo defuncto, bene potest eas nunc offerre, et deinde stipendium percipere, quia, hoc casu, iam offerrentur pro persona determinata ».

In hoc rerum statu, Codex promulgatus est. Canon 825 varias de stipendiis prohibitiones promulgat ut generales. Inter eas prima ita effertur: « Numquam licet: 1° Missam applicare ad intentionem illius qui applicationem, oblata eleemosyna, petiturus est, sed nondum petiit, et eleemosynam postea datam retinere pro Missa antea applicata ».

Nihilominus in 12 editione NOLDIN III, n. 179, 2, adhuc legitur: « Si sacerdos praevidet futurum esse, ut missae postulentur e. g. pro aliquo defuncto, potest statim eas offerre et postea stipendium pro oblatis accipere: applicatio enim valida et licita est, utpote facta pro determinata persona ».

Verba ista fere iterant verba mox citata S. ALPHONSI. Nisi quod casus defuncti mere ponitur ut exemplum, ita ut latius pateat textus Noldin quam textus S. Alphonsi. Citatis autem Canonis verbis satis directe opponitur. Sed cum nulla allusio ad istum canonem fiat, dixeris eum attentionem scribentis novam editionem fugisse. Scriptum tamen in Noldin probat P. GARDETTE in citato art. *Nouv. Revue Théol.* dum P. CAPPELLO, *De Sacramentis*, I, n. 604 fine,

existimat hanc doctrinam, « attento praescripto cit. canonis 825, 1°, nullatenus sustineri » posse.

Ac re vera Codicis redactores doctrinam tam practicam S. Alphonsi ignorare non potuerunt. Verbis igitur universalibus eam exclusisse dicendi sunt. Ceterum ipsa ratio idem demonstrat. Aliud enim est dicere missam pro stipendio, aliud celebrare pro intentione quae dein erit stipendio petita. In priore casu, offerens stipendium peculiarem partem habet in missa quae celebratur: est inter primarios offerentes (1). In altero casu, nullam partem habuit in missa quae dicta est. Haec gratis celebrata est. Integrum sane est ei qui stipendium offerre volebat, iam dono dare pecuniam quae missae offerendae destinabatur, sed, nisi praemonitus consentiat, non licet, incolumi iustitia, tamquam stipendium retinere quod stipendii rationem habere iam non potest. Quare, in *Theologia morali,* III, n. 297, 3. sententiae S. ALPHONSI iam non potuimus adhaerere. Quia tamen, quo citius missa pro defuncto celebretur, eo citius ei suffragia efficacia applicantur, hanc viam mediam ineundam duximus, ut post Missam sic utiliter pro defuncto celebratam, celebrans rem narret stipendii auctori qui celebrationem ratam habere potest, et sic gratuita largitione pecuniae quae missae destinabatur, zelum ipsius celebrantis remunerabit. Nec AERTNIJS-DAMEN, II, 203; nec GÉNICOT-SALSMANS, II, 224, 4, exceptionem prohibitioni Codicis apponunt.

---

(1) « Oblatores... munerum seu erogatores stipum, ait R. P. **de la Taille,** *Mysterium Fidei,* p. 342, sunt cum procurato a se sacrificio prae ceteris non procurantibus specialius atque propius intimiusque conexi; proindeque etiam magis afficitur sacrificium illorum oblatione, magisque interest eorum fervor et devotio in efficacia sacrificii cumulanda ».

De s. Communionis loco.

Dubium. - Cum communio ad aegrotum deferretur, non nulli astantes, qui lectum circumstabant, occasione uti voluere ut ipsi sacra dape reficerentur. Quod cum sacerdos negaret fieri posse, ab alio de nimia severitate reprehensus est: nullum enim allegari posse decretum quo id prohiberetur.

Resp. Verum est nullum reperiri decretum quo sanis formaliter vetetur se infirmo qui in privata domo aegrotet adiungere ad communionem recipiendam. Sed c. 869 definit quo loco s. communio distribui possit. Exigit autem locum quo s. Missa offerri possit. Iam vero, in privata domo non potest sine indulto vel privilegio vel speciali Ordinari concessione s. Missa celebrari. Neque opponas circumstantiam ss. eucharistiae iam delatae ad infirmum. Etenim, ante decr. *S. R. C.* 8 maii 1907, in oratorio privato solis indultariis communio porrigi poterat, ita ut minime a iure canonico alienum sit facultatem dandi communionem in definito loco quibusdam personis circumscribi. Itaque, quod aegroto fas est, non est in eodem loco fas personae sanae. Sed cum nulla dispositio extendat ad sanos praesentes facultatem recipiendi s. communionem quam habet infirmus, ipsa facultas neganda est. Ceterum, nullatenus usu receptum est ut, in privata domo, sani se adiungant aegrotis ad recipiendam s. communionem. Consuetudo autem est optima legum interpres. Donec igitur quaedam S. Sedis declaratio istud non permiserit, sani abstinere debent recipienda communione extra oratorium.

De exclusione a renovandis votis, ex c. 637.

Status quaestionis. - Vi c. 637, non solum professus a votis temporariis, expleto votorum tempore,

libere potest religionem deserere; sed etiam religio ob iustas ac rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen, per se, ratione infirmitatis. Quaeritur iam quisnam Superior ius istud religionis exercere queat.

Resp. Cum Codex nihil definiat, rem definiendam permittit Constitutionibus. Quid autem si Constitutiones de re sileant?

Nostra sententia, ius tunc est istius Superioris cui spectet religiosum ad novam professionem admittere. Admissio autem non fiet sine petito Consilii suffraggio. Non tamen opus esse arbitramur ut Superior, qui secretas rationes habere potest cur professus non sit iam ad nova vota admittendus, ipsum Consilium interroget. Quare, ista exclusio bifariam fieri poterit, sive a solo Superiore cum Consilio.

Quid autem apud *Moniales?* Ex c. 647, dimissio religiosae a votis temporariis decernitur ab Ordinario loci, vel a Superiore regulari, postquam monasterii Antistita fidem de causis scripto fecerit. - Verum hic non agitur proprie de dimissione. Putamus igitur exclusionem a votis renovandis ab ipsa Antistita fieri posse. Ad eam enim spectat admissio; ceterum recursus ad S. Sedem minime negatur, si repulsa nimis arbitraria iudicetur.

De utili tempore faciendae electionis

Quaestio. - Canon 161 vult ut electio ad vacans officium intra trimestre utile peragatur.

De canone isto quaeritur 1. utrum etiam in electionibus quas capitula religiosorum vel religiosarum peragunt canon iste servandus sic necne; 2. num electio a capitulo poste lapsum trimestre facta, necessario

invalida sit, etiamsi Superior iure suo providendi usus non fuerit, ita ut munus vacans manserit.

Resp. Ad 1. Si agitur de religione clericali exempta, nullus dubitandi locus esse potest. Electores enim tunc proprie dictum officium conferunt, cum Superior electus iurisdictione muniatur. Capitulo autem Sororum vel Laicorum atque etiam capitulo religionis clericalis non exemptae proprie dictum officium non confertur, cum nulla potestas sive ordinis sive iurisdictionis muneri Superiorissae vel Superiori instituti non exempti annectatur (Cf. c. 145). Verum c. 507 § 1 vult ut in electionibus quae fiunt a capitulis religiosorum vel Sororum ius commune servetur, quale c. 160-182 describitur. Proinde, id non est ambigendum: capitulares electiones per se intra trimestre utile faciendae sunt.

Ad 2. Solutio istius quaestionis ex solo c. 161 colligi nequit; nihil aliud statuere videtur nisi istud: Superior ibi designatus muneri vacanti libere providere potest. Verum, si, ut facere debemus, recurremus ad interpsetationem ante Codicem receptam, auctores unanimi ore, pronuntiant capitulum, post elapsum trimestre utile, ipso eligendi iure decidisse, ita ut electio postea facta sit nulla propter defectum competentiae. Cf. ASC. TAMBURINI, *De iure Abbatum* I, Quaer. 7; SANTI, *Praelect. iuris can.* I, 6, 24; WERNZ *Ius Decretalium*, II, 386. Ne tamen statim nullam pronunties electionem serius peractam. Ipse enim c. 161 diversam iuris dispositionem praevidet et admittit. Nihil autem nos cogit ut exceptionem istam soli iuri scripto permittamus et vim aliter statuendi a consuetudine abiudicemus. Quotiescumque igitur dilatio electionis vel expresso Constitutionum textu vel legitima consuetudine explicari potest, valor electionis nequit, nostra sententia, ob elapsum trimestre pro incerto haberi.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De propagatione et diffusione vitae religiosae. Synopsis historica

A. P. STEIGER, S. I. b. m. conscripta.

CAPUT. III. — *De ortu atque progressu vitae monasticae et religiosae in Occidente.*

Articulus 1. Ante S. Patrem Benedictum

Roma suos habuit ascetas, inde a saeculo III. Fuerunt et illa aetate in partibus occiduis varii anachoretae et inclusi. Verum b. Athanasius, tum Treviris ubi exsulavit an. 335 - 338, tum Romae, quo venit an. 340, una cum monachis Isidoro et Ammun, maxime demum admirabili quam scripsit vita S. Antonii, Occidentalibus vitam monasticam quadamtenus revelavit; nec sine fructu, ut ostendit b. Hieronymus ep. 47 et 127, nam b. MARCELLA non erubuit profiteri, quod Christo placere didicerat, primumque romanum monialium instituit monasterium, c. 350.

Vita communis in occidente auctorem habuit S. EUSEBIUM Vercellensem. Ex asceta Romano episcopus Vercellarum creatus est, 340. Teste b. Ambrosio, primus in Occidentis partibus diversa inter se coniunxit, ut in civitate positus, instituta monachorum teneret et ec-

clesiam regeret. Communem cum suis clericis egit vitam, iique cum ipso clericatu professionem vitae communis spondebant, nempe « eosdem constituit clericos quos monachos ». In exsilium actus a. 355, invisit monachos Palaestinae, Cappadociae, et demum Aegypti ; redux an. 363, ex eorum experientia propriam rexit familiam. Eusebius + 371.

Mediolanensi in suburbio, b. Augustinus (Confess. VIII, 6) viderat « Monasterium plenum bonis fratribus, sub Ambrosio nutritore ». Ipseque b. AMBROSIUS + 397, suis exhortationibus, et scriptis « de Virginitate ad Marcellin. sororem, de Institutione virgin. etc., (P. L. 16) », plurimos ad hoc vitae genus illexit (1).

Nec pauciores attraxit b. HIERONYMUS. Solidum quinquennium transegit in deserto Chalcidis 372-377. Romam accersitus 382, lectissimis utriusque sexus christianis Patrem spiritualem se exhibuit, e quorum coetu multi vitam amplexi sunt monasticam; et b. Paula, apud praesepe Domini, monasterium erexit monachorum (ubi e vita excessit b. Hier.), et magnum (triplex scilicet) monialium asceterion. Quot vero S. Doctor suis scriptis, epistolis imprimis, Christo in via perfectionis sequaces conquisivit, quis enarrabit ? Nullam edidit regulam, tametsi sub ejus nomine quaedam circumfertur. + 420.

Ut b. Eusebius Vercellis, ita b. AUGUSTINUS Tagastae et Hippone, cum clericis suis communem et regularem duxit vitam ; una domus eos continebat, eidem assidebant mensae, bona privata nullus poterat possidere, clausuramque tali lege observabant ut nulla omnino femina intra domum reciperetur. Vota formalia (2), omnibus perpensis, censeo eos non emississe,

(1) Patr. Lat. t. 16.

(2) Nec obstant quae referuntur in cān. 11, § 2. Caus. 12, quaest. 1 Verba enim, quae ibi in votum obedientiae sonare videntur, Correctores Romani

excepto voto vitae communis: id enim sonant celeberrima S. Doctoris verba in serm. 375 (P. L. 39, 157, 3): « professus est (clericus) communiter vivendi societatem » — De his lege, apponendo debitam criticam, D. Besse: « *Le Monachisme africain* » — Monialium pariter monasteria erexit; Hipponensi praefecit propriam sororem Perpetuam, viduam. — Regulam vero sensu stricto nullam edidit, licet ordinationes plurimas exhibeat ejus epist. 211 ad virgines hipponenses (423). Ex hac epistola 211 (1), ex libello de opere monachorum (an. 400) (2), et ex binis sermonibus 355, 356 (3), excerpta est, diu postea, quae nomen fert: « *Regula S.ti Augustini* ».

Mature, i. e. IV jam saeculo, monachi S.ti Basilii diffusi sunt in Italiam inferiorem, occuparunt et insulas adjacentes, et usque Dalmatas progressi sunt. Cfr. Mabillon, dissert. proem. ad Tom. I. *Acta SS. ord. Benedict.*

De diffusione vitae religiosae *per Galliam* usque ad medium saec. VI iuvat quaedam peculiariter adnotare.

1) Primum Galliarum monasterium erexit beatus vir MARTINUS Lagogiaci (Ligugé) in pago Pictavo (8 Kil.) an. 360. Promotus ad sedem Turonum, in suburbio civitatis condidit Majus (vel Martini) monasterium c. 373, et quidem tam feliciter, ut eius exsequiis (401, alii 397) 2000 monachorum interfuerint, teste Sulp. Sever. P. L. t. 20, 159.

2) Ad annos 400-410 referenda est erectio celebris monasterii quod in insula Lerina aedificavit S. HONORATUS, postmodum episcopus Arelatensis,

---

declararunt spuria. Observat porro Richter, in hunc loc., « similia leguntur in Regula ad Servos Dei, Augustino perperam tributa ».

(1) ibid. t. 33.

(2) ibid. t. 40, p. 527.

(3) ibid. t. 39.

+ 429. Ea hac pietatis et scientiarum schola prodierunt viri maximi meriti, ut S. Hilarius Arelatensis episcop. 429-449; S. Lupus ep. Tricassium, + 478; S.t Eucherus, ante ingressum senator, postmodum ep. Lugdunensis; S. Caesarius ep. Arelat. 502-542; Salvianus dictus « praeceptor episcoporum, » + 490. Ibi floruit Vincentius, auctor « Commonitorii » numquam satis laudandi, + 450. Non multo serius aedificatum fuit et alterum monasterium in adiacente Lerone (ile S.te Marguerite). In ancipiti manet quamnam regulam isti monachi secuti sint; Mabillon quidem asserit eos regulam b. MAKARII tenuisse, donec, circa 660, S. AIGULPHUS regulam benedictinam invexerit.

3) S. HILARIUS ARELAT. in sua episcopali civitate, 429-449, monasterium erexit quod utique Ariani vastarunt, sed S. CAESARIUS ARELAT. illud denuo aedificavit; simulque alterum monialibus destinatum, cui praeposuit sororem Caesariam, et paulo post ibi inventae sunt ad 200 moniales.

Scripsit hic S. Pater duas regulas, priorem ad monachos, alteram ad virgines (P. L. 68, 387), quam inclyta Pictavorum patrona, B. Radegundis, sororibus suis, monasterii S.tae Crucis Pictavii, indixit, ut testantur eius amici: Fortunatus et Gregorius Turon. quorum verba habes P. L. t. 103, 710.

4) CASSIANUS Thrax (sec. alios Gallus), in florenti iuventute Bethlehem profectus, ibique monachum professus, arctis amicitiae vinculis monacho Germano coniunctus est. Ambo ad Patres Aegyptios iter instituere, et decennio cum iis morati sunt. Anno 401, Constantinopoli a S.to Johi diaconus; 405, Romae, sacerdos factus est. Fugiens inde a facie Gothorum, Massiliam appulit, ibique, 413-416, duo monasteria aedificavit: S.ti Victoris, monachis, alterum monialibus destinatum. In monasteris S.ti Victoris scripsit utrumque opus: 1) *De Institutis coenobiorum* (417),

2) 24 *Collationes Patrum* (420-428). (1) Ex S.to Victore prodierunt viri eximii, qui hoc vivendi genus per Gallias et Hispaniam propagarunt. Admodum uberes tulit gratia Christi fructus, ut, Cassianus abiturus ad perennem vitam, 5000 regularium reliquerit. Obiit anno incerto, post 432.

5) Plura monasteria fundavit, cum fratre suo LUPICINO, S. ROMANUS, (vide Acta SS. ad 28 Febr. p. 741) quorum duo hic indico: Balmense scilicet (Baume-les-Dames), quod in sororis suae gratiam, pro monialibus condidit, et nobilissimum Constatescence (Condat), [postea dictum: S.ti Eugendi, demum: S.ti Claudii, (Saint Claude), post ingressum et transitum S.ti Claudii ep.i Bisuntini], in monte Iura ubi cum fratre Lupicino vixit et defunctus est. Eorum secundus successor S. EUGENDUS (S. Oyant) huic familiae religiosae regulam indixit, ex Orientalibus excerptam, « qualitati loci sic attemperatam, ut eam facilius natura vel infirmitas exsequatur gallicana ». Scholam pariter erexit in Sequania postea celeberrimam. Eius vitam habes: *Acta SS. Ord. Bened.* t. I. 554, et *Act. SS.* t. I. Ian. p. 49.

6) Primum Burgundiae monasterium condidit S. IOANNES REOMENSIS, nat. 450, + 570, de eius patre Hilario, senatore Divionensi, et matre Quieta. Vide quae refert Gregor. Turon. *De gloria confess.* c. 42 (P. L. 71, 860). Monasterium Reomense, postea dictum est: S.ti Ioannis, ex nomine fundatoris (= Moutier St. Jean, Côte d'Or.). Cfr. reliqua *Acta SS.* t. II, Ian. p. 854.

Hos igitur viros monasticae vitae per Galliam, ante b. Benedictum, patres agnoscimus, sin minus solos, tamen praecipuos. Eorum mores et rationes vivendi

(1) Patr. Lat. t. 49.

delineavit D. Besse: *La vie des premiers moines Gallo-Romains*. Rev. Benedict. 1901, p. 262.

Eo vero tempore quo familia Benedictina primo propagari coepit, Gallia etiam ex Hibernia, et sane sine relatione ad familiam b. Benedicti, monasticum passa esse influxum. Illumque, ne inferius ordo rerum interturbetur, statim qualis fuerit, paucis indicabo.

S.tus PATRITIUS, ut ferunt, primo in Maiori Monasterio Turonensi educatus, deinde in Lerinensi monachum professus est. Inde an. 450 a Romano Pontif. in Hiberniam missus est, munus episcopale exerciturus. Hic quotquot clericos ordinavit monachos instituit; sicque hoc vivendi genus in insula late diffusum est. Obiit a. 493 (vide *Acta SS.* ad diem 17 Martii). Quidquid sit de vita b. Patritii, quae multa obscura involvit, anno 550, b. COEMGALLUS condidit in Hibernia, praeter alia plura, notissimum monasterium Bangorii (ne confundas cum altero Bangor, in maiori Britannia, prope Cestriam positum) eoque vivente 3000 monachorum et monialium vitam regularem professi sunt. E Bangorio profectus est S. COLUMBANUS, natus a. 545. In Galliam venit 585-590 cum 12 sociis, et in Burgundia primo consessit: Anagratibus (Anegray = Voivre, H.te Saône) primum; Luxovii (ante 590) alterum, tertium demum condidit monasterium, Fontanis (Fontaine-lez-Luxeuil), e quibus plures enatae sunt domus filiales. Brunechildis insectationibus lacessitus, e Gallia exivit, S. Gallense (ex nomine eius discipuli Galli) et demum in Italia superiori Bobbiense coenobium erexit, ubi defunctus est 615. Hi monachi peculiaribus utebantur consuetudinibus, v. g. quoad tonsuram, celebrationem Paschae; etc. (Cfr. Holstein-Brockie. P. L. t. 103, c. 400). Edixerat S. Columbanus discipulis suis regulam duriorem, in qua ferme praevalebant baculus et virga. Vide eam P. L. 80, 209. Cfr. etiam Hefele in *Kirchenlexicon*, v. Columban;

vide et Mabillon, *Acta SS. Ord. Ben.* t. 2. p. 2 sqq.

Ane b. Columbanum, ex Hibernia venerat S. FRIDOLINUS. Anno 507, civitatem Pictavorum ingressus est, ibi monasterium b. Hilarii, iam dudum a Visigothis eversum, restituit. Inde profectus ad Mosam, ibi monasterium erexit, Helerae; postea, altos Vosagi tractus, Alsatiam, Burgundiam transivit, varia coenobia in honorem b. Hilarii aedificans, donec pervenit ad insulam ubi Arola et Rhenus confluunt, ibi duo aedificavit monasteria et obiit, anno incerto (cfr. *Acta SS.* Martii t. I. p. 431).

Articulus 2. Aetas et familia Benedictina.

S. Pater BENEDICTUS, Nursiae, prope Spoletum, in Umbria, an. 480 natus est. Vix pueritiam egressus, in aspera Sublacensi solitudine, primo, eremiticam egit vitam; sed ab anno 520, admissis discipulis, 12 monasteria in circumvicinio fundavit, quorum quodlibet 12 numerabat monachos cum praeside. Demum anno 529, ad meridionalem partem progrediens, erexit Cassinense nobilissimum coenobium. Vide Chronicon Cassinense (P. L. 66, 26). Vitam S. Patris Benedicti plures scripserunt, sed omnibus palmam eripuit b. Gregorius Magnus, lib. 2 Dialog. (P. L. 66, 126 ss.), exstat et apud Mabill. *Acta SS. Ord. Ben.* t. 1, p. 1. Obiit die 21 Mart. 543.

Scripsit porro anno 530, Sanctus Pater Regulam quam Greg. M. cit. dial. II, c. 36, vocat « discretione praecipuam, sermone luculentam », eaque factus est parens et legislator totius disciplinae monasticae Occidentalis. Haec enim regula pedetentim omnes alias exclusit et a medio saec. VII usque ad XII, unica ferme praevaluit. *Ipsa non amplius, ut pleraeque Orientales, theoretica, sed praeceptiva est,* universumque ordinem diurnum nocturnumque accurate determinat.

Eius iussu, probati novitii emittunt tria vota formalia: conversionem morum (= votum castitatis et paupertatis), obedientiam, et, quod ex toto novum est, insuper vovent stabilitatem loci; quam ob causam etiam, ut puto, Alfanus monach. Cassin. b. Benedictum « fundatorem placidae quietis » salutat. Monachi omnes unius sunt ordinis (Conversi enim adhuc erant ignoti) sive clerici sint, sive laici; subiacent Abbati sicut patrifamilias. Monasteria nullo vinculo iurisdictionis, sed amicali tantum foedere, inter se colligata, ideoque singula sub iurisdictione Episcopi dioecesani manent. Vide hanc admirabilem regulam, cum pio et erudito commentario, quo illam illustravit D. Martène, in P. L., 66, 215, (vide, Hierarchia Benedictino Ecclesiastica, 1 vol. Styriae, 1752; Lechner Martyrologium des Benedictiner Orden ». 1 vol. Augsburg, 1855).

Hoc vitae genus in Siciliam invexit S. PLACIDUS, 534; in Galliam, S. MAURUS, qui et Glannafolium ad Ligerim dicitur excitasse (cfr. Acta SS. t. I. Ian. die 15, p. 1032); S. GREGORIUS MAGNUS in Angliam, 596; S. FIRMINUS et S. BONIFATIUS (Angli) in Germaniam, 722, propagarunt. Ex hac fecunda radice, decursu saeculorum, tamquam novi surculi, plures et magni ordines, ut infra dicetur, pullularunt, in gloriam gratiae Christi, et laudem b. Patris Benedicti perennem.

a) *Congregationes Reformatae.*

Ignavia humana, et odio inimici, nisi continue in eis suscitetur quo natae sunt spiritus, sensim sine sensu collabuntur familiae religiosae : sic inclinata est, tertio ab eius origine saeculo, in multis locis, soboles benedictina. Verum Deus illi suscitavit virum eximium, quem recte dixeris alterum huius Ordinis Patrem et fundatorem: S. Benedictum Anianensem (des comtes de Maguelonne), natum 750, + 821 (vide eius vitam et labores pro restituenda disciplina, P. L. 103, p. 354). Ipse auctor fuit, ut in syn. Aquisgran. 817, conderetur statutum

(80 artic.) pro monachis, nec illi defuit Imperator Ludovicus Pius, ut reformationem efficaciter promoveret. Omnibus tamquam typus perfecti, ad mentem S. Fundatoris, monasterii praelucebat coenobium Anianense, 300 continens monachos. Scripsit demum concordiam Regularum cit. tom. 103, P. L.

1. *Congregatio Cluniacensis*. Monasterium Cluniacense a Gulielmo Aquitaniae duce fundatum, ab initio S. Sedi immediate subiectum fuit. Berno, 910, primus Abbas fuit, reformationem inchoavit, sed promoverunt efficacius eius successores : S. Odo, abbas 924, + 941, S. Maiolus, + 994, S. Odilo, + 1049, S. Hugo, + 1109, sub cuius regimine ultra 200 monasteria posita erant. Et sane ex abbatia Cluniacensi reformata fuere universa Franciae, Burgundiae, Nordmanniae, Alsatiae Belgiique monasteria ; immo et nova erecta in Hispaniis et Polonia. Anno 996, Greg. V confirmavit omnes dictae abbatiae possessiones, ius liberae electionis, exemptionem a iurisdictione Ordinariorum, simulque concessit facultatem, ut monachi a quocumque Episcopo ad ordines possint promoveri. In solo Cluniacensi monasterio manebat dignitas *abbatialis*, caput et centrum reliquorum monasteriorum, quibus *Prior* tantum praeerat, sicque, prima vice post Pakhomium, formata est iuridica congregatio. Vide Mabill. *Praefat. in saec. V. Benedict.* n. 52, 53, 55, 56. Fructus laetissimos huius consociationis descripsit PETRUS VENERABILIS, Cluniacensis Abbas 1122-1156, lib. 1. De miraculis c. 9. Ipse nova statuta condidit. Quomodo hanc Cluniacensem disciplinam, tamquam Regulae b. Patris Benedicti conformem, contra Cisterciensium impetus vindicaverit, videsis, lib. 1 epist. 28, et lib. 3, epist. 17. Eorum primitivam disciplinam descripsit, an. 1086, Udalricus monachus Clun. « Consuetudines Cluniacensis monasterii, » Patr. Lat. 149, col. 635. Cfr. Pignot. *Histoire de l'ordre de Cluny*, 3 vol. Autun, 1878.

2. *Congregatio Hirsaugiensis.* - Hanc reformationem inchoavit b. GULIELMUS, abbas Hirsaugiae 1068, + 1091, ille ipse quem Udalricus alloquitur in Prooem. Consuet. cit. Hic Germaniae pleraque monasteria reformavit, non pauca etiam nova erexit. Hirsaugia, ad instar Cluniaci, in caput Congregationis erecta, 100 sibi subdita monasteria numeravit. Cfr. *Hirchenlex.* V. Hirsau.

3. *Congregatio Cavensis*, in campo Salernitano, ab Alfiero, 980 inchoata, 300 numerabat monasteria.

4. *Congregatio Eindsidlensis*, in Helvetia.

5. *Congregatio Casae Dei* (Chaise-Dieu) quam erexit ROBERTUS AURILIACENSIS anno 1046 (ipse obiit 1067), numeravit 300 monasteria in Galliis, in Hispania et Italia.

6. *Congregatio Clusarum* (Cluse sur l'Arve) auctore HUGONE DE SCOUSAT instituta a. 966; ineunte saeculo XIII, 145 continebat monasteria.

7. *Congregatio Saxi Vivi* prope Fulginiam vel Fulginium (Foligno) a b. *Mainardo* circ. 1085 inchoata, = 140 coenobia.

8. *Congregatio Silvae Maioris* (Grande Sauve, Guyenne) auctore b. GERARDO + 1078, = 70 coenobia.

9. *Congregatio Becci* (in Normannia) ab HERLUINO a. 1034 fundata, = 18 coenobia.

10. *Congregatio Fuldensis*, praepotens in Germania. Coenobium Fuldense a b. BONIFATIO, vel rectius a b. STURM a. 744 erectum, inde ab anno 751 exemptione donatum est. Ibi floruit celebris schola Rhabani Mauri, 810. (Vide Helyot, *Histoire des ordres monastiques*, t. 5. p. 125, et Kirchenlex. v. Fulda. P. L. 89, 1259.)

Si de monialibus Benedictinis aliquid desideras, adeas Helyot, op. cit. t. V, p. 17, VI, 307-397; Kirchenlex. t. 2, 355; Heimbucher, *Die Orden und Kon-*

greg. t. I, p. 193; Hervé Bazin, *Les grands Ordres et les Congr. de femmes, 1 vol. Paris, 1889.*

b) *Ordines regulares e stirpe benedictina enati.*

1. *Camaldulenses* (monachi albi) fundati a S.to ROMUALDO, 1018, in vico Camaldoli, prope Aretinam civitatem. Eremitae et coenobitae. Ordinem approbavit Alexander II. 1072. Hodie supersunt 6 monasteria (5 in Ital.), 200 monachi.

2. *Ordo Vallis Umbrosae* in Tuscia, a S.to IOANNE GUALBERTO 1038 originem ducit. *Hic primo apparent « fratres conversi » in familia Benedictina,* quod institutum, cum paulo post Cluniacenses adoptaverint, reliquae Congregationes eos imitati sunt - Supersunt tria monast. Romae, Liburni et Vallis Umbrosae.

3. *Ordo Grandi-Montis,* Mureti in pago Lemovicensi, a S.to STEPHANO a MURETO 1076, probante Greg. VII, fundatus. Galli, quibus acceptissimi erant, hos monachos dixerunt « les bons homnes ». Vide *Acta SS.* Febr. t. 2. p. 205; et Martène, *Collect. Ampliss.* t. VI. 1045; Mabillon, *Annal. O. B.* t. V. 655; Patr. L. 204, 998. Exstinctus est sub finem saec. XVIII.

4. *Ordo Fontis Ebraldi,* a b. *Roberto de Arbrissello* (L'arbre sec, dioec. Rennes), nat. 1047, + 1117, alias Vicario Generali Rhedonensi, fundatus. Monasteria duplicia habebat quibus praeerat abbatissa. Ordo approbatus a Paschali a 1106 et iterum 1113. Cfr. miram vitam *Acta SS.* Febr. t. 3, p. 593. - Reliqua vide apud Helyot, et P. L. t. 162.

5. *Ordo Cisterciensium* auctorem habuit S. ROBERTUM abbatem Molismensem. (Molemes) a. 1098, cuius vitam lege *Act. SS.*, die 29 April. Approbatus prima vice, a Callixt. II, 1119. Nomen duxit ab eremo Cistercii, in qua prima domus erecta est. Huius praecipuae filiales: Firmitas (La Ferté), Pontignacum, Claravallis, Morimundus. Tertius, post C. Robertum, abbas, S. STEPHANUS HARDING, electus 1109, + 1134,

sub quo gloria perennis Cisterciensium, b. BERNARDUS tyrocinium posuit, scripsit « Exordium Coenobii et ordinis Cisterciensium » in cuius cap. 15 refert primitiva statuta (P. L. 166, 1501). Scripsit et « *Chartam Charitatis* », communi abbatum et monachorum deliberatione sancitam, quae 30 artic. statuta Ordinis exhibet, ea scil. quae ad morum institutionem, et ad Ordinis regimen pertinent. Haec ipsa charta caritatis a Callixto II a. 1119 primo approbata, et saepius a Sede Apost. confirmata est (P. L. 166, 1377). Scripsit demum et 5 libros consuetudinum Cist. quos vide P. L. 166, 1383. Hic ordo egregie meruit de Sede Apostolica, de unitate catholica, martyres gloriosos habuit in Anglia sub Henrico VIII. Tempore cruciatuum in Oriente, et bellorum contra Mauros in Hispania, nati sunt ad 10 Ordines equitum sub regula Cisterciensi militantes, quos vide apud Helyot. t. VI, vel Heimbucher op. cit. t. I. p. 226 sq. Olim dicti sunt « grisci monachi »; cur, vide Mabillon. *Annal. Benedict.* t. VI, p. 487 (1).

Ex ipso Cisterciensium ordine natae sunt, multo post haec, quas claritatis causa iuvat hic statim accensere, duae reformationes :

6. *a*) *Ordo B. M. V. Fuliensis* (Les Feuillants) (Fulium in agro Tolosano) quem IOHANNES DE LA BARRIÈRE, anno 1577, instituit ; approbatus est a Sixto V. Clemens VIII Ordini novas dedit Constitutiones 1595. Ioannem de la Barrière a fratribus accusatum, immo et ab Episcopo iudice O. P. dannatum, B. Bellarminus coram Pontifice a calumniis vindicavit. Sub Urbano VIII, 1630, Ordo divisus est in duas Congregationes autonomas, sub peculiari Praeposito generali : Gallicam, Italicam. Periit ex toto.

7. *b*) *Ordo Cisterciensium reformatorum B. V. M. de Trappa* (La trappe, Orne, dioec. Séez.) Hanc. refor-

(1) Les origines de Citeaux *Revue d' Hist. Eccl.* t. 1, p. 448.

mationem inchoavit 1664 Armandus IOANNES LE BOUTHILLIER DE RANCÉ, nat. 1626 + 1700; usque ad ann. 1791 nonnisi 6 coenobia, dein opera Dom. Augustini (LOUIS HENRY DE LESTRANGE) a. 1791-1815, et iniquitate temporum dilatata est. Greg. XVI, 1834, eis dedit Vicarium generalem (1). An. 1847, Pius IX eos distribuit in tres Congregationes: septem Fontium, Westmalae, Trappae, quibus totidem praefecit Vicarios generales. (2) Has Congregationes in unum corpus coadunavit Leo XIII, die 1-13 Oct. 1892, sub nomine *Ordinis Cist. reform. B. M. V. de Trappa*, cum proprio Praeposito generali (3); eorum constitutiones et consuetudines demum approbavit Leo XIII, 25 Aug. 1894. - Numerat circa 60 coenobia monachorum et 13 monialium. Quoad initia, vide Hermant, *Hist. des Ordres Rel. t. 4* p. 230, quoad progress. modernum v. *Kirchenl. Trappisten.* Heimbucher op. citat. 1. p. 244 seqq.

8. *Ordo Florensis* ab abbate Ioachim Cisterc. institutus an. 1192. Periit.

9. *Sylvestrini,* S. SYLVESTRUM GOZZOLINO parentem habent, 1231; approbati ab Innoc. IV, 1247, novas constitutiones, ab Alex VIII approbatas, a. 1690, hodie sequuntur: varia retinent coenobia, Kandy, in insula Ceylan, missionibus insudant (*moines bleus*).

10. *Ordo Montis Virginis* in dioec. antiq. Avellinensi (Campaniae) auctore S. GULLIELMO VERCELLENSI, 1123. Cfr. Helyot. VI, 121.

11. *Humiliati,* instituti a S. IOANNE OLDRADO, + 1159, ab Innoc. III a. 1201 sunt approbati, eos vero exstinxit S. Pius V, 1571, ob scelus admissum in S. Carolum Boromaeum, 27 Oct. 1569.

---

(1) Cf. Bizzarri, *Collectanea* p. 60.
(2) Ibid. p. 553.
(3) *Analect. eccl.* 1893, p. 107.

12. *Caelestini*, quos congregavit PETRUS MORONE postmodum electus in S. Pontificem sub nomine Caelest. V, † 1296. Congregatio laetissime floruit, periit vero in turbis politico religiosis exeuntis saec. XVIII.

13. *Olivetani*, a S.to BERNARDO TOLOMAEO a. 1319, fundati. - Supersunt 6 coenobia.

c) *Congregationes natae post C. Tridentiuum.*

Ad huiusmodi Congregationes et Ordines reformationis, accesserunt, post Concil. Trid. Congregationes natae ob dispositionem cap. 8 sess. XXV de ref. reg. Non est cur eas recenseam (1). Memoriae tamen peculiaris dignae sunt duae celebriores: scl. *Congregatio S.ti Vitoni et Hidulphi* (St. Vanne) Vitone in agro Virdunensi, circ. a. 1596, a DIDIER DE LA COUR fundata, quamque Clem. VIII, 1604 approbavit - (D. Calmet, Petit. Didier, Ceillier etc.). Illustrior fuit, e priori enata (1618), *Congregatio Maurinensium* in quam confluxerunt multae antiquiores Congreg. ut Casae Dei, Silvae Maioris, S.ti Dyonisii, etc. Divisa in 6 provincias (Paris. Aquitan. Britan. Norman. Casalbenedict. Burgund.) numerabat 191 coenobia et unumquodque coenobium ad minus 9 monachos. Praepositus generalis Parisiis residebat in conventu S. Germani ad prata. Congregationem approbavit Greg. XV, 1621 (2).

Tempestate publica labentis saec. XVIII, arbor Benedictina vehementissima concussa est; nam ineunte saec. XIX, Ordo proprie dictus S. Benedicti, vix ultra 30 monasteria et 400 alumnos numerabat. Mox vero, mirabili fecunditate et damna praeterita resarcivit et novos ramos emisit. Antiquae provinciae seu congregationes iterum floruere, accreverunt et novae in Helvetia, in Ungaria, in utraque America, in Africa, etc. ita ut hodie numerentur 14, 155 monasteria et ul-

(1) Cfr. *Revue Bénédictine*, 1894, p. 97, 415; Heimbucher, op. cit. t. 1. p. 149.
(2) de Broglie: *Mabillon et la Société de S.t Germain*, 2. vol. Paris, 1888.

tra 6000 monachorum. Has 14 Congregationes Leo XIII, die 12 Iulii 1893 (1), consociavit in « *Confoederationem benedictinam* », cui universae praesit Abbas Primas ad duodecim annos electus, eoque ipso Abbas monasterii S. Anselmi de Urbe.

Confoederatio haec internam Ordinis constitutionem neutiquam immutat. Servantur singulis Congregationibus et monasteriis, respective, Archiabbatibus et Abbatibus sua iura. - Abbas Primas, praeter iura honorifica, ex singulari dispositione Sedis Ap. obtinet ut penes ipsam nomine totius Ordinis agat. Ut vigilet disciplinae ubique servandae, etiam visitationem instituere potest. Has Abbatis Primatis facultates, accurate determinavit S. Congr. Ep. Reg. et confirmavit Leo XIII, 16 sept. 1893 (2), unde intelliges quid velit can. 501, § 3.

Restat ut demum *Ordinem Cartusiensium* recenseam, quos in hunc locum non ratione originis sed claritatis causa ablegavi. Nam ex una parte non sequuntur Regulam S. Benedicti, ex altera vero propriissime monachi sunt. Patrem habent S. BRUNONEM, natum an. 1032, defunctum an. 1101. In asperrimo monte Cartusiae, dioecesis Gratianopolitanae, sanctissimae familiae initium dedit, an. 1084. Eius vitam tibi dabunt *Acta SS.* t. 3. Octobris. Statuta et Consuetudines Cartusianorum a Guigone, quinto post S. Brunonem Priore, conscriptas, videsis in Patr. Lat. t. 153. De lite inter Cartusianos et Cistercienses finienda, vide decr. Innoc. III. (P. L. 216, p. 469). *Annales Ordinis Cartus.* edidit Dom Le Coulteux 7 vol. S. Mariae de Pratis, i. e. Monstrolii, an. 1888. Ephemerides Ord. Cartus., Dom Le Vasseur 8 vol. ibid. 1890 seqq. collegit.

(1) Vide litt. Apost. in forma Brevis in *Analect. Eccl.* 1893, p. 734.

(2) *Analect. Eccl.* l. cit. p. 395 ; - vide praeterea : *Archiv. fur K. Kirch. Recht*, 1893, p. 304, 429 seqq.

Articulus 3. De Canonicis Regularibus et aliis Regulae S.ti Augustini subditis

Prior omnium S. Eusebius Vercellensis, ut supra dictum est, clericos suos ad vitam coegit communem. Verum clericos suos monachos fecit, ideoque canonici regulares ab eo non pendent. E contra S. Augustinus a suis clericis, sub communi tecto vitam socialem agentibus, tria tantum exegit, ut supra dictum est: professionem vitae communis, abdicationem proprio· rum, clausuram quoad feminas, sicque quadamtenus adumbravit futuram canonicorum regularium vitam, ipsos tamen, proprie et iuridice, minime instituit, quippe qui nullam regulam ad hunc scopum exaraverit.

Communis vita a b. Augustino instaurata, late per Ecclesiam diffusa est, et pluribus invaluit saeculis, eoque tempore *canonicus, canonica* dicti sunt quotquot clerici, officiales, viduae in canonem seu matriculam ecclesiae inscripti, ex eiusdem bonis, censum vel canonem annuum percipiebant. Non eodem tenore servata est abdicatio proprietatis personalis, immo VIII, et IX saeculo, in non nullis regionibus, concilia hanc licentiam retinendi propria, plus minusve approbarunt. Id manifestum fit ex *Regula Chrodegangi* E.pi Metensis + 766, quam AMALARIUS, eiusdem ecclesiae diaconus, retractavit + 857, quamque demum Conc. Aquisgranensis, 817, approbavit. Regulam Chrodeg. Vide P. L. 89, 1059; regulam Amalarii in Conc. Aquisgr. receptam, vide ap. Labbe, *Col. Concil.* t. IX; attendas ad c. 115. Verum, ut invicte probat Thomassinus, (1) Part. I, lib. 3 cap. de Capitulis sub imp. Caroli magni, hi canonici nondum vocati sunt *Canonici Regulares.*

---

(1) *Vetus et nova Ecclesiae disciplina.*

Quae vitia in clerum saec. X et XI irrepserint, durissimis verbis exponunt Thomassin. lib. 3, cit. et Helyot-Radiche, Migne, *Collect. Diction.* t. I, p. 774; iisque afflictus Pontifex Nicolaus II, ad preces b. Petri Damiani, canonicis prohibuit omnem proprietatem privatam, in Conc. Rom. 1059, quam prohibitionem innovavit Alexander II, 1063. Canonicis praeterea, illud vitae genus quod b. Augustinus cum clericis suis coluerat, tamquam normam proposuerunt, et ne id in vanum cederet, compilarunt eo tempore sic dictam *regulam S.ti Augustini*, ut supra exposui, ex epist. ad virgines, 211, et ex utroque sermone de moribus clericorum, simulque canonicos induxerunt ad emissionem trium religionis votorum, sane sollemnium. Hoc igitur saeculum XI, strictius a. 1059-1063, et nullum aliud, est aetas natalis canonicorum Regularium. Nam qui multi huic reformationi non adhaesere, exinde vocati sunt Canonici saeculares. Ultimam manum apposuit Concil. Lat. II. 1139 sub Innocentio II; praecipiens ut omnes Canonici non saeculares, Regulam S.ti Augustini amplecterentur. Plura adhuc quoad vestimenta, capitula generalia et provincialia ordinavit Bened. XII. Const. « Ad decorem. » 15 Maii 1339. Inde a tempore Conc. Lat. II universim omnes nomen tulerunt: *Canonici Regulares Ord. S. Augustini.*

Post edictum a. 1059, maxime vero post Conc. Lateranense II, multae efformatae sunt canonicorum Reg. Congregationes, quarum accipe paucis, praecipuas.

1. *Congregatio Portuensis* (Porto, Italia) erecta, aut reformata a PETRO DE HONESTIS. Hic anno 1117 obtulit Paschali II quam conscripserat regulam Canonicorum Regularium illamque eodem anno domnus Papa approbavit. Ecce tibi, iuxta eruditum Eusebii Amort disquisitionem *Veter. discipl. Canon. Reg. et saec.* « *primum* codicem canonicorum Regularium », et exinde

iudicabis de eorum antiquitate. Regula Portuensis inter opera S. Petri Dom. P. L. t. 145; apud Holsten. t. II. p. 138.

2. *Congregatio Ss. Salvatoris Lateranensis.* Illustris haec et numerosa familia, adhuc florida, ascendit ad illud Conc. Romanum 1059 sub Nicolao II, sed non ultra. Ea enim quae habet D. Battandier, *Annuaire Pontif.* 1899, p. 269 de eorum origine apostolica, fabulosa sunt. Iam dudum Brockie hanc sententiam rectissime « omnino vanam » dixit (1). Id demum veritas habet: diu ante 1059 aderant in ecclesia Lateranensi canonici vitam communem agentes, verum ipsi nec regulam S.ti Augustini sequebantur, neque professionem trium votorum emittebant; his in loco et officio successerunt a. 1059, Canonici Reg. Later. de SS. Salvatore, nullo vinculo genetico aut interno, cum prioribus colligati.

3. *Congregatio S.ti Rufi*, Avenione, celebris et numerosa, per Galliam, Hispaniam et Lusitaniam diffusa, prima, utut imperfecta, initia habuit a. 1039. Ea enim aetate, quando canonici Avenionenses vitam communem dissolverunt, quatuor ex ipsis: ARNOLDUS, ADILO, PONTIUS et DURANDUS, consociatis viribus, eam suscitarunt ad S.ti Rufi, Avenione. Hi coeperunt, quod innumeri imitati sunt, loco rochetti fasciam albam gestare.

4. *Fratres Cruciferi dominici sepulchri Hierosolymitani*, suscitati Hierosolynis a Patriarcha ARNALDO, 1114, approbati sunt a Calixto II, 1122. Eos Innocentius VIII univit equitibus S.ti Ioannis, 1481.

5. *Congregatio S.ti Mauritii Agaunensis*, saec. XII. Domus matrix adhuc superest, et in abbatiam nullius erecta fuit, cuius Praepositus, ex dispositione Greg. XVI 1840, semper in Episcopum titularem Bethlehem, eligitur.

(1) Patr. Lat. t. 103, p. 408. n. 23. - Quod nonnulis scriptoribus placuit, b. Papam Gelasium eorum fuisse fundatorem, efficaci argumento non probatur.

6. *Congregatio Marbacensis* (Marbach in Alsat. sup.) anno 1090 inchoata. Eius regulam conscripsit praepositus Manegold, vel eius successor Gernardus, quae deinde per universam Germaniam diffusa est. Eam vide apud Euseb. Amort. *Vet. discipl. Canon. reg. et saecul.* p. 383. Valde affinem eruit ex Archivo Morbacensi (Murbach, 5 leucis a Marbach distans, abbatia benedictina nobilissima, (1) hodie diruta D. Martène eamque tomo III. *De Antiq. Eccl. rit.* 305, edit. Antwerp. 1764, inseruit.

7. *Congregatio Aridagamantiae* (Aronaise pris Bapaume) in dioecesi Atrebatensi, an. 1090 ab HELDEMARO Tornacensi et CUNONE, postea Cardinali, erecta; anno 1097, a LAMBERTO episc. Atrebatensi confirmata; late diffusa est per Galliam et Hiberniam. Exstincta est ante reformationem, ultimum capitulum generale a. 1470 celebratum est.

8. *Congregatio Can. Reg. habitus S.ti Antonii* (Les Antonins) quae quondam 369 praeceptorias i. e. coenobia numerabat. Nata est, Motae (Didier de la Mothe) in Delphinatu. Grassante quippe immani lue, vulgo « Ignis infernalis, ignis sacer » dicta, multi pestiferi, Motae, ubi b. Antonii reliquiae servabantur, sanati sunt, inter quos et GUERINUS, Vedasti, viri amplissimi illius regionis, filius. Hinc pater et filius se et bona sua Dei servitio devoverunt in suscipiendis aegrotis ad reliquias confluentibus. Accedentibus et aliis, nata est pia fraternitas laica hospitalaria, sub invocatione S. Antonii, quam Urbanus II, anno 1095 in Concil. Claramontano approbavit. Sub Honorio III, propositum approbante a. 1218, coeperunt primo tria vota religiosa emittere, et demum a Bonifatio VIII, 1297, constituti sunt Canonici Regulares S.ti Aug. habitus

(1) Patr. Lat, t. 99, p. 738, prostant: statu'a monasterii Murbacensis, auctore S. Limperto eiusdem monasterii Abbate, + 809.

S.ti Antonii. Servarunt nempe antiquum habitum nigrum, *T* caeruleo distinctum. An. 1777 universa Congregatio ordini Equitum Melitensium unita fuit. Reliqua vide apud Holsten. - Brockie t. 5, p. 119, ibique p. 124 Regulam in Hispania observatam. Cfr. et Helyot, t. II, 108.

9. *Congregatio S.ti Victoris* non numero sodalium, sed clarissimis viris (Richard. Hug. Adam, etc.) et celebri sua schola theologica illustris, a Gullielmo Campellensi c. 1113 fundata. Eius statuta vide apud Dom Martène *De antiq. Eccl. rit.* t. III, Appendix, p. 253 (1).

10. *Congregatio S.tae Genovefae* dicta: *Congrégation de France*, eodem ferme tempore nata est. Anno 1634, agente maxime ven. Card. de la Rochefaucauld, reformata est a P. Carolo Faure. Celebris eorum biblioth. ultra 7,000 manuscriptorum continebat (2).

11. *Congregatio S.tae Crucis Conimbricensis*, erecta a Tellone archidiacono ecclesiae cathedralis Conimbricensis a. 1132, ad instar Congr. Avenionensi S.ti Rufi. Inter hos meruit, prius quam ordini S. Francisci nomen dedisset, S. Antonius dictus Patavinus.

12. *Gilbertini*, in Anglia, a Gilberto de Sempringham anno 1141 instituti. Notabilissima est haec Congregatio eo quod universa eius monasteria (22) *duplicia* erant. Mulieres observabant regulam b. P. Benedicti; viri e contra, regulam Canonic. S.ti Aug. Vide eorum regulam apud Holst. Brockie, t. 2. 467, et attende minutissimas cautelas ne viri feminas umquam vel alloqui, vel etiam videre possent. Approbata ab. Eug. III. 1146 funditus diruta est violenta manu Henrici VIII.

13. *Canonici Reg. a Spiritu S.to*, Montepessulis,

---

(1) Fourier-Bonnard: *Les Chanoines Réguliers de St Victor*, 2 vol., Paris, 1905.

(2) P. Feret: *L'abbaye de Ste Genevève et la Congrégation de France*, 2 vol., Paris, 1893.

hospitalarii, a Guidone e comitibus Montepessul. sub finem saec. XII instituti, emittebant et quartum votum circa curam pauperum. Approbati ab Innoc. III, 1198, qui et Romae, celeberrimum hospitale S.ti Spiritus, cum Ecclesia S. Mariae de Saxia eis concredidit, unde nata est Congreg. S.ti Spiritus de Saxia, cuius historiam et regulam habes apud Holst. Brockie, t. 5, p. 495. Cardinalis de Polignac, + 1742 ultimus fuit sup. Gen. Congregationis Gallicae hospitalarium.

14. *Fratres Ordinis canonici S.tae Crucis.* - Cruciferi - *Les Croisiers.* Universa haec familia, olim latissime diffusa, observabat Regulam S. Augustini, cum variis additamentis; inserviebat hospitalibus, et conversioni haereticorum vel infidelium. Praecipuae congregationes fuere:

a) Congregatio Italica numerabat ultra 200 coenobia. Ab Alexandro III, 1198 fundata, ab Alexandro VII, 1636 suppressa est.

b) Congregatio belgica, adhuc superstes in 5 domibus, quarum duae in Hollandia (Cuyc, Uden) duae in Belgio (Diest, Maaseyk) una in Austria (Salzbourg), alias toto Belgio, in Gallia, Germania, Anglia numerosa existebat. A. 1211 a Theodoro de Celles in Claroloco (Clair-Lieu) prope Hoiam (Huy) in dioecesi Leodiensi fundata, 1216 a Sede Apostolica approbata. - His Leo X, 1510, fecit potestatem, quam Leo XIII, 15 Mart. 1884 confirmavit, benedicendi coronas quibus qui utuntur singulis Ave Maria et Pater noster 500 d. indulg. lucrantur. Recens assumpsit missionem africanam in parte Congi belgici. Magnis laudibus a regnante Pontifice afficitur. Cfr. *Acta Ap. Sed.* 1924, 184.

c) Ordo militaris Crucigerorum cum rubea stella, Pragae in Bohemia, inde a. 1238, concedente Gregorio IX, in familiam autonomam erectus est. Adhuc super est in Bohemia.

d) Ordo paenitentiae Ss. Martyrum, in Polonia.

Saec. XIII, defecerunt. De his omnibus consule P. Iansen, S. I. in Hirchenlexic. V. Kreuzherren.

15. *Congregatio Windesemensis* ex fratibus vitae communis Gerardi Groot, et iuxta huius ultimam voluntatem enata, ab eius successore *Florentio Radwin* instituta, Windesemii, 1387, prope Daventriam et Gallopiam (Zwolle). Mox late diffusa est, variaeque Congregationes ei se adiunxerunt (Viridis Vallis, Neuss etc.) Fulgebant in ea viri eximiae pietatis, (inter quos Thomas a Kempis); eiusque cura, opera praecipue Ioan. Busch, fere universa coenobia Canonicorum Regul. in Germania, saec. XV, reformata sunt. Nobilissimam congregationem protestantes dissiparunt eiusque reliquias saecularizatio consumpsit. De his Cfr. Auger, *Les Mystiques des Pays-Bas*, livre IV chap. 1, 2 et Heimbucher, op. cit. t. 1, p. 409.

16. *Congregatio nostri Salvatoris* a *S. Petro Foreriо*, 1623, fundata et ab Urbano VIII, 1628, confirmata.

Plures alias minoris momenti Congreg. vide apud Helyot-Badiche V. *Chanoines Réguliers*, apud quem videas pariter V. *Chanoinesses Regulières* ea quae sanctimoniales huius familiae canonicae respiciunt, de quibus, brevitatis causa, hic nihil affertur.

Cum semel de familia Augustiniana sermonem instituerim, iuvat reliquos Ordines recensere qui eadem regula vivunt, omisso interim Ordine Fratrum Praedicatorum de quo infra inter Mendicantes.

17. *Ordo Praemonstratensis,* ab omnibus aliis Congreg. Canonicorum Regularium distinctus, sub communi Regula S.ti Augustini (additis non nullis statutis Canonicorum S.ti Victoris), et uno Praeside generali, Deo militare coepit an. 1119-1120, auctore S. NORBERTO, nato *Sanctis* (Xanten) in Cliviae ducatu. Dicitur Ordo Canonicus, ob regulam; candidus, a vestibus; Praemonstratensis, ob visionem qua S.to Fundatori locus primi Coenobii, ante Ordinis fundationem, monstratus est,

in asperrima Sylva Codiciaci (Coucy) quae non multum abest a vetustissimo templo D. N. de Laetitia, olim in dioec. Laudunensi, nunc Suessionensi. Die natali D.ni an. 1122 primi canonici (13) sua vota nuncuparunt; an. 1126, Honorius II ordinem confirmavit; saeculo primo exeunte iam numerabat 1000 coenobia, posthaec ad 3000 in 30 circarias (circator apud Praemonstr. = Provincialis) distributa. Soli inter regulares, Praemonstratenses gaudent facultate regendi passim parochias saeculares, quod singulare privilegium iis confirmavit Bened. XIV. constit. *Oneroso*, 1 sept. 1750. Multa et egregia merita, decursu saeculorum, inclytus Ordo sibi acquisivit, missionibus inter infideles et haereticos, maxime vero cura erga clerum saecularem - Ordinis Sanctos consignavit I. Chrys. Van der Steere: *Natales et vitae SS. Ord. Praem.*, Antwerp. 1625; Scriptores, Lienhart: *Spiritus litterarius Norbertinus*, August. Vindelic. 1771; et recentius, Ludov. de Gonzaga Prior in Storrington: *Les écrivains de l' Ordre de Prémontré* de 1120 a 1884. An. 1899, Fr. L. Govaerts inchoavit opus: *Écrivains, artistes et savants de l' Ordre de Prémontré*. Regulam Ordinis cum copioso et erudito apparatu notarum, vide apud Holstein Brockie, t. 5, p. 191-330. (1)

18. *Ordo SS. Trinitatis de redemptione captivorum*, a. 1198 a S. IOANNE DE MATHA, + 1223, et S. FELICE DE VALOIS, + 1212, suscitatus, et ab Innoc. III approbatus, domum matricem Cervi frigidi, in dioec. Meldensi habuit (hodieque subsistit). Parisiis hi religiosi vocabantur *Mathurini*, eo quod prope sacellum huius sancti illorum coenobium exstructum fuit. Observabant regulam S.ti Aug. auctam statutis rigorosis, praecipue quoad abstinentiam a carne et a piscibus, addito

(1) Decretum unionis Praemonstr. 17 sept. 1898, vide in *Analect. eccl.* an. 1898, p. 485.

etiam quarto voto, de redimendis christifidelibus e captivitate infidelium. Numerabat olim 800 coenobia in 17 Provincias distributa. Hic Ordo Anglis atque Hibernis praedilectus erat. Ultimus huius familiae religiosus obiit Romae, an. 1894, in monasterio ad Quatuor-Fontes.

Celebris est huius ordinis reformatio, anno 1594 a IOANNE BAPTISTA a Conceptione in Hispania prope Val de Penas inchoata. Obtinuit peculiarem Vicarium Generalem et dicta est: *Ordo SS. Trinitatis excalceatus.* Olim satis diffusus erat Ordo per Poloniam et Austriam. Hodie exstant 26 coenobia et circ. 350 alumni. Pater Generalis residet Romae ad aedes S. Chrisogoni.

Ordo Eremitarum S.ti Augustini. Concil. Lat. IV, 1215, can. 13 = C. 9. De relig. dom. III, 36, sapientissime edixerat: « Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de caetero novam religionem inveniat, sed quicumque ad religionem converti voluerit unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de religionibus approbatis ». Ex zelo Innocentii IV (1243-1254) et praecipue Alex. IV (1254-1261) urgendi exsecutionem huius canonis, natus est Ordo Eremit. S.ti Aug. — Sciendum quippe quod saec. XII et XIII, in Italia praecipue, ortae sunt variae associationes Eremitarum, ut Boniti alias Iamboniti, Brittini, Eremitae Tusciae, Fratres saccati, etc. etc. ab invicem independentes, aliquando mutuo oppositae, quarum unaquaeque suis vivebat constitutionibus, unde simultates non leves et alia incommoda Ecclesiae Dei nata sunt. Ideo, inde ab anno 1244, Innoc. IV Bonitis Regulam S.ti Augustini imposuerat; Alexander IV vero ad Sedem Apost. evectus, ut tantae confusioni efficax remedium apponeret, omnes Eremitarum Superiores ad se vocavit, et post multos

exantlatos labores, sopitas contradictiones, demum anno 1256 perfecit Unionem Eremitarum per Italiam dispersorum. Novae familiae regulam imposuit S.ti Aug. nomenque dedit: *Ordo Eremitarum S.ti Augustini*, Card. Ricardum de S.to Angelo ei Protectorem dedit, et in Magistrum Generalem Eremitae congregati elegerunt Lanfrancum Septala, hucusque Bonitarum Praepositum generalem. Quam unionem, novi Ordinis constitutionem, et in quatuor provincias (Ital. Hisp. Gallic. Germ.) divisionem, Alex. IV sollemniter sancivit et promulgavit, const. « Licet Ecclesiae », 13 april. 1256. Biennio post, Ordinem novellum idem Pontifex a iurisdictione Ordinar. locorum exemit. Ad regulam communem S.ti Augustini accesserunt statuta, — caeteroquin non valde onerosa,—quae Augustin. Novellus et Clemens Auximanus conscripsere, et capitula generalia: Florentinum, 1287; Ratisbonense, 1290 sollemniter approbarunt. Vide Regulam apud Holst. — Brockie, t. IV, p. 227.

Pius V Ordinem inter mendicantes recensuit. Incedunt immediate post Carmelitas. Eius diffusio amplissima fuit, si quidem aliquando habuerit 42 Provincias, 2000 monasteriorum et 20,000 alumnorum — Cum saec. XIV disciplina Ordinis non nihil defecisset, natae sunt variae Congregationes, quas vide apud Heimbucher t. I. p. 451 sq., inter quas nomino saxonicam, 1493 e qua egressus est Luther, et Congreg. gallicam: « Les petits Augustins », erecta 1593 a STEPANO RABACHE, et ROG. GIRARD.

Gravior reformatio et quasi Ordinem in Ordine constituens, cum proprio Vicario Gen. illa fuit quae saec. XVI orta est in Hispania, 1588; in Italia 1592; in Galliis 1596, cuius alumni dicti sunt: *Fratres excalceati Ordinis Eremit. S. Augustini.*

Ordo B. M. Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum a S. PETRO NOLASCO, 1223 institutus, a

Greg. IX approbatus, 1235. Sequuntur Regulam S.ti Augustini una cum constitutionibus a S. Raymundo de Pennaforte conscriptis. — Eorum finis idem qui Ordinis SS. Trinitatis. Olim Ordo quasi duplex, ex sacerdotibus et equitibus constabat, verum anno 1320 equites secesserunt, et sic Ordo, prius militaris et religiosus, mansit mere religiosus. Supersunt, circiter 500 religiosi.

Anno 1603 nati sunt *Fratres discalceati Ord. B. M. de Mercede*, auctore S. JOAN. GONZALEZ, seu a SS. Sacramento, + 1618; reformationem in Hispania et Sicilia vigentem Clemens VIII approbavit.

Ordo Servorum B. M. Virginis in monte Senario, a septem SS. Patribus fundatus, inter quos eminebat BONFIGLIUS MONALDI, a. 1233; ab Alexandro IV, 1255 approbatus. Sequuntur eius alumni regul. S. Aug. et Ordinem declaravit mendicantem Pius V. Supersunt hodie circiter 30 monasteria.

Eidem Regulae S. Augustini serviebant *Eremitae S.ti Pauli*, de quibus videsis Helyot III, 341; *Kirchenlex.* v. *Pauliner, Alexiani,* inde a concessione Pii II eis facta, sub die 3 Ian. 1459; *Hieronymitarum* quinque Congregationes. Cfr. Heimbucher, t. I, p. 481-486.

Ordo Fratrum hospital. S. Ioannis a Deo. a S.to Ioanne a Deo, + 1550, institutus, inservit aegrotis; fere universus e laicis consistit: tot enim, nec plures, habent sacerdotes, quot cura animarum in hospitalibus exigit. S. Pius V ordinem approbavit 1 Ian. 1572, C. « Ex debito », sub regula S. Aug. et cum votis sollemnibus consuetis, quibus quartum addunt, circa curam perpetuam et gratuitam infirmorum. Regulae S. Aug. addiderunt ulteriores constitutiones a Paulo V 1617 approbatas. Urbanus VIII eis concessit privilegia ordinum mendicantium, 1624. Hodie exstant 11 Provinciae, 120 domus.

Articulus 4. Mendicantes.

Cum mendicantium, perinde ac subsequentium Clericorum Regularium, historia et constitutio notior sit, quippe qui sub oculis nostris vivant et laborent, hos Ordines brevissime delineasse satis erit. Incedat primo loco inclytus

1.us *Ordo Fratrum Praedicatorum* a B. Patre DOMINICO suscitatus. *Primus Ordo*: B. Pater (n. 1170, + 1221) adhuc ecclesiae Oxomensis Canonicus Regularis, ab an. 1203-1207 conversioni Albigensium in Gallia meridionali insudavit; cum vero tantus labor unius hominis vires superaret, mente concepit novum ordinem qui veritatem catholicam ibi et in orbe terrarum spargeret atque defenderet, Tolosaeque prima tanta operis fundamenta iecit, probante FULCONE, loci archiepiscopo. Praesul Romam pergens ad Concil. Lat. IV, 1215, b. Patrem sibi comitem adiunxit, ut communibus precibus Innocentem III ad novi Ordinis approbationem flecterent. Obstabat porro, ut supra retuli (cfr. cap. 9 de Relig. domib., III, 36), decretum concilii de novis ordinibus; ideoque INNOCENTIUS III virum apostolicum benigne quidem suscepit, eius votis tamen non acquievit. Id praestitit eius successor HONORIUS III, perpetuus B. Patris protector, anno sequenti, die 22 dec. 1216; alia constitutione 26 ian. 1217 idem Pontifex novellum ordinem intitulavit: *Ordinem fratrum Praedicatorum*; B. DOMINICUM 1.um Magistrum generalem constituit, facta ei potestate sibi aggregandi socios, addendi regulae S.ti Augustini sub qua militant opportunas constitutiones, et data potestate universo Ordini, ut ubique locorum libere verbum Dei praedicare, sacramentaque ministrare valerent. Nec mora, post festa paschalia B. Pater Tolosam reversus, ibi, edoem anno, 16 sociorum (8 Gall. 7 Hispan. 1 Anglus)

professionem suscepit. Eodem anno 1917, Romam reversus, condidit monasterium S.tae Sabinae in quod, 1218, Dominus tres viros eximios induxit: HYACINTUM, futurum thaumaturgum (cfr. Acta SS. ad diem 16 aug.), CESLAUM et REGINALDUM POLE, qui missionibus vitam consumpserunt in Germania septemtrionali. Anno 1220, B. Pater primum capitulum generale evocavit Bononiam, in quo sancitae sunt constitutiones quibus postea, 1238, B. RAYMUNDUS de PENNAFORTE 3.us Mag. gen., ultimam manum apposuit. Anno 1221, 30 maii, celebratum est alterum, Bononiae, capitulum generale, ordinem in 8 Provincias dividens (Hispan., Provinciae, Longobard. Romanam, German. Hungar, et Anglic.); die vero 6 augusti, b. Pater ad meliorem vitam, laborum praemium recepturus, transivit.

Hic est, ut aiunt, *Primus Ordo;* ab initio sacerdotes et laicos comprehendebat. Eius scopus, ad mentem S. fundatoris, apostolicus est; ideo cessavit hic stabilitas loci, opus manuale, indicta vero est strictissima paupertas, ita ut nec domus stabilia possidere valerent. Hoc tamen ultimum ex parte emollitum est a Martino V, 1425, et demum ex toto sublatum a Sixto IV, variis const. 1 iulii 1475, 13 april. 1477. Novum et hoc apparuit in constitutione Ordinis: magna et efficax auctoritas qua Magister Gen. in manu haberet singulas Provincias, domos et unumquem Fratrem.

Varias reformationes, successu temporis inchoatas, non iuvat referre. Videsis Helyot, t. III p. 225, vel Heimbucher, t. I. p. 557. De restaurando ordine, post turbas civiles saec. XVIII exeuntis, egregie meruerunt P. Lacordaire et P. Jandel. Cfr. eorum vitas: *Vie du P. Alex. Jandel* par H. Cormier, O. P. Paris, 1890. Hodie primus ordo numerat circa 3000 alumnos.

DE IUBILAEO

Bullam indictionis Iubilaei, *Infinita Dei*, quae 29 mensis maii data est, statim, pro more nostro, in *Periodica* transtulimus eamque brevibus annotationibus illustrare conati sumus. Quia tamen nunc prodiere varia Monumenta quae de anno sancto ordinando exspectata erant, opportunum et gratum lectoribus nostris fore putavimus ut quaestionem de magna indulgentia et privilegiis anni sancti ex integro et plenius retractaremus, hoc servato ordine:

I. *Iubilaei significatio et bona; origo et vices historicae; consulenda monumenta;*

II. *Communes iubilaei lucrandi condiciones;*

III. *Facultates paenitentiariis et confessariis concessae;*

IV. *Privilegiata iubilaei acquisitio;*

V. *Iteratus iubilaei usus;*

VI. *Suspensio indulgentiarum per annum sanctum; suspensio facultatum extra Urbem.*

In completo libello de iubilaeo dicendum quoque foret de extensione iubilaei ad universam Ecclesiam, quae, post anni sancti conclusionem, per aliquot menses concedi consuevit. Verum, cum nulla acta de ista extensione hactenus vulgata sint, haec tractationis pars omnino nobis praetereunda est.

Articulus I. — Iubilaei significatio et bona, origo et vices historicae, praesentia monumenta.

I. **Iubilaei significatio et bona.** 1. *Significatio.* Nomine *iubilaei* venit munifica ista largitionum spiritualium effusio quam ex thesauris Ecclesiae et plenitudine potestatis Summus Pontifex *ordinarie* vigesimo quinto, quoque anno, *extraordinarie* vero in specialibus occasionibus decernere consuevit.

Distinguitur enim iubilaeum *ordinarium* et *extraordinarium:* quale postremo promulgatum est anno 1913, ad pacem Constantinianam saecularibus festis honestandam.

Largitio autem spiritualis in plenaria indulgentia potissimum consistit.

Accedunt tamen variae facultates Paenitentiariis et Confessariis factae, quibus fideles ad ipsam lucrandam indulgentiam promptiores et magis expediti reddantur.

2. *Bona.* Plures sane aliae iudulgentiae plenariae hodie fidelibus praesto sunt. Nec ultra plenariam indulgentiam ipse S. Pontifex quidquam remittere potest.

Verum, ut notum est, non adeo multi fortasse sunt qui plenarias indulgentias plene sibi comparant. Dum ipso iubilaei apparatu multo maior spes est ut indulgentia a pluribus cum pleno suo effectu obtineatur. Difficiliores enim seu magis laboriosae condiciones, collectivus Ecclesiae conatus communisque oratio huc collineant ut fideles ad meliores dispositiones subiectivas evehantur.

Confessarii etiam uberius quam olim facultates in censuras, in vota, et in impedimenta participare consueverunt. Accidentalia tamen potestatis incrementa iubilaeo deprehenduntur tum ex numero eorum quibus facultates conceduntur, tum ex ipsa facultatum extensione. Ac praeterea sollemnis facultatum promulgatio, dum maternum Ecclesiae animum prodit, filios peccatis misere servientes ad perfectam conversionem tacite invitare videtur.

Haec sunt *privata* iubilaei bona.

Sunt vero etiam *socialia*, eaque variae rationis.

Primo quidem eminet magnifica catholicae unitatis demonstratio sub Petri successore; et universae fraternitatis fidelium, sine gentium distinctione, professio et confirmatio. Quotquot enim ad sacram men-

sam accedunt testantur se vita Christi vivere ; eiusdem autem vitae perpetuae communitas fratres inter se intimius coniungit.

Caelitus, ex multiplicatis precibus, abundantior gratiarum copia societati christianae et universo mundo descendit.

Habetur etiam efficacior consectatio finium quos regnans Pontifex votis et opere appellat.

Sperata ista bona ipse S. Pontifex in Bulla indictionis splendidis verbis numerat. Mentem autem suam ad quam orandum sit hoc modo explicat. « Quaenam autem, dilecti filii, sit in universum mens Romani Pontificis, profecto non ignoratis; at peculiare aliquid hac iubilaei maximi occasione intendimus, quod vos ipsi Nobiscum impetretis. Pacem dicimus, non tam tabulis inscriptam quam in animis consignatam, inter populos restituendam, quae, etsi non tam hodie fortasse abest quam antehac afuit, adhuc tamen remotior quam pro Nostra et communi exspectatione, videtur.... Mens praeterea est Nostra, ut quicumque aut Urbem incolunt aut huc sunt iubilaei causa peregrinaturi, duplex aliud Dei miserationi negotium instando commendent, quod maximis Nos curis sollicitudinibusque excruciat et religionis interest vehementer : scilicet ut acatholici omnes ad veram Christi Ecclesiam confugiant, et res Palaestinenses sic demum ordinentur et componantur, quem ad modum catholici nominis iura sanctissima postulant. »

II. **Iubilaei origo et vices historicae.** 1. *De ipsa voce.* Vox *iubilaei* ab hebraico *yôbêl* derivatur, hac tamen ratione. Antiqua hebraica vox *yôbêl*, quae arietem proprie significat, subinde, per metonymiam, arietis cornu, sonitum istius cornu, seu buccinam, sollemnitatem buccina nuntiatam significare coepit. Quinquagesimo autem quoque anno temporalium vin-

culorum et debitorum solutio populo Israelitico clangore buccinae intimabatur. Quare *yôbêl* a Septuaginta graece redditum est voce ἄφέσεως seu remissionis. S. vero HIERONYMUS, agnonimatione usus et alludens fortasse ad laetitiam quam latina vox *iubilum* exprimit, *yôbêl* vertit in *iubilaeum*. Cf. H. LESÊTRE in *Dictionnaire de la Bible*, VIGOUROUX, éd. 1903.

2. *De ipsa re.* Prima Bulla iubilaea, *Antiquorum*, BONIFATII VIII, iubilaeum anni 1300 indixit. Anno vero 1349, CLEMENS VI, per Extravagantem communem *Unigenitus Dei Filius* (V, 9) iubilaeum quinquagesimi cuiusque anni imperavit. URBANUS dein VI, anno 1389, im memoriam annorum vitae mortalis Salvatoris, voluit ut in singulos 33 annos iubilaeum recurreret. Sed iam anno 1450, NICOLAUS V legem quinquagesimi anni instauravit. PAULUS II, anno 1470, celebrationem vigesimo quoque anno fieri iussit. Non semel tamen celebratio ista nubilis temporibus impedita est, ita ut in toto saeculo XIX unicus fuerit consueto more celebratus (1) annus iubilaeus, 1825. Anno 1900, iubilaeum fuit ordine vigesimum, ita ut nunc vigesimum primum nobis instet festive agendum.

Suspensio autem indulgentiarum ab anno 1473, regnante SIXTO IV, repetenda est. Usus demum aperiendi *portam sanctam :* quam caerimoniam S. Pontifex per se in S. Petri, per legatos a latere in aliis basilicis maioribus peragit, ab anno 1500 invaluit.

Si autem doctissimus canonista cui nomen BONIFATII VIII, fuit iubilaei institutor, ordinator eius exstitit alter summus iuris canonici peritus, i. e. BENEDICTUS XIV.

Ipse enim dedit, 5 maii 1749, Bullam *Peregrinantes* indictionis iubilaei ; — Bullam *Cum nos*, 17 maii 1749, indulgentias et facultates suspendens ; — Bullam *Convocatis*, 25 no-

(1) Id addimus, quia anno 1850 et 1875, PIUS IX iubilaeum toti orbi indixit.

vembris 1749, facultates Paenitentiaris Urbis concedens ; — Bullam *Paterna charitas*, 17 decembris 1749, ad prospiciendum Monialibus, captivis et aliis stabili impedimento detentis ; — Litteras encyclicas *Inter praeteritos*, 3 decembris 1749, ad Paenitentiarios et Confessarios varias quaestiones de iubilaeo dissolvens. Quem modum ordinandi recentes Pontifices secuti sunt. Sic LEO XIII Bulla *Properante*, 11 maii 1899, iubilaeum indixit ; — Bulla *Quod Pontificium*, 30 sept. 1899, indulgentias et facultates suspendit ; — Bulla *Quoniam divinae*, 21 oct. 1899, facultates Paenitentiariis et Confessariis ampliavit ; — Bulla *Aeterni Pastoris*, 24 oct. 1899, Monialibus et stabiliter impeditis providit ; et iussu Leonis XIII *S. Paenitentiaria*, 1 novembris 1899, e Const. Benedicti XIV, *Convocatis*, et ex litteris encyclicis *Inter praeteritos*, monita collegit de usu facultatum, « non nulla immutata convenienter tempori ».

Modo autem SS. D. N. PIUS Pp. XI, Bulla *Infinita Dei*, 29 maii 1924, iubilaeum indixit ; — Bulla *Ex quo primum*, 5 iul. 1924, indulgentias et facultates suspendit ; — Bulla *Si umquam alias*, 15 iul. 1924, facultates Paenitentiariis et Confessariis indulget ; Bulla *Apostolico muneri*, 30 iulii 1924, Monialibus, Sororibus et stabiliter impeditis prospicit. — Demum, ipso iubente, S. *Paenitentiaria* de usu facultatum et condicionibus iubilaei edidit Monita « Ad normas C. Benedicti XIV et Leonis XIII exarata, auctoritate SS. D. N. Pii Pp. XI ad hodiernam disciplinam accommodata eiusque iussu edita ».

III. **Consulenda Monumenta.** S. quidem Congregatio *Indulgentiarum et SS. Reliquiarum*, 15 mart. 1852 (*Decr. authen.*, n. 353 ad I), declaravit, in iubilaeo tum ordinario tum extraordinario, servandas esse omnes praescriptas a Benedicto XIV regulas, quae Bullae iubilaei non adversantur (1). Postquam autem, LEO XIII et PIUS XI regulas Benedicti XIV ad praesentem usum accommodarunt, applicandus est canon 22, ubi dicit : « Lex posterior... obrogat priori, si... totam

(1) Immo regulas istas collegit et in appendice ad Decreta authentica vulgavit (cf. *Decr. auth.* p. 493 ss.

de integro ordinet legis prioris materiam ». Anteriores tamen leges afferunt interpretationi subsidia quae in canone 6 indicata sunt. I. e. in sanctionibus quae et veteri iuri communes sunt, eadem erit utriusque iuris interpretatio; atque in dubio, pro veteris iuris confirmatione respondendum erit.

Solis tamen actis quae hoc anno in *Acta Apostolicae* Sedis promulgata sunt praesens iubilaeum proprie regitur.

Articulus II. — Communes iubilaei lucrandi condiciones

Summa. Lucrando iubilaeo extraordinario, praeter ecclesiarum visitationes, praescribi consueverunt ieiunium et eleemosyna. Sed cum de iubilaeo ordinario nunc sermo sit, ipsa C. *Infinita Dei* communes condiciones his verbis refert: « *Hoc* igitur *anni sancti decursu*, omnibus utriusque sexus christifidelibus qui, *rite expiati* et *sacra synaxi refecti* beatorum et Petri et Pauli et Sancti Ioannis ad Lateranum et Sanctae Mariae Maioris de Urbe basilicas *semel saltem in die*, per *viginti* continuos aut interpolatos dies sive naturales sive ecclesiasticos.... si Romae degant cives aut incolae, si vero peregre venerint, per *decem* saltem eiusmodi dies pie inviserint et *ad mentem Nostram oraverint*, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, remissionem ac veniam misericorditer in Domino concedimus atque impertimus ».

Itaque haec est summa condicionum, ut, in tempore utili, fiat confessio, recipiatur communio, per quosdam dies basilicae visitentur, et ad mentem Pontificis oretur. In his condicionibus, pro exteris necessitas ipsam Urbem adeundi implicite continetur. Iam singulae condiciones declarandae nobis sunt.

I. **De utili Tempore**. Sicut in C. *Properante*, LEONIS XIII, et in C. *Peregrinantes*, BENEDICTI XIV,

ita etiam nunc, C. *Infinita Dei* iubilaeum inter primas vesperas duorum festorum Natalis Domini continetur.

A primis vesperis Natalis Domini 1924 exordium, primis autem vesperis Natalis Domini 1925 finem habebit. In hac autem re, primae vesperae intelleguntur circa horam secundam pomeridianam adesse (1).

Itaque *intra istud spatium omnia opera lucrando iubilaeo praescripta peragi debent*; nec ad initium vel finem iubilaei traduci potest Monitum XV Instructionis S. *Paenitentiariae* 31 iul. 1924, de utili tempore visitandi Basilicas intra ipsum Inbilaei annum.

II. **De Urbis accessu.** — 1. Universalis quidem invitatio ad omnes, cuiusvis ordinis et gradus, Christifideles dirigitur ut Romam contendant. Nulla tamen pontificia tendendi Romam licentia, ista invitatione continetur, quae a venia *per se* requisita, nedum a naturalis iuris officiis dispenset. Simul tamen religiosorum Superiores monentur ne se nimis morosos ac difficiles praestent, nec hortationem BENEDICTI XIV neglegant (Instr. *S. Paenitentiariae*, n. XII).

Hortatio est huiusmodi: « Nostra invitatio ipsos cumprimis Venerabiles Fratres Ecclesiarum Episcopos complectitur, modo corporis salus id ferat nullumque ex Pastoris absentia gregi concredito obventurum sit detrimentum... Hortamur etiam sacerdotes atque ex Clero reliquos, modo ut par est, dimissoriales Episcoporum litteras secum ferant...

Hortamur et Regulares, modo opportuna Superiorum, quos tamen hac in re benigniores fore confidimus, accedat voluntas. Pari studio laicos hortamur, modo, ante quam itineri sese committant, aut parocho aut a confessario quid sibi expediat, probe intellexerint.

(1) Cf. BERINGER-STEINEN, *Die Ablässe*, n. 149. De hora vesperarum in se sumpta non una est sententia. BOUIX, *De capitulis*, parte 3, c. 2, § 5 ad 6 eam definit hora 2 post meridiem; L. FERRARIS, *Prompta Bibliotheca*, verbo *Officium divinum* tempus vesperarum a meridie ad occasum solis computat; S. ALPHONSUS, *Theologia moralis*, L. 4, n. 174 vesperis assignat horam mediam inter meridiem et solis occasum. Haec in nostris regionibus, fere est hora 2 die 24 mensis decembris. DEVOTI, *Institutiones canonicae*, L. 2, tit. 4, § 6 morem ecclesiarum memorat hodie esse ut vesperae hora tertia vel quarta pomeridiana persolvantur. Cf. DE HERDT, *Praxis capitularis* c. XXVI, § 2, p. 276-277.

2. Hic autem statim **quaestio** suboritur. Cum minor numerus visitationum peregrinis quam Urbis incolis et advenis imperetur, veniuntne peregrinorum nomine quotquot nec domicilium nec quasi-domicilium in Urbe habeant, quacumque intentione Romam petierint, an praeterea requiritur ut piae peregrinationis causa se in Urbem vel in paroeciam suburbii contulerint. (1) Piae peregrinationis intentionem postulari existimat *Monitore*, n. 27, p. 252, allegans n. XV Instructionis S. *Paenitentiariae* et c. 91, qui tamen rem istam non attingunt. BENEDICTUS quidem XIV, C. *Convocatis*, § 44, illos qui propter aliam causam ac iubilaei lucrandi Urbem adiverint, pro numero visitationum incolis Urbis assimilabat. Idem statuit etiam LEO XIII, n. XI inter *Monita* S. *Paenitentiariae*, 1. nov. 1899. Cum autem praesentia Monita id silentio praetereant, atque in nullo Monumento condicio pii aditus ipsius Urbis apponatur, sed, contra, verba non semel talia sint qui omnibus extraneis numerum visitationum imminuant, arbitramur peregrinos hodie intellegendos esse sensu c. 91, quo peregrinus dicitur quicumque versatur extra domicilium vel quasi domicilium quod adhuc retinet.

III. **De condicione expiationis, seu confessionis.** Confessio ista: 1. etiam ab iis instituenda est qui nullius gravis culpae conscientiam habeant (N. XII, C. *Si unquam*); 2. peracta censetur ex quo quis in ordine ad sacramentalem absolutionem reatus suos

---

(1) *Suburbium* ab *agro romano* distinguitur. Cuius distinctionis officialis descriptio habetur. Omnes dioecesis Romanae paroeciae exstant in suburbio. Quaedam tamen, v. g. S. Pauli extra muros, limites ultra suburbium in agro romano extensos habent. Verum Instr. *S. Paenitentiariae*, n. XIV visitationes Basilicarum *vicies* peragendas imponit omnibus qui domicilium vel quasi domicilium habent « intra fines paroeciarum quae in suburbio comprehenduntur ». Quamvis ergo agrum romanum ex parte incolant, omnes tamen paroeciani S. Pauli incolis Urbis assimilantur, cum ipsa paroecia in suburbio comprehendatur.

accusaverit, etiam si nulla absolutio secuta fuerit (1), quia, v. g. Confessarius aestimaverit materiam tantum dubiam fuisse oblatam, vel sine absolutione dimitti posse qui sola venialia habuerit accusanda ; — 3. non sufficit invalida vel annua ex praecepto (C. *Si unquam*, n. XII) ; — 4. sufficit omnis alia confessio non praecepta, saltem si instituatur cum intentione lucrandi iubilaeum, sive sit mere particularis, sive, quod per se suadendum est, sit generalis ; — 5. ubique, etiam extra Urbem, institui potest.

Quid, si quis, facta sacramentali accusatione cum sincera voluntate lucrandi iubilaeum, iudicetur a confessario absolutione indignus ?

Si, ante quam id iudicaverit, confessarius facultate extraordinaria sua usus fuerit, usus iste validus consistit etiam si paenitens, nunc de defectu dispositionis suae monitus, se melius disponere recuset. Id colligimus ex n. XIII Instructionis S. *Paenitentiariae*. Cf. infra.

Si vero facultate ista nondum usus fuerit confessarius, paenitens voluntatem lucrandi iubilaeum servare, ac proin propositum se melius disponendi habere debet ut beneficiorum iubilaei capax esse pergat.

6. Ad finem lucrandi iubilaei minime refert quemnam ordinem confessio inter iubilaei opera teneat, ita ut etiam iubilaei communionem sequi possit.

Quaeres utrum speciales iubilaei facultates exerceri possint erga paenitentes qui extra Urbem et suburbium confessionem instituant ?

Censemus eas exerceri non posse. In C. enim *Si unquam*, initio, SS. Dominus « *Confessariorum in Urbe* » amplificatam voluit potestatem. Solis dein Confessariis a *Cardinali Vicario* ad annum approbatis (praeter proprios religiosorum exemptorum confessa-

(1) Cf. S. *Indulg.* 15 dec. 1841 (*Decr. auth.* n. 295 ad II).

rios) peculiares facultates concessit. Approbatio autem Card. Vicarii finibus diocesis Romanae terminatur.

Potestne eadem *confessione semi-mensili* satis fieri condicioni requisitae ad alias indulgentias lucrandas et simul iubilaeo lucrando ?

Dubitat *Monitore,* p. 254, n. 35, propter verba decreti S. *C. Indulgentiarum* 9 dec. 1763 (*Decr. auth.* n. 231) quo, postquam hebdomadaria confessio (quae tunc requirebatur) declarata est omnibus hebdomadae indulgentiis sufficere, addebatur: « Nihil tamen innovando circa indulgentias iubilaei.... pro quibus assequendis, sicut et alia opera iniuncta ita et sacramentalis confessio tempore in earum concessione praescripto peragatur ». Verba tamen ista id solum exigunt ut confessio fiat intra spatium iubilaeo assignatum, seu, in praesenti casu, intra annum sanctum. Recentiore autem C. *Si unquam*, n. XII, dubium, nostra sententia, evacuatur. Nisi enim incompletam perhibeas declarationem Bullae Pontificiae quae negat sufficere posse confessionem invalidam et annuam ex praecepto, ceterae omnes confessiones indirecte ut sufficientes pronuntiatae sunt. Neque ullam praecepti rationem habet hebdomadaria confessio ad lucrandas indulgentias instituta.

Sufficitne confessio facta ad viaticum recipiendum ? Eam sufficere dicimus, tum quia confessio ista non est qua talis praecepta; tum quia ipsa communio per modum viatici sufficit. Excipe tamen, ut magis veri simile est, si confessio ista sit simul annua ex praecepto. Quamvis enim, propter analogiam, ad confessionem traduci posse videatur quod benigne conceditur de dilata ultra paschale tempus communione praecepta, cum desideretur textus formalis, et confessio facillime iteretur, praevalere hic arbitramur regulam: « Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis » (REIFFENSTUEL, *Prooemium. De regulis iuris*, n. 15).

Quaeres, quid si facta confessio involuntarie incompleta fuerit, ita ut materia necessaria in altera confessione supplenda sit ?

Resp. Oblivio ista valorem confessionis non im-

pedit; peccata tamen omissa nondum sunt clavibus subiecta nec proin vi clavium remissa. Sacramentalis ergo expiatio imperfecta remansit. Quare BENEDICTUS XIV, Ep. enc, *Inter praeteritos*, 3 dec. 1749, § 79, ut solidiori adhaeret sententiae quae iteratam confessionem ab eo exigit qui peccati omissi reminiscitur. Cum hic agatur mere de interpretatione condicionis quae semper viget, idem responsum hodie etiam dandum esse arbitramur.

Nulla demum praescriptae confessionis *commutatio* in cuiuspiam paenitentiarii vel confessarii potestate continetur.

IV. **De condicione communionis eucharisticae.** Communio ista debet esse: 1. *sacramentalis*, ut per se constat ex ipsis verbis: « Qui rite expiati et sacra synaxi refecti », Bullae *Infinita Dei*. Iam antea BENEDICTUS XIV litteris *Inter praeteritos*, I. § 2, declaraverat: « Nos sub sacrae Communionis nomine sacramentalem simul ac spiritualem Communionem intelleximus atque intellegemus »; — 2. communio *non sacrilega*: ex ipso enim Conc. Tridentino, s. XIII *De Eucharistia*, c. 8, haec est communio quae simul dicitur sacramentalis et spiritualis; — 3. communio *distincta a praecepta* communione *paschali*. C. S*i unquam*, quae, n. XIII, istud pronuntiat, simul quidpiam iis benigne indulget qui praeceptum communionis paschalis misere neglexerint. Ut magis ad conversionem exstimulentur ac fructum plenioris reconciliationis statim percipiant, possunt una communione, et praecepto paschali et condicioni iubilaei satisfacere. Eadem § XIII statuit praeterea ut praecepti *viatici* susceptio etiam indulgentiae iubilaei sit satis; — 4. etiam per communionem quae fiat per *missam pro stipendio* celebratam sacerdos condicioni iubilaei satisfacere potest; — 5. *intra annum iubilaei* faciendam esse communionem quae iubilaei lucrandi est condicio, per se

est manifestum ; — 6. communio *ubique*, etiam extra Urbem, fieri potest. Sic *Monitore*, 1924, p. 254, n. 36.

Quod ad *commutationem* istius condicionis, cum solis *aegrotis* (1) qui a sacra dape suscipienda prorsus impediantur, communio in alia opera commutari potest. Nullus enim iam locus est dispensandi pueros, cum omnes qui ad aetatem discretionis pervenerint s. synaxim participare debeant.

V. *De visitandis Basilicis Urbis.* 1. Ut praecipi consuevit, in iubilaeo ordinario, visitandae sunt *quattuor Basilicae Maiores* Urbis, i. e. S. Ioannis ad Lateranum ; Vaticana, S. Petri ; S. Pauli extra muros ; S. Mariae Maioris. — 2. *Numerus* visitationum, qui antea, v. g. a BENEDICTO XIV, C. *Peregrinantes*, § 6, statuebatur triginta pro Romanis incolis et advenis, quindecim pro peregrinis, iubilaeo 1900, C. *Properante*, ad viginti pro Urbis incolis et advenis, et ad decem pro peregrinis reductus est. Quam numeri reductionem admisit quoque hodiernus S. Pontifex. Hodie autem ut supra, hoc art. 2, n. II, observavimus, quibuslibet exteris numerus minor sufficit. — 3. Quattuor Basilicae *in una die* saltem semel visitandae sunt, ita ut qui una die duas, altera vero alias duas visitaverit, nullam lucrando iubilaeo visitationem utilem perfecerit. Is est, ut in C. *Inter praeteritos*, § II, observabat BENEDICTUS XIV, communis et obvius sensus verborum « semel saltem in die » — 4. *Distinctis* vero *viginti* vel *decem* diebus, continuis vel interpolatis, quattuor Basilicae visitandae sunt (Bulla *Infinita Dei*). — 5. Quo *ordine* Basilicae visitentur, minime refert. (*S. Paenitentiaria*, Monitum XV.) — 6. Dies sumi possunt *civiles*, a media nocte ad mediam noctem, vel *ecclesiastici*, qui hic, a meridie diei praecedentis usque ad

(1) Contra atque habet *Monitore*, 1924, p. 254, n. 36, non cum aliter impeditis.

mediam noctem, proxime sequentis diei intellegi possunt. Ita Monita *S. Paenitentiariae*, n. XV, quo verba C. *Infinita Dei*, in hac re temperantur. In C. enim, sicut in C. *Properante*, LEONIS XIII, dies ecclesiasticus a primis vesperis ad integrum subsequentis diei vespertinum crepusculum intellegi dicebatur. Verum nunc, Codicis canone 923, decretum *S. Officii*, 26 ian. 1911, confirmante, regula generalis promulgata est, qua visitationes a meridie diei praecedentis festum ad mediam noctem ipsius festi, utiliter pro indulgentiis institui possunt. Quod ad praesentem iubilaei casum accommodatur.

Hic **quaeritur** utrum qui visitationes secundum diem civilem facere coeperit, easdem, eadem die civili sed altera die ecclesiastica, repetere utiliter queat, an contra constans in semel facta optione esse debeat. Nullam constantiam requiri, censent BERINGER - STEINEN, op. c. I. n. 1004; *Monitore*, l. c. n. 34; immo id sancit ipsa *S. Paenitentiaria Monito* XV: « Completa igitur quartae Basilicae visitatione, licebit, ut patet, a meridie et deinceps eiusdem Basilicae visitationem iterare, ad inchoandam seriem visitationum insequentis diei ». Quod plane consentaneum est facultati quam concessam existimavimus *Theol. mor.* I, 371. Ac re vera, nulla lege constantia optionis semel factae imperatur; neque ulli bono privato vel publico, libertas ista nocet. Itaque possit quis post meridiem singulas Basilicas bis visitare: semel quasi in die civili; semel quasi in die ecclesiastico, et sic, si peregrinus fuerit, intra quinque dies civiles, decem visitationes utiliter peragere.

7. Visitatio autem non iteratur, nisi Basilicam *egressus*, eandem *iterum ingrediaris:* quam diu in Basilica manseris, eandem visitationem protrahere existimaris.

In n. XV Instr. *S. Paenitentiariae*, additur: « facta horarum supputatione secundum c. 33, § 1 ». Canon iste dicit communi loci usui standum esse. Simul tamen, in privata horarum canonicarum recitatione, in s. communione recipienda et in ieiunii vel abstinentiae

lege servanda, permittit etiam ut quis sequatur « tempus aut locale, sive verum sive medium, aut legale, sive regionale sive aliud extraordinarium ». Menti autem legislatoris consentaneum putavimus (*Theol. mor.* I, 371) ut eandem facultatem ad indulgentias traduceremus. Quod etiam placet BERINGER-STEINEN, in opere *Die Ablässe,* S. Paenitentiariae probato, I. 128. — 7. Non refert *qua porta* ingrediaris vel egrediaris Basilicam ; nec *quo modo*, sive pedes, sive rheda publica vel privata advectus, ad Basilicas pervenias. Neque *in* ipso *itinere* orandum est ex praecepto. Nihil enim huiusmodi iniungitur. Cf. quoque *Monitore,* 1924, p. 253, n. 30. Pedestre tamen et pium iter valde commendandum est, ut melius ad ipsas indulgentias consequendas disponens. — 8. Si, quia basilicae *clausae sint* vel ob aliam causam, v. g. multitudinem hominum, earum aditus prohibeatur, « satis erit ad earundem fores vel gradus Deum exorare ».

His verbis, *S. Paenitentiaria*, Instr. n. XV, iam satis receptam, nondum tamen authentice recognitam opinionem confirmat, quae tenet utilem indulgentiis visitationem ad valvas Ecclesiae fieri posse quando ingressus ipse impeditur. Cf. BERINGER-STEINEN, I, 116. — 9. Ipsae *Basilicae* adeundae sunt, nullum tamen definitum Basilicarum altare visitandum est. — 10. *Pia* autem visitatio requiritur (*C. Infinita Dei*). Qualitas ista nullas *definitas* preces vel orationem genuflectendo factam postulat; dicit autem visitationem institutam « animo Deum colendi, quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat ».

Visitatio Basilicae ad sacram dapem pro iubilaeo recipiendam etiam, qua *visitatio*, utilis est ad iubilaei indulgentiam consequendam. Minus constat condicioni visitationis satisfieri per assistentiam missae ex praecepto. Id tamen affirmant optimi doctores, quales REIFFENSTUEL, *Theol. mor.* Tr. XIII, Appendix. I. Additio

V., et recens MELATA, *Manuale de indulgentiis*, 1892, p. 73, qui hanc probabilem rationem addit, visitationem Ecclesiae et auditionem Missae esse opera per se separabilia, et Horis canonicis et Missae ex praecepto audiendae simul satisfieri posse.

Vitanda est confusio qua non nulli (v. g. *Monitore*, 1924, p. 253, n. 30) hic quaerunt de oratione ad mentem Pontificis facienda, quae, ut ait *S. Paenitentiaria*, Instr. n. XVI, pie quidem in singulis visitationibus iterari consuevit, nunc tamen a visitationibus seiungi potest.

De visitationum *commutatione* et *dispensatione*, haec tenenda sunt. — 1. Qui, *in Urbe* aut in ipso *itinere* morbo vel alia legititima causa impediti, aut morte interim praerepti, visitationum numerum nondum compleverint vel nondum inchoaverint, ipsa Bulla *Infinita Dei* ab aliis visitationibus dispensantur.

Legitima, praeter morbum, causa esse potest si urgente negotio quis domum repetere cogatur. Semel autem in itinere prohibiti, non iam debent se iterum ad iter Romanum accingere ut indulgentias lucrari queant.

2. Paenitentiarii minores et quotquot eorum facultates participant; immo etiam Confessarii a Cardinali Vicario, ad annum, approbati, vel constituti a Superiore religionis clericalis exemptae pro suis subditis et extraneis in religiosa domo diem noctemque commorantibus, eos pro quibus sunt approbati hac ratione iuvare possunt: *a*) cum *singulis exteris* (non ergo collectiva ratione) qui vel ob paupertatem vel ob aliam gravem causam in Urbe tam diu consistere nequeunt, dies visitationum ad tres reducere possunt, vel ipsas visitationes in alia pia opera prudenter commutare; *b*) cum *civibus* et *advenis* Urbis et suburbii qui, morbo aliove legitimo impedimento detenti a visitandis basilicis prohibentur, visitationes in alia pia opera, quae ab ipsis impleri possint, dispensando commutare possunt. Ita Bulla *Si unquam*, n. XI, unde

colligimus, reductionem ad tres dies cum externis sine surrogato alio opere pro septem supplendis diebus, fieri posse; plenam autem ab omni visitatione dispensandi facultatem non concedi, sed commutatione paulo latius intellecta opus esse. Visitationes sacelli domestici, si quod fuerit, vel decem aut viginti coronae B. M. V. cum una vel altera s. communione opportuna ratio fuerint visitationes dispensando commutandi.

VI. **De precibus ad mentem Pontificis fundendis.** 1. Quaenam sit hodie mens S. Pontificis, supra, in articulo I a nobis ex ipsa Bulla *Infinita Dei* explicatum est. — 2. Non est tamen necesse ut fideles hanc mentem noverint, dummodo preces ad Pontificis intentionem vel ad lucrandas indulgentias Deo offerre voluerint. (S. C. *Indulgentiarum*, 12 iul. 1847, ad 3. *Decr. auth.* n. 344. Instr. *S. Paenitentiariae*, Monitum XVI.) — 3. Preces requiruntur ex parte *vocales* (libere selectae), sive quis eas solus recitet sive cum socio alternatim. Mutis autem, vi c. 936, satis est ut preces « mente recolant signisve effundant, vel tantummodo oculis percurrant ». — 4. *Quantum* orandum sit nondum est authentice definitum; *S. Paenitentiaria* tamen *Instr.* Monito n. XVI, id memorat, ex communi sententia sufficere quinquies recitatam orationem dominicam, salutationem angelicam et doxologiam (1).

Preces istae, quamvis in singulis visitationibus pie iterari consueverint, a *visitationibus* tamen *seiungi possunt* (Instr. S. *Paenitentiariae*, s. XI). Quare Constitutione *Si umquam*, n. XI, monentur Confessarii ne, cum a visitatione oispensant, obligationem precum simul relaxent.

---

(1) Quamvis non desint (v. g. BERINGER STEINEN, I. n. 133) qui in referenda communi sententia, doxologiam *Gloria Patri* prorsus omittunt vel semel tantum post quinque *Pater* et *Ave* recitandam addunt, melius et tutius erit normam a S. *Paenitentiaria* indicatam sequi et quinquies doxologiam sicut Pater et Ave pronuntiare.

Iterum, in hac re, recessum hodie est a BENEDICTI XIV et LEONIS XIII praescriptis. BENEDICTUS enim XIV, in C. *Convocatis*, § 51, et LEO XIII per Monitum XVIII *S. Paenitentiariae*, 1 nov. 1899, preces ad mentem suam effundendas iusserant « *in singularum visitatione basilicarum* ».

Nec tunc quaerendum erat *quotiens*, ad mentem Pontificis orandum esset; dum nunc huic practicae quaestioni fit locus. De qua re, satis nova, donec authentica forte declaratione melius instruamur, sic dici posse arbitramur. Omittamus, in C. *Infinita Dei*, verba quae pertinent ad visitationes a quibus preces separari possunt. Obtinemus hunc textum: « Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus qui... semel saltem in die per viginti continuos aut interpolatos dies sive naturales sive ecclesiasticos.... si Romae degant cives aut incolae, si vero peregre venerint per decem saltem eiusmodi dies... ad mentem Nostram oraverint ». Hi igitur qui nulla dispensatione fruuntur, saltem semel in die, per viginti aut decem dies distinctos quibus basilicas visitant, preces ad mentem Pontificis fundere debere videntur. Qui vero a complendo statuto visitationum numero sint legitime dispensati (etsi precum officio atque onere minime exsolvuntur) non coguntur tamen toties preces iterare quot numero fuerint condonatae visitationes. Regulam istam negativam ab ipsa *S. Paenitentiariae Instructione* accipimus. Positiva autem definitio relicta videtur paenitentiario vel confessario qui, utendo facultate dispensando commutandi, pro dispensatis visitationibus certum numerum precum ad mentem Pontificis prudenter determinabit.

Commutatio istarum precum in solum *aegrotantium* commodum licite conceditur (C. *Si unquam*, n. XI).

VII. **De requisito statu gratiae.** « Unum refert et necesse est, ut *postremum* ex praescriptis opus,

quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae... compleatur.» Inst. *S. Paenitentiariae*, n. XIII hic condicionem generalem, canone 925, § 1 expressam, memorat.

Quid igitur, si quis, post institutam utilem iubilaeo confessionem, sed ante impletas ceteras condiciones, in mortale inciderit?

Ipse vel communionis condicionem iam implevit, vel adhuc, ad finem lucrandi iubilaei, sacra dape reficiendus est. Si sacram synaxim adhuc suscipere debet, opus est, sicut per se liquet, ut confessionem iteret; « secus, satis erit ut actu contritionis perfectae elicito, cum Deo reconcilietur ». Ita, explicite *S. Paenitentiariae Instr.* n. XIII.

Nimis severe igitur BERINGER-STEINEN, *Die Ablässe*, I, n. 86 et 1002, reconciliationem per confessionem in omni casu postulant. Nituntur tamen C. BENEDICTI XIV, *Convocatis* § 47, et Litteris enc. *Inter praeteritos*, § 79, quae hanc condicionem re vera apponunt. Idem exigebatur, 1. nov. 1899, a *S. Paenitentiaria* n. XIV ex Monitis suis. Itaque praesens S. Paenitentiariae declaratio confirmat quod initio dicebamus de abrogatione et hodierno usu Constitutionum Benedicti XIV et monumentorum anteriorum.

Articulus III. — Facultates Paenitentiariis et Confessariis concessae

§. I. *Quibusnam speciales facultates concedantur.*

Per annum sanctum, facultates extraordinariae conceduntur tum *Paenitentiariis minoribus, tum ceteris Urbis confessariis*, tum *Confessariis extra Urbem*. De singulis breviter dicendum est.

I. **Quinam, per annum sanctum, nomine Paenitentiariorum veniant.** Sunt: 1. Paenitentiarii iam maioribus Urbis Basilicis habitualiter addicti; 2. Paenitentiarii quos, ex mandato Bullae *Si unquam*, Cardinalis Paenitentiarius Maior ad totum annum sanctum pro Basilica S. Pauli designaverit; - quos idem Cardinalis in Basilicis Maioribus adiunxerit paeniten-

tiariis consuetis; — quos instituerit in aliis, sive saecularium sive regularium ecclesiis, in iis praesertim quae nationales ecclesiae dicuntur; — 3. S. Paenitentiariae Praelati atque officiales ex utraque S. Paenitentiariae sectione (altera, sine nomine speciali, altera de indulgentiis), si in Urbe ad audiendas fidelium confessiones habitualiter approbati sint; — 4. singuli parochi Urbis et suburbii (quod nunc practice omnes Romanae diocesis parochias complectitur); — 5. approbati a Vicariatu rectores et confessarii ecclesiarum nationalium (C. *Si unquam*, n. XIV).

Hi omnes in sede sua confessionali, inscriptam habebunt tabellam: *Paenitentiarius Sancti Iubilaei.*

II. **Confessarii** distinguendi sunt: 1. speciatim designati a Superiore religioso religionis clericalis exemptae; 2. Confessarii habitualiter in Urbe vel in religiosa domo approbati; 3. Confessarii extra Urbem.

1. Bulla *Si unquam*, n. XIV, permittit ut Superior religionis exemptae (quam clericalem supponere debemus) « pro sodalibus religionis omnibusque extraneis in religiosa domo diem noctemque commorantibus » ad normam c. 514, § 1, unum alterumve e confessariis domus deputet qui, erga modo indicatos tantum, facultates paenitentiariorum participabunt. — Quisnam autem Superior sit competens, id ex propriis religionis Constitutionibus vel consuetudinibus est colligendum.

2. Praeterea sunt in Urbe confessarii ad annum a Cardinali Vicario approbati; et domus religionum clericalium exemptarum suos proprios etiam confessarios numerant.

3. Extra Urbem demum sunt etiam approbati Confessarii ab Ordinario loci pro saecularibus et religiosis; et approbati a Superioribus religiosis exemptis pro subditis suis religiosis et personis c. 514 numeratis.

§ II. *Erga quosnam et ubinam facultates exerceri possint.*

I. **Subiectum passivum facultatum** sunt omnes tam Orientalis quam Occidentalis Ecclesiae fideles, qui ad confitendum apud competentes Confessarios accedunt sincera et firma mente et voluntate ut iubilaei veniam lucrentur (C. *Si unquam*, n. XX).

Quod ipsi Orientales fiant iubilaei participes, id est mera applicatio regulae generalis qua Orientales indulgentias Latinorum iisdem quibus Latini condicionibus lucrari possunt.

Paenitens cui facultates prodesse possunt debet quidem voluntatem habere lucrandi indulgentiam iubilaei. Non est tamen necesse ut eam statim vel mox sibi comparare velit, ita ut possit, v. g. exeunte anno 1924, confessarium adire, cum proposito lucrandi iubilaei in mense decembri 1925. Propterea in ipsa Bulla sermo fit de voluntate quae non solum sincera demonstretur sed quae firma iudicanda sit. Ac donec indulgentiam iubilaei nondum lucrati sint, iteratis vicibus usum facultatum postulare possunt. Sed postquam semel indulgentiam obtinuerint, i. e. omnia opera praescripta valide peregerint, frustra, pro usu facultatum specialium, paenitentiarios vel confessarios *denuo* adiverint (C. *Si unquam*, n. XV). Interrogandi igitur erunt paenitentes utrum necne opera iubilaei praescripta iam peregerint, et quasnam absolutionis vel relaxationis gratias forte iam vi iubilaei, impetraverint.

Quocirca, ut n. XIII *Instr. S. Paenitentiariae* opportune monemur, qui semel iubilaeum acquisiverint, novas deminutiones vel commutationes operum praescriptorum obtinere non possunt; prioribus tamen, iam obtentis, totiens uti frui permittuntur quotiens indulgentiam Iubilaei defunctorum animis applicandam lucrari cupiant.

Verba « *denuo adierint* » C. *Si unquam*, nobis clare declarantur Instructione S. Paenitentiariae, n. XVII, hoc modo. Si necessitas absolutionis a censuris vel dispensationis aut commutationis votorum vel impedimentorum, post impleta iubilaei opera *primum* cuipiam exorta fuerit, is, concessu Sanctitatis Suae, *semel* iisdem gratiis utifrui permittitur. Si vero iam, cum iubilaei indulgentiam lucratus est, absolutionem a censuris vel alias gratias dispensationis aut commutationis impetraverit, a confessario ad usitatas Codicis normas tractandus est.

Quid, si quis non vi facultatum iubilaei sed vi potestatis habitualis a censura absolutus fuerit? Huic integer manere videtur usus gratiarum iubilaei.

Liquet autem subiectum passivum esse non posse nisi eos pro quibus confessarii iurisdictionem fori interni consecuti sint.

II. « **Ad locum quod attinet**, quo licite vel etiam valide iubilarem confessionem audiant, servent tum Codicis praescripta, tum Ordinarii loci mandata, tum denique ea quae in ipso facultatum suarum indice statuta sunt » (Instr. *S. Paenitentiariae*, II).

1. Locus igitur ad ipsam validitatem requiretur, si in definitis tantum dioecesis locis, iurisdictione sacramentali sint praediti. Ipsa enim C. *Si unquam* confessariis facultates non concedit nisi « intra fines... temporis, *loci* ac personarum in concessione approbationis designatos ». Plerumque circumstantia loci erit condicio liciti usus facultatum. Propterea C. *Si unquam* memorat c. 908-910 de loco ubi virorum et feminarum confessiones audiri permittuntur, praeter necessitatem eas audiendi cum consensu (saltem legitime praesumpto) rectoris ecclesiae.

Ceterum, etiam extra ecclesiam cui addicti sunt, possunt paenitentiarii suis facultatibus uti. « Caveant tamen, - in quo graviter eorum conscientiam onera-

mus - ne ecclesiam propriam neglegant, ut aliis inserviant » (C. *Si unquam*, XVI).

§ III. — *Facultates concessae.*

I. Observationes generales

1. Valde notabile est quod docemur C. *Si unquam*, versus finem: « 4° Si quas autem facultates ab Apostolica Sede per S. Paenitentiariam aut alio legitimo modo impetraverint aut per Annum Sanctum impetrabunt, eae firmae atque immutatae sunto ». Nulla enim suspensio facultatum ipsam Urbem attingit. Quare *peculiares normae infra memorandae, solum usum respiciunt facultatum extraordinariarum iubilaei.*

2. Confessarii monentur ut limites suarum facultatum mente praesentes teneant. Ita, qui non sunt paenitentiarii, nullam *ex Iubilaeo* facultatem habent absolvendi a casibus specialissime Romano Pontifici reservatis; nihil *vi iubilaei*, in censuras publicas, in irregularitates, in vota reservata, in impedimenta matrimonii possunt. Iis igitur normae generales de huiusmodi absolutionibus servandae sunt.

Instructio S. Paenitentiariae, n. I, memorat c. 2254, de modo quo, in casibus urgentioribus, salvo recursu intra mensem ad Superiorem competentem, a censuris absolvere possint; canonem 2290, de modo quo, ut famae rei et vitando scandalo consulatur, obligationem eas servandi suspendere vel adeo ab iis absolvere permittuntur; canonem 1045, § 3, de potestate dispensandi in casibus occultis ab impedimentis matrimonii, si casus qui stricte vel late perplexus dicitur occurrerit; canonem 990, § 2, de facultate dispensandi, solum ad exercendos susceptos ordines, ab irregularitatibus ex delicto, excepto homicidio vel abortu.

3. Ne, propter iubilaeum, confessarii iniungere *paenitentiam* omittant; nec, si aliter fieri potest, opera aliunde praecepta in sacramentalem paenitentiam imponant (*Instr. S. Paenitentiariae*, n. III). De paenitentia

observandae dicuntur normae a theologis communiter traditae. Permittunt autem communiter ut, propter occasionem indulgentiae, minor paenitentia imponatur. Haec igitur etiam regula observari poterit. Quamquam hodie tam modicae paenitentiae iniungi consueverunt ut vix rationabilis locus isti imminutioni detur.

4. Magis absolute, n. XX *Instr. S. Paenitentiariae*, vetantur confessarii ne onus visitationis quattuor basilicarum, cum non sit per se praeceptum, commutetur in alia opera « ad quae peragenda paenitens sit alio obligationis proprie dictae titulo (1) adstrictus ».

5. Firmae manent et consistere pergunt absolutiones, commutationes votorum et dispensationes iubilaei causa semel concessae, quamvis paenitens, mutato proposito, ab ipso iubilaeo acquirendo postmodum desierit. Excipiuntur tamen absolutiones a censuris ad reincidentiam concessae. (Instr. *S. Paenitentiariae* XVIII). Exceptio id solum significat: quod absolutio tempore iubilaei sit data, id non impedit vim condicionis reincidentiae alicui absolutioni adiunctae.

II. Facultates paenitentiariorum et confessariorum qui ipsis sunt aequiperati.

I. **Facultates absolvendi.** 1. Facultas « pro foro conscientiae, in actu sacramentalis confessionis, et tantum per se ipsi, absolvendi quoslibet paenitentes (ergo etiam religiosos et moniales) non solum a quibusvis *censuris et peccatis* Romano Pontifici aut Ordinario a iure reservatis, sed etiam a censura ab homine seu a quovis iudice lata, cuius tamen absolutio in foro externo non suffragabitur » (C. *Si unquam*, principio). Tam ampla tamen facultas regulis usui impositis satis coartatur, hac ratione:

a) A censuris *specialissime reservatis* Romano

(1) Verba haec suspicamur posita esse ut vetito excludant opera ex voto privato debita. Titulus enim proprie dictae obligationis videtur esse, hoc loco, obligatio *ab alio* imposita seu non sponte suscepta.

Pontifici, vel quam C. *Vacante Sede,* ipso facto incurrendam decreverit, vel a violatione secreti *S. Officii* aut similis secreti, si quod permanenter aut transitorie imponatur in Curia Romana, absolvere non possunt nisi in casibus urgentioribus et cum onere recurrendi intra mensem ad S. Paenitentiariam. Itaque nihil peculiare de his censuris videtur concessum, nisi quod statim additur. Etenim, sine onere recurrendi, absolvere possunt confessarium qui semel aut bis tantum absolutionem complicis in peccato turpi attentaverit: ei autem imponere debent remotionem occasionis relapsus, obligationem non iam audiendi vel absolvendi in posterum proprium complicem, nisi secus periculum immineat infamiae aut scandali; immo, monendi complicem, si redierit, attentatas absolutiones invalidas fuisse. (C. *Si unquam,* I.)

Observes non quamvis secreti S. Congregationis violationem ita stricte reservari. Quare, proposito exemplo secreti S. Officii, solum « alterum secretum simile » huiusmodi reservatione affectum dicitur. Tale, v. g. exsistit apud S. C. *Consistorialem* de informationibus circa novos episcopos.

b) In solis casibus urgentioribus et cum onere recurrendi ad *S. Paenitentiariam* absolvere possunt *Ordinarios saeculares* et *Superiores maiores* religionis exemptae, qui in excommunicationem speciali modo S. Pontifici reservatam *publice* inciderint (C. *Si unquam,* II).

Observes, si verbis Constitutionis stemus, non de Superioribus maioribus religionis clericalis exemptae tantum agi, qui nomen habent Ordinariorum, sed de omnis religionis exemptae Superiore maiore, etiam si laica sit, ut est v. g. Ordo S. Ioannis de Deo.

c) *Publice dogmatizantes haereticos* vel *schismaticos* absolvere vetantur nisi, abiuratis saltem coram ipso confessario haeresi vel schismate, scandalum, ut par est, reparaverint (C. *Si unquam,* III).

Quamvis satores impietatis et incredulitatis a formaliter haereticis fortasse distingui possint, ipsa tamen rerum natura postulat ut eodem modo cum ipsis agatur.

De natis in haeresi praescribitur ut dubium de facto vel validitate baptismi in secta collati, ante absolutionem, ad Em. Card. Vicarium deferatur (C. *Si unquam*, III). Incapaces enim sunt absolutionis, si baptismus fuerit obiective nullus.

Praeterea nati in haeresi plerumque erunt, in foro etiam externo, cum Ecclesia reconciliandi, saltem si aetatem 14 annorum compleverunt (cf. *S. Officium, Coll. P. F.* ed 2, n. 1566); atque ob hanc alteram causam agendum erit in Urbe cum *S. Officio*.

d) De iis qui *vetitis sectis* nomen dederint, Constitutione *Si unquam*, n. IV, praescribitur, praeter scandali reparationem (quae, v. g. per vitam piam aperte ductam obtinetur), et cessationem a quavis cooperatione vel favore sectae praestando, denuntiatio (ad normam c. 2336, § 2) ecclesiasticorum et religiosorum quos sectae ascriptos noverint; traditio librorum, manuscriptorum et signorum quae sectam respiciant, ut caute ad S. Officium transmittantur aut saltem, si iustae gravesque causae id postulent, destruantur; impositio, pro modo culparum, gravis paenitentiae salutaris et frequentis confessionis sacramentalis.

Varia haec praescribi consueverunt a *S. Paenitentiaria*, quando facultatem absolvendi sectarios concedit. Haec potest etiam in casu difficiliori positivas obligationes temperare. In adiunctis autem, in quibus, propter maiora incommoda, secundum normas ad quas remittimur, ipsa obligatio positiva desierit, ea imponenda abstineri poterit.

Observes prudentia verba: « ut a quavis *activa* cooperatione vel favore praestando cessaverint ». Formalis igitur renuntiatio sectae stricte non praescribitur, quia nuntium dantem gravissimo periculo exponere possit.

Deficiente autem tali discrimine, dimissio, ut liquet, exigenda est.

c) Numero quinto C. *Si unquam*, praescribitur quod iure naturae sancitur: ne absolvantur qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisierint, ante

quam sincere saltem promiserint vel restitutionem vel compositionem cum S. Sede.

Non aliter *S. Paenitentiaria*, *Instr.* n. IV, vult etiam ut, « si quis in occultas censuras ob partem quoquo modo laesam inciderit, eum ne ante absolvant, quam parti laesae, etiam scandalum reparando damnumque sarciendo, satisfecerit; aut saltem, si eiusmodi satisfactionem praestare ante non possit, vere graviterque promiserit se, cum primum licuerit, satisfacturum ».

f) Si *publicae* sint *censurae* in locis ubi paenitentes commorati sint, vel nominatim declaratae sint, aut delictum ad iudicium fori externi iam deductum sit, absolvi quidem poterunt in foro conscientiae et sacramentali tantum, dummodo sincere parati sint futuris mandatis stare et reparare scandalum; ac proin plene permittant ut confessarius scribat libellum in quo, expressis nomine, cognomine et dioecesi paenitentis, praeter casum publicae censurae subiectum, absolutionem a se datam subtus testetur. Paenitentem, cum hoc libello ad *S. Paenitentiariam* dirigere debet. A S. Paenitentiaria ad Ordinarium remittetur cum rescripto in forma *Missi* vel *Remissi* absoluti; i. e. quo fides fit absolutionem a publica censura in foro sacramentali datam esse, ut ad normam c. 2251 tamquam absolutus in foro externo haberi possit. Sub poena tamen reincidentiae paenitens reliquis Ordinarii mandatis parere debet. Qui tamen Ordinarius clementius mitiusque cum isto reo aget. Cf. C. *Si unquam*, n. VI et *Instr. S. Paenitentiariae*, n. V. ubi praecipitur ut paenitentiarii minores « iniungendae satisfactioni haud aliter consulant quam secundum praxim S. Paenitentiariae ». Si ergo praxim istam noverint, satisfactionem a S. Paenitentiaria imponi consuetam exigere debebunt. Si illam ignoraverint, in libello quocum paenitentem ad *S. Paenitentiariam* remittent, indican-

bunt quamnam iniunxerint, ut S. Paenitentiaria quid opportunum iudicaverit supplere possit; vel etiam quod praeterea S. Paenitentiaria suppleverit in paenitentiam sacramentalem iniungere antecedenter possint.

Hactenus quae C. *Si unquam* praescripsit. *Instructio* autem *S. Paenitentiariae*, n. VI-XI, haec alia subiunxit.

a) Qui *ad finem* quoquo modo *malum Monialium clausuram* violaverint, in casibus etiam occultis, *sub reincidentia* in censuras, nomine Sedis Apostolicae prohibendi sunt accessu ad illud monasterium et eius ecclesiam. Pro mitiore condicione Cardinalis Maior Paenitentiarius adeundus est (*Instr.* VI).

Finis *quoquo modo malus* esse potest furti, sacrilegii personalis aut realis, etc. — Ut ex sequenti numero apparet, finis graviter malus esse debet; et clausura debet in hunc finem violata fuisse. Si tantum post violatam clausuram finis malus intentus fuerit, extra praesentem casum versamur. — De solis monialibus quae sub clausura papali degunt agi hic videtur. Aliarum enim clausura non protegitur censura specialiter S. Sedi reservata quae vi specialium facultatum absolvi debeat.

b) *Religiosos* qui ad finem graviter malum, *mulierum introductione clausuram* suam *violaverint*, a privatione officii et vocis activae et passivae qua, ad normam c. 2342, 2°, in poenam multati sint, eximere non possunt (*Instr.* n. VII).

Mentio c. 2342 iterum demonstrat, nomine religiosorum non venire nisi regulares, seu qui regularium clausura tenentur.

c) A lectione *librorum prohibitorum*, praesertim sub excommunicatione prohibitorum (c. 2318, § 1), neminem absolvant, nisi libros quos penes se retinuerit Ordinario, aut confessario, ant alii facultate proviso, ante absolutionem tradiderit, vel se, cum primum potuerit libros destructurum aut traditurum esse serio promiserit (*Instr.* n. VIII).

Itaque etiam optio destruendi libros potius quam eos tradendi permittitur.

c) Monitum IX *Religiosos apostatas et fugitivos* respicit. Quam diu extra Ordinem (quo nomine hic venit quaevis religio) permanserint, religiosi *apostatae* ab excommunicatione c. 2385 absolvi nequeunt; possunt tamen absolvi in foro interno et condicionate, seu sub poena recidendi in censuram, si intra tempus a confessario praefinitum non redierint. Simul monendi sunt de sua iuridica condicione, quam diu extra religionis domum permanserint et de poenis quibus etiam post reditum obnoxii maneant. (Iuridica ista condicio his constat: actibus legitimis excluduntur; omnibus suae religionis privilegiis privantur; subduntur Ordinario loci commorationis.) Si vero religiosus reus fuerit delicti ob quod, ex c. 646, ipso facto legitime dimissus habeatur, a confessario qui eum in foro interno absolverit dirigendus est ad *S. Paenitentiariam* cum testimonio de impertita censurae absolutione. Ab hac ad *S. Officium* pro opportuno remedio deferendus est.

Fugitivus, rite dispositus, etiam si ex iure particulari in excommunicationem inciderit, poterit in foro interno absolvi, sed sub poena reincidentiae in censuram, nisi intra definitum (a confessario) tempus religionem repetierit; si vero in sacris fuerit, suspensionem c. 2386 observare debet. In hanc suspensionem confessarii iubilaei non aliam potestatem habent quam quae, ex c. 2254 et 2290, supra, § 3, I, 2, memorata est.

Si vero apostatae vel fugitivi, prius quam redeant, poenarum mitigationem a Superioribus impetrare cupiant, ne absolvantur, sed ad Superiores suos remittantur (Instr. n. X).

e) *Clericis in sacris* qui *matrimonium* etiam civile *attentaverint*, si rite dispositi fuerint et scandalum reparare parati sint, absolvi possunt; sed a confessario cum testimonio de absolutione dirigendi sunt

ad S. Paenitentiariam; et ab hac ad *S. Officium*, tamquam irregulares (e c. 985, 3) remittendi sunt (*Instr.* n. XI).

N. B. Varia haec praecepta de modo utendi facultatibus usum diversum per se non reddunt invalidum, sed graviter tantum illicitum. Verum, nisi in ipsa praecepti formula exceptio ob magnam difficultatem vel similem causam sit expressa, paenitentiariis et confessariis non licet propter consuetas excusationes a praescripto modo recedere. Non agitur enim de absoluto Ecclesiae praecepto, de quo valet istud: *Lex non obligat cum tanto incommodo*, vel de facultate qua confessarius per se pollere debeat, sed de potestate extraordinaria quae sub modo est concessa. Igitur si modus servari nequit, causa ad *S. Paenitentiariam* est deferenda pro remedio.

II. **Facultates dispensando commutandi**. Facultates istae afficiunt *vota - irregularitates, - impedimenta matrimonii, - et condiciones iubilaei.*

Plerumque autem, cum agitur de votis vel de condicionibus iubilaei, non simplex dispensandi, sed dispensando commutandi vel commutando dispensandi facultas conceditur. Quamvis, quando potestas dispensandi in recto ponitur, amplior censeatur facta facultas quam cum directe fit potestas commutandi, ad subtilem istam distinctionem S. Sedes, in casu praesenti, respexisse non videtur, sed mere voluisse concedere mixtam potestatem, quam in *Instructione S. Paenitentiariae*, 1. nov. 1899, numerus XXVI, sic declarabat « Facultas *commutandi vota dispensando* distinguitur a sola et simplici commutatione, quae subrogationem exigeret materiae fere aequalis; sed commutatio mixta cum dispensatione est capax verae inaequalitatis inter materiam voti et rem subrogatam ».

1. *Facultates in vota. a*) Omnia et singula vota

privata, paenitentiarii dispensando commutare possunt, etiam si fuerint iurata et reservata Apostolicae Sedi.

Notum est reservata hodie duo esse : votum perfectae ac perpetuae castitatis, et votum ingrediendi religionem votorum sollemnium, quae emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum aetatis annum (c. 1309).

b) Quando a S. Congregetione dispensatio a votis professionis religiosae petebatur, S. Sedes firmum velle solebat votum castitatis perfectae et perpetuae. Ab hac regula hodie plerumque receditur. Si tamen in dispensatione a votis publice emissis, votum istud exceptum fuerit, poterit nihilominus a paenitentiariis ob gravem et probabilem causam commutando dispensari. Verum id nullatenus extendi potest ad obligationem caelibatus quam ordinati in sacris, etiam postquam ad statum laicalem redacti fuerint observare debent. Nulla facultas ab ista obligatione dispensandi (sive ex voto sive e lege ecclesiastica immediate oriatur) in iubilaeo conceditur.

De modo utendi facultate haec duo observanda sunt. Quaesitum ius tertii laedi non poterit. Quare paenitentiarii abstinere debent commutandis votis cum praeiudicio tertii nisi is libenter expresseque consenserit. Praeterea voto non peccandi vel voto poenali opus subrogandum est quod non minus quam votum a peccato arceat. (C. *Si unquam*, n. VII).

2. *Facultas in irregularitates.* In solo foro conscientiae et sacramentali a quavis irregularitate ex delicto *prorsus occulto* paenitentiarii dispensare possunt. Si tamen agitur de homicidio voluntario aut de abortu, dispensare ad hoc unice possunt ut paenitens ordines iam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exercere queat.

Verba « *prorsus occultum* » distinctionem olim a S. Paenitentiaria factam memorant, quam canon 2197 nunc praetermisit. *Simpliciter* occultum dicebatur delictum cuius divulgatio nec

in praesenti facta erat nec facile futura videbatur; *omnino* (prorsus) *occultum* vero, delictum quod in foro externo probari non poterat (Cf. WERNZ, *Ius Decr.* VI, 17, v). Si igitur textum stricte sumas, delictum duobus testibus fide dignis notum iam non est prorsus occultum, ita ut dispensatio a conexa irregularitate facultates paenitentiariorum excedat.

3. *Facultas in impedimenta matrimonii.* Solum ad sanandum matrimonium et pro solo foro conscientiae et sacramentali, paenitentiarii dispensare possunt ab impedimento *consanguinitatis* in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, si: *a*) impedimentum ex generatione illicita proveniat; *b*) si occultissime dissimulatum fuerit. (C. *Si umquam* XI.)

Dispensare quoque possunt ab impedimento *criminis* occulto, neutro tamen machinante (coniugis mortem); iniuncta, si matrimonium iam contractum fuerit, renovatione consensus secundum c. 1135; imposita, in utroque casu, salutari, gravi diuturnaque paenitentia (C. *Si umquam*, n. X).

C. 1135, quando impedimentum est occultum, ut in casu esse debet, exigit sed satis simul esse dicit ut pars impedimenti conscia privatim consensum renovet. Si ambae partes impedimentum noverint, privata renovatio ab utraque facta etiam sufficit.

Salutaris paenitentia est quaelibet utilis; *gravis* est quae pro gravi culpa in sacramento datur; *diuturnam*, relative pensandam esse, attenta qualitate personae, delicti gravitate atque etiam actionis frequentia, arbitramur (namque notio ista controvertitur). Actio quae saepe facienda est fit breviore intervallo diuturna. Sic cotidiana coronae recitatio per tres menses, accessus hebdomadarius ad sacramenta per sex menses; accessus menstruus per annum; accessus quater in anno per tres annos; annua exercitia spiritualia per quinque vel sex annos, nobis diuturnae paenitentiae videntur. Maxime autem salutaris est frequens accessus ad sa-

cramenta confessionis et communionis. Cf. *Theol. mor.* III, n. 614 et 834.

In n. X C. *Si umquam*, restrictio « in foro interno tantum et sacramentali » non additur. Dicemusne dispensationem ab impedimento occulto criminis posse etiam extra forum sacramentale et pro utroque foro concedi ?

Id facile proponeremus, nisi dubium ingereret n. II *Instr. S. Paenitentiariae* quo paenitentiarii monentur se posse facultatibus suis valide tantum in confessione sacramentali uti « nisi aliud concessio ferat ». Hic autem nihil expresse de foro externo conceditur, et omissio restrictionis explicari potest quia facultati immediate anteriori, quae est etiam de impedimento matrimonii, addita est.

4. *Facultates circa iubilaei condiciones.* Facultates istae declaratae sunt in articulo II, n. III-VI.

III. Facultates omnibus Urbis confessariis concessae.

I. **Facultates absolvendi.** Accepta iurisdictione a Vicariatu, quae ad annum sit data, vel, si religiosus religionis clericalis exemptae, a Superiore religioso competente, intra fines exercendae iurisdictioni praescriptos, possunt in foro sacramentali tantum absolvere ab omnibus censuris, etiam specialiter S. Sedi vel Ordinario a iure reservatis dummodo ne sint *publicae*, et ab omnibus peccatis etiam S. Sedi reservatis. Normas et exceptiones paenitentiariis praestitutas ipsi observare debent.

Praeterea, ut iam antea monuimus, facultates habitualiter ipsis concessas, *in Urbe*, per annum sanctum, sicut extra iubilaei tempus exercere possunt.

II. **Facultates dispensandi.** 1. *Vota.* Dispensare commutando possunt *vota privata* etiam iurata, non tamen Apostolicae Sedi reservata ; nec vota quorum commutatio vergeret in detrimentum tertii, aut minus

quam votum a peccato arceret. Per se, clausula « quorum commutatio vergeret in detrimentum tertii » plura excipit quam clausula « quorum commutatio ius quaesitum laederet ». Voti enim principaliter Deo facti relaxatio nullum ius quaesitum laederet. Votum enim principaliter Deo factum nullum ius quaesitum creat; eius tamen relaxatio praeiudicium afferret ecclesiae cui ex voto quidpiam obtingere deberet. Verum arbitramur verba in praesenti casu usurpata esse ut aequipollentia his aliis: « Salvo iure tertii quaesito ». Cur enim in anno sancto minus ample intellegeretur quam fieri solitum est facultas commutandi vota, non perspicitur.

2. *Condiciones iubilaei.* Quo modo paenitentiarii, eodem omnes Urbis confessarii visitationes basilicarum et alia iubilaeo praescripta opera commutare possunt.

De usu facultatum redeunt monita de usu facultatum a paenitentiariis.

IV. Facultates confessariorum extra Urbem

1. Per se confessariis extra Urbem nulla specialis facultas conceditur nisi pro iis qui, ut infra videbimus, tamquam stabili modo impediti ipsius iubilaei extra Urbem fieri possunt participes. Facultates istas infra explicabimus. Quare, cum agitur de iis qui in Romano itinere morbo vel alia legitima causa impediuntur, ipsa C. *Infinita Dei* eos directe a visitandis Basilicis dispensat.

2. Immo facultates quas habere consueverunt ex parte saltem suspenduntur. Limites igitur istius suspensionis infra accurate definiendi erunt.

Articulus IV. - Privilegiata iubilaei acquisitio.

Constitutione *Apostolico muneri*, 30 iul. 1924, S. Pontifex, vestigiis decessorum suorum inhaerens, longe plurimis prospicere intendit qui non una de

causa impediuntur quo minus aut Romanam peregrinationem suscipiant aut praescriptas Basilicarum visitationes instituant.

Neque hic distinctio facienda est inter regiones ubi versantur : sive sint in Urbe, sive extra Urbem commorentur, eiusdem gratiae sunt participes.

Non omnes tamen impediti iubilaeum per annum sanctum lucrari possunt. Pontifex enim quos privilegio ditare vult, limitative numerat, per verba « *participes dumtaxat sunto* » quibus numerationem suam introducit.

§ 1. — *Quinam sint impediti privilegiati.*

S. Pontifex, postquam eos, exceptis operariis, generali hac sententia conclusit : « Eos intellegi volumus qui, cum intra claustralia saepta vivant vel in hostium potestate versentur custodiaque publica detineantur vel corporis infirmitate laborent, prohibentur prorsus ne imperata, Iubilaei causa, expiandis animis opera aggrediantur ac perficiant », distinctam numerationem efficit personarum, quae ad quinque genera revocari possunt. Sunt enim vel *claustrati* vel in *hostium potestate* constituti, vel *custodia publica* detenti, vel *corpore infirmi* et *senes*, vel *operarii*. Itaque :

1. *Claustrati*, saltem lato sensu, intelleguntur : *a*) Moniales, Religiosae Sorores congregationum, Oblatae Instituti approbati, feminae quae sub eodem communi tecto cum approbatione ecclesiastica communem vitam agunt, cum omnibus contubernalibus, quibus accensentur feminae quae famulatus aut stipis colligendae causa saepta religiosa egrediuntur, et puellae semi-convictrices (exclusis proin externis educandis). — *b*) Puellae et mulieres in gynecaeis seu Conservatoriis degentes. *Gynecaei* nomine venit omnis domus hospitandis stabiliter mulieribus destinata; *Conservatorium* est omne institutum servandis educandisve puellis

deputatum, etiam si catholicus animus desideretur. *c*) Pertinentes ad regularem Ordinem vitae contemplativae deditum, si in continuata, quamvis non stricte perpetue clausura vivunt: ita Trappenses, Cartusiani, Camaldulenses monachi.

2. *Captivi* in hostium potestate versantes.

3. *Carcere conclusi*, exsilio aut deportatione multati, ad opus in poenalibus institutis damnati; immo ecclesiastici vel religiosi viri qui in domo emendationis gratia detinentur (sivi sit coenobium sive sit alia domus: v. g. parochialis, in qua, sub parochi directione, sacerdos emendationi suae studere sit iussus, cum prohibitione egrediendi paroecia vel saltem dioecesi).

4. *Impediti morbo* vel *imbecilla valetudine*, *senes* qui septuaginta annos compleverint (hi videntur excusati, etiam si validi fuerint); atque ii quoque qui aegrotis in nosocomiis continuata opera inserviunt. Continuata opera non est necessario perpetua. Privilegiatos ergo etiam illos existimamus qui aliquot diebus vacationum fruuntur: una in hebdomada, duabus vel tribus in mense.

5. *Operarii* qui, cotidiano labore sibi victum comparantes, nequeunt se labore per tot dies et horas abstinere: sive salario diurno vel hebdomadario conducti sint. Necesse tamen videtur ut moraliter impediantur. Iam vero qui non multas horas (non ultra octo), laborant in officinis, atque a sabbato post meridiem ad feriam II vacant, non iam aliqua peculiari difficultate detenti videntur.

§ 2. — *Iubilaei condiciones pro privilegiatis.*

Privilegiatis quos modo numeravimus praescribuntur: fervens *confessio* et *communio*; - *oratio ad mentem Pontificis*; - *opera* religionis, pietatis vel caritatis, quae Ordinarii per se ipsi vel per prudentes

confessarios, pro condicione et valetudine singulorum ac pro loci temporisque rationibus iniunxerint.

Operibus *religionis* cultus Dei promovetur, ut si pars sumatur in sacra processione vel cantu sacro; opera *pietatis* sunt potissimum *preces*; opera *caritatis* sunt, v. g. eleemosynae, visitationes aegrotorum, pauperum, lectiones catechismi.

Vitandum hic etiam est ne praescribantur opera ad quae fideles iam sint alio titulo astricti.

§ 3. — *Aliae gratiae privilegiatis oblatae.*

1. Omnes supra memorati, ac proin etiam Moniales, *liberam* habent, pro confessione quam semel vel pluries ad iubilaeum lucrandum instituant, *optionem confessarii* ad praescripta Codicis a suo Ordinario approbati. *Ad praescripta Codicis*, qui pro Monialibus et Sororibus non graviter aegrotis, specialem approbationem per se postulat. Confessarium tamen pro mulieribus approbatum, quem, ad normam C. 522, Monialis seu Soror adierit satis approbatum existimamus ut facultatibus specialibus uti possit.

2. Praeterea, *bis*, iteratis operibus, *iubilaeum*, intra annum sanctum, *lucrari possunt.* Nec ulla restrictio huic gratiae apponitur. Quare non videmus cur *Monitore*, p. 211, nota, existimaverit pro solis defunctis posse altera vice indulgentiam iubilaei obtineri.

3. Demum, si morbus periculosus eos oppresserit, satis est, pro indulgenlia, ut praescripta opera inchoaverint. (C. *Apostolico muneri*).

§ 4. — *Facultates confessariorum*

1. Quando confessio ad iubilaeum lucrandum instituitur, confessarii a suo Ordinario approbati, possunt, in foro sacramentali tantum, privilegiatos absolvere a quibusvis *censuris* et *peccatis* etiam Apostolicae Sedi speciali modo reservatis, excepto casu haeresis

formalis et externae, impositis salutari paenitentia aliisque secundum canonicas sanctiones rectaeque disciplinae regulas iniungendis.

Haeresis formalis habetur quando quis veritatem, ab Ecclesia ut credendam definitam, novit revelatam et simul credere nolit. Ut aliis verbis utamur, opus est ut formale fidei obiectum reiciat.

2. *Moniales* a *quibuslibet votis* privatis, post professionem religiosam sollemnem emissis, dispensare possunt, etiam si regulari observantiae minime adversentur. Vota enim anteriora vel quae vitae regulari adversantur sunt ab ipso iure suspensa.

Demum omnes *reliquae claustratae*, lato sensu supra explicato, a votis non reservatis *commutando dispensare* possunt, etiamsi vota sint iurata. Hortatur demum Pontifex Episcopos ut « eligendis ad praesentium effectum confessariis » i. e. confessariis quos paenitens elegerit, facultates ne recusent absolvendi a casibus quos sibi reservarint.

Quaeres utrum in Urbe paenitentiarii et alii confessarii possint erga privilegiatos uti amplioribus facultatibus quas possident, vi iubilaei, erga alios fideles qui communibus condicionibus tenentur ?

Respondemus ipsos id posse. Namque in ipsa Bulla facultates conceduntur « sine detrimento earum facultatum quas forte alio titulo exercere possit (confessarius) » ; et in C. *Si unquam*, paenitentiariis et confessariis Urbis usus facultatum permittitur cum omnibus fidelibus qui accedant ad confitendum cum seria et firma voluntate Iubilaeum lucrandi.

Id tantum, in Urbe, interest inter impeditos privilegiatos et alios: quatenus utantur C. *Apostolico muneri*, bis sibi, dum alii, in Urbe, semel tantum pro se iubilaeum lucrari possunt. Quotiens autem voluerint utrique, pro defunctis condiciones iubilaei implere possunt.

De usu ceterum facultatum vi C. *Apostolico muneri*, valent, congrua congruis referendo, Monita S. Paenitentiarae.

Articulus V. — Iteratus iubilaei usus

Quotiens ipsa indulgentia acquiri potest? 1. *In Urbe et suburbio* unusquisque semel sibi indulgentiam acquirere potest, animis vero defunctorum totiens quotiens iniuncta opera perfecerit.

Iniuncta, inquam, opera, sive ea quae communiter exiguntur, sive ea quae ex legitima dispensatione ipsi satis sunt. Nec prohibentur confessarii pluries erga eundem sua dispensandi facultate uti. Attamen, postquam semel iubilaeum acquisierit, prioribus quidem concessionibus pergere uti potest; novas autem operum commutationes aut dispensationes iam impetrare non poterit.

Si supervenerit indultum generale quo visitationum numerus, ab initio praescriptus, ad minorem redigatur « qui hunc numerum nondum attigerit, visitationes ante peractas ad complendum nnmerum computet; qui vero numerum ita imminutum iam attigerit aut excesserit, unam saltem novam quattuor basilicarum visitationem, ut indulto fruatur, adiungat » Haec, quae explicite habentur in n. XVII Instr. *S. Paenitentiariae*, quadrant ad declarationes *S. Paenitentiariae*, factas 10 maii, 1900 (Cf. *Monitore,* XII, 167).

Qui tamen in ipsa Urbe vel suburbii paroecia *stabiliter impeditis* annumerantur *bis* sibi, vi C. *Apostolico muneri* indulgentiam iubilaei lucrari possunt, ac praeterea, sicut ceteri in Urbe vel suburbiis quotiens eam vita functis applicare voluerint. Communis condicio iterandi opera iubilaeo lucrando praescripta observari debet.

Ita componenda ducimus quae habet C. *Apostolico muneri* ubi, sine distinctione Urbis et Orbis, omnibus quos pro stabi-

liter impeditis habet largitur ut *etiam bis* indulgentiam iubilaei lucrentur, cum n. XVII Instr. *S. Paenitentiariae* quae permittit ut in Urbe vel suburbio, *praeterea* totiens in defunctorum suffragium eandem indulgentiam acquirant, quotiens opera suffecta repetant.

2. *Extra Urbem et suburbia*, soli ii qui secundum Bullam *Apostolico muneri* stabiliter impediti censentur indulgentiam iubilaei acquirere possunt, et quidem *bis*, operibus iteratis. Neque restrictio qua tantum pro defunctis iterum indulgentia obtineri queat hic apponitur.

Quotiens autem usus fieri possit facultatum Paenitentiariorum et Confessariorum, supra, art. 3, § 2, explicatum est.

Articulus VI. — Suspensio indulgentiarum et facultatum

Apprime a suspensione *facultatum*, quae Urbem non afficit, distinguenda est suspensio *indulgentiarum*, quae ubique locorum viget.

§ 1. *Suspensio indulgentiarum*

I. **Regulae generales.** 1. In universo Orbe *cessant, pro vivis*, per annum sanctum, omnes indulgentiae, plenariae et partiales, non exceptae, sive a S. Sede, sive ab aliis Superioribus, utputa Episcopis concessae.

2. Simul tamen omnes fiunt *defunctis applicabiles*. Ita enim habet C. *Ex quo primum*, 5 iul. 1924. « Ceteras omnes (praeter indulgentiam iubilaei et exceptas) indulgentias plenarias et partiales, aut ab Apostolica Sede directe concessas aut ab aliis quoquo pacto concessas... decernimus per totum annum sanctum vivis nequaquam prodesse, sed tantummodo vita functis ».

3. Sub poena excommunicationis ipso facta incurrendae aliisque poenis arbitrio Ordinariorum infligendis, *vetatur publicatio, indictio* vel *in usum demandatio* indulgentiarum quae non sint iubilaei vel exceptae.

I. e. etsi S. Pontifex sinit pro defunctis alias indulgentias lucrari, non vult tamen ut earum publica

commendatio vel divulgatio aut propositio, occasio fiat cur indulgentia iubilaei minoris aestimetur.

Corollaria. Quia non suspenditur facultas impertiendi benedictionem cui indulgentiae sint annexae, benedictio Apostolica poterit ab episcopis, a contionatoribus in fine missionum, etc. ut extra annum sanctum dari; sed indulgentiae solis defunctis prodesse poterunt. Cf. BERINGER-STEINEN, *Die Ablässe*, I, n. 799.

Quia non applicatio sed sola concessio (seu indictio) indulgentiarum prohibetur, benedictiones rerum, ut puta rosariorum, scapularium, numismatum, poterunt ut extra annum sanctum celebrari; iterum tamen pro solis defunctis indulgentiae acquiri poterunt. (Cf. BERINGER-STEINEN, *op. cit.*, I, n. 1015.

II. **Indulgentiae exceptae**. Ex ipsa C. *Ex quo primum*, integrae manent, ita ut etiam viventibus utiles esse pergant: 1. indulgentiae in *articulo mortis* lucrandae; 2. indulgentiae orationis *Angelus Domini* vel *Regina caeli* (pro temporis diversitate); 3. Indulgentiae *adorationis* quadraginta Horarum (vel, ni fallimur, aequiperatae in privilegiis adorationis, qualis, in Belgio quae dicitur Adoratio perpetua); 4. indulgentiae iis decretae qui, *SS. Sacramentum* quando ad *aegrotos* defertur *comitantur* vel tunc cereum vel facem per alios ferendam mittant; 5. indulgentia totiens quotiens sacellum Portiunculae prope Assisium pietatis causa adeuntibus statuta; 6. indulgentiae « quas S. R. E. Cardinales, Apostolicae Sedis Nuntii itemque Archiepiscopi et Episcopi *in usu Pontificalium* aut *impertienda benedictione* aliave forma usitata largiri solent ».

Ac n. XIX *Instructionis S. Paenitentiariae* monemur ceteras etiam quae iam dudum a suspensione eximi consueverant in suo robore per annum sanctum manere et consistere, modo authentice constet, exemptionem fuisse re vera et in perpetuum concessam. *Monitore*, 1924, 194, nota, memorat indulgentias *Terrae Sanctae*

ex Bulla *Divina disponente*, Pii IV, 17 ilul. 1561. Paucae esse videntur huiusmodi privilegiatae indulgentiae, ita ut cautionis causa, clausula ista adiecta videatur si qua indulgentia hoc privilegio demonstretur munita.

§ 2. - *Suspensio facultatum, extra Urbem*

I. Quaenam facultates suspendantur

I *Regula* his verbis C. *Ex quo primum* proponitur : « Facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Nobis et Apostolicae Sedi reservatis, relaxandi censuras, dispensandi a votis eademque commutandi, dispensandi praeterea ab irregularitatibus et impedimentis cuilibet quoquo modo concessa extra Urbem eiusque suburbium per Iubilaei Maximi decursum ».

Verba ista, cum sint satis per se perspicua, paucis tantum observationibus locum dant.

Facultates et indulta intelleguntur generalia, quasi ponatur: *Facultates ex indultis generalibus*.

Facultas absolvendi « *etiam* a casibus Nobis et Apostolicae Sedi reservatis » per se complectitur facultatem absolvendi a casibus Ordinario a iure reservatis. Verum hic, cum non suspendatur nisi quantum sit *etiam ad casus S. Sedi reservatos*, indultum absolvendi a casibus iure Ordinario reservatis non suspendi videtur. Sic etiam *Monitore*, n. 15, p. 250.

Indulta relaxandi *censuras* etiam de solis censuris S. Sedi reservatis intellegi debet.

Facultas demum *dispensandi ab impedimentis* intellegitur de impedimentis matrimonialibus, non autem de impedimentis ad ordines vel professionem. Distinctio enim impedimentorum ad ordines ab irregularitatibus nunc primum in Codice est facta ; dum suspensio facultatis dispensandi ab impedimentis in C. BENEDICTI XIV legitur et de solis matrimonialibus impedimentis intellegebatur. Cf. Bullam *Cum Nos nuper*, § 3, 17 maii 1749, BENEDICTI XIV.

II. — Quaenam facultates suspensione sint immunes

I. *Non suspenduntur* facultates quae *obiecto* differunt ab iis quae suspenduntur; quae proin non spe-

ctant ad absolutiones casuum reservatorum, vel censurarum, neque ad dispensationes a votis, ab irregularitatibus aut ab impedimentis matrimonii. Aliae bene multae sunt : v. g. indulta permittendi lectionem librorum prohibitorum ; reducendi missas, etc.

II. Etiam si obiecto non differant, ipsa C. *Ex quo primum*, ratas et firmas esse iubet ubique, per annum sanctum : facultates *Codice* iuris canonici concessas (non eae tamen quae manant e privilegio Codice non revocato); facultates pro *foro externo* ab Apostolica Sede Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis factas ; tum Ordinariis locorum et Antistibus religiosorum Ordinum quoquo modo in subditos suos tributas.

Vi primae exceptionis, poterunt Ordinarii, sicut extra annum sanctum, remittere, in casibus occultis, poenas latae sententiae iure communi statutas, exceptis censuris specialiter vel specialissime Sedi Apostolicae reservatis (c. 2237, § 2) ; dispensare a votis non reservatis (c. 1313) ; dispensare ab irregularitatibus ex delicto occulto, excepta irregularitate propter homicidium vel abortum contracta (c. 990, § 1) dispensare in impedimentis matrimonii, ad normas c. 1043-1045 ; poterunt Superiores religionis clericalis exemptae dispensare a votis subditos intellectos ad normam c. 514, § 1 (c. 1313, 2°) ; poterunt confessarii uti facultate in censuras quam ipsis tribuunt c. 2253. 2254; in irregularitates quam habent in casu 990, § 2 ; in impedimenta matrimonii quam ipsis conferunt c. 1044. 1045. Et quia facultates modo numeratae ab Ordinariis vel Superiore religioso per se vel per alium exerceri possunt, nihil ipsos prohibet quin facultates istas etiam habitualiter per annum sanctum delegent.

Facultates Legatorum S. Sedis a nobis in Periodica T. XII relatae et commentariis illustratae sunt. - Observes in secunda exceptione de solis facultatibus agi quae sive Legatis S. Sedis sive Ordinariis locorum, sive Superioribus religiosorum *pro foro externo* datae sunt. Non dicemus tamen, cum *Monitore* (1924, p. 250, n. 17), eas in solo foro externo exerceri posse si sint pro utroque foro datae. C. enim *Ex quo primum*, dum ratas habet facultates pro foro externo, usum ad forum exter-

num non limitat quando facultas etiam ad forum internum pertingit. Meminerimus quoque pro foro etiam interno valere actum potestatis iurisdictionis pro foro externo collatae (c. 202).

III. — **Limitatio suspensionis in gratiam paenitentis.**

1. Ipsa C. permittit ut Ordinarii vel confessarii consuetas facultates *S. Paenitentiariae* pro foro interno exerceant erga paenitentes qui, quo tempore confessionem peragunt, nequeant, sine gravi incommodo Urbem adire.

Consuetae istae facultates respiciunt absolutionem a censuris, dispensationem a votis, ab irregularitatibus et ab impedimentis matrimonii.

Ut exerceantur debuere obtineri. Agitur ergo de solis facultatibns quas S. Paenitentiaria re vera vel Ordinario vel confessario tribuerit, non autem etiam de similibus facultatibus quae aliunde, v. g. ex privilegio Ordinis participentur.

2. Quia agitur de paenitentibus qui confessionem peragunt, exercitium in solo foro *sacramentali* permitti videtur.

3. Exerceri autem possunt istae facultates si, *tempore quo confitentur*, iter Romanum ipsis fuerit graviter incommodum. Non refert ipsos dein posse facile Urbem adire. Quare, ut ait *Monitore* (p. 248, n. 7), exerceri poterunt erga reum qui hic et nunc est in carcere unde brevi postea liberabitur.

Quinam autem censendi sunt non posse sine gravi incommodo Urbem adire?

Grave incommodum minus dicit quam physica impossibilitas; sed, attenta materia, severius aestimandum est quam cum agitur de variis praeceptis quae absolute imponuntur. Ipsa instans invitatio Pontificis, qua premit fideles ut ad Urbem confluant, nos monet ut grave incommodum strictius intellegamus. Considerabimus igitur rerum adiuncta et personarum mores. Qui iter voluptarium ad loca distantia instituere

solet, nisi cum confitetur gravi negotio detineatur, expeditus pro itinere Romano a nobis iudicabitur.

Ut exempla quaedam mentem nostram demonstrent:

Gravi incommodo impediuntur, nostra sententia: praeter eos qui physico impedimento prohibentur, quotquot licentiam patris, Superioris non obtinerent vel qui ad eam obtinendam locum suspicioni dare deberent; vel qui Romam sine gravi offensione mariti, vel personae auctoritatem habentis petere non possent; quotquot officio residentiae detinentur; — quotquot nimia distantia ab Urbe distant. Tales sunt fere omnes Transalpini nisi, pro facultatibus suis vel vitae consuetudine, iter Romanum non censetur ipsis nimis grave vel dispendiosum. Tales etiam sunt Cisalpini quibus, pro rei familiaris exiguitate, iter nimis caro constaret.

Itaque plerique extra Italiam et bene multi etiam in Italia impediti iudicari posse videntur.

N. B. Accurate igitur distinguendi sunt *stabiliter impediti*, qui vi C. *Apostolico muneri* etiam extra Romam iubilaeum lucrari possunt: erga ipsos confessarii omnes suas habituales facultates exercere possunt, et quasdam alias ab ipsa Constitutione mutuantur; et alii qui *cum confitentur* non possunt sine gravi incommodo Urbem adire: erga istos solae facultates a Paenitentiaria directe vel per delegationem Ordinarii obtentae exerceri possunt (si agitur de facultatibus per se suspensis). Primi limitative numerantur in Constitutione *Apostolico muneri;* alii prudenti Ordinarii vel confessarii iudicio aestimantur gravi incommodo retenti.

Quid igitur si confessarius habituali potestate careat paenitentem a reservato casu absolvendi? Sicut extra annum sanctum, ipsum quia casus urget aut durum est paenitenti in statu mortalis peccati etiam per diem manere, absolvet cum onere recurrendi intra mensem vel ad S. Paenitentiariam vel ad habentem facultatem. Si agitur de dispensatione obtinenda quam ipse dare non possit, vel Romam mittet vel scribet ad S. Paenitentiariam, indicando utrum necne paenitens commode Urbem adire queat.

Hactenus quae de Actis proxime istantis iubilaei secundum communia interpretationis principia scribenda existimavimus. Lectores autem Nostri ad positivas S. Sedis declarationes attendere non omittent, si quae strictius accipienda aut benignius concessa forte declarentur.

Optandum iam et ferventi prece impetrandum restat, ut fructus sperati Magno iubilaeo ferantur; ut sancta Pontificis vota impleantur; ut ipse Pater communis fidelium multitudine filiorum Romam confluentium et firmata tandem vera in animis pace per regnum Christi laetari in Domino possit.

De c. 542 et 981, et de libero clericorum ingressu in religionem.

Occasio lucubrationis. — Inter rogata quo pacto statutis dioecesanis caveri posset ut sacerdotes qui gratis in seminario instituti sunt dioecesi saltem per septem annos inservirent, excluso etiam ingressu in religionem, inclita Romana ephemeris *Monitore ecclesiastico,* nuper, mense octobri 1924, p. 311, huiusmodi statutum superfluum esse censuit, cum sacerdotes de quibus agitur titulo servitii dioecesis ordinati essent, iureiurando interposito se perpetuo devovendi dioecesis servitio, sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate (c. 981). Inde enim, cum iuramentum istud nec condicione nec tempore circumscribatur, sacerdotes in perpetuum ingressu in religionem prohiberi, nisi Ordinarius eorum iuramentum relaxasset. Porro, canone 542 eorum ingressum pronuntiari invalidum per verba : « 1° Invalide ad noviciatum admittuntur... clerici qui ex instituto S. Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat ».

In nostra *Epitome iuris canonici* I, n. 534, prioris editionis, tum 632 alterius editionis, negavimus canonem 542 ad c. 981 referri posse, sed in allegata dispositione agi de iuramento quo in Urbe ex pontificia ordinatione, alumni plurium collegiorum, mox post receptionem in collegium, iuratam promissionem facere debent qua, post susceptum sacerdotium se per aliquot annos missioni vel dioecesi operam daturos esse, ita ut per illud temporis spatium nullam religionem, nisi ex dispensatione Pontificia, ingrederentur. Quod satis planum esse et manifestum existimabamus. Nunc autem, rogati quid de allegato loco *Monitore* sentiamus, nostram bis iam propositam sententiam rationibus et auctoritate confirmare, operae pretium esse diximus. Quod, studio veritatis et propter communem religiosorum utilitatem, hic praestare conabimur.

I. Argumenta intrinseca.

1. *E Codicis verbis.* Canone 542 iis qui ex *instituto* S. Sedis iureiurando tenentur clauditur religio. Institutum autem S. Sedis minime legem communem sed peculiarem S. Sedis ordinationem significat. Num umquam, in sermone iuridico, lex generalis nomine Instituti S. Sedis appellata est? - Eodem canone religio clauditur per tempus quo obligatio perseveret. Impedimentum igitur supponitur temporale, non perpetuum. In c. autem 981 perpetuum servitium promittitur (sensu mox declarando). Ergo in c. 542 non agitur de iureiurando canonis 981.

Rursus autem, cum re vera in Urbe sint collegia quorum alumni temporali iuramenti obligatione devinciuntur, de hoc iuramento agi satis manifestum videtur.

2. *E stylo* Codicis. Nihil magis Codici consuetum est, quando vim cuiuspiam canonis praeservare in-

tendit, quam his verbis uti : *firmo tamen tali canone.* Iam vero, in canonibus de ingressu in religionem, neque in c. 538, ubi generalis facultas religionem ingrediendi promulgatur, neque in c. 542, 2º ubi de clericis in sacris agitur, occurrunt verba : « *firmo tamen c. 981* ».

3. *Ex absurdo consectario* diversae sententiae. Quo maiore vinculo quam officio de se perpetuo clericus detineri potest ? Iam vero, ipsis parochis patet ingressus in religionem, ita ut propter solam necessitatem gravis damni Episcopus ingressui contradicere sinatur. Atque ingressus, legitime invito Episcopo factus, solum *illicitus* pronuntiatur. Dum hic mera tituli susceptio perpetuum atque absolutum impedimentum efficeret !

4. *E permissa tituli mutatione.* Iuramentum non diutius quam titulus cui annectitur vim suam servare potest. Sed, quid prohibet ne titulus mutetur ? « Perpetuum... servitium dioecesis promittitur ut compenset perpetuum ius ad alimenta quod per ordinationem clerico in sacris comparatur ; sed legitima tituli commutatio non prohibetur. Iam vero qui religionem ingreditur religione aletur et alium titulum acquiret ». Ita nos *Epitome*, l. c. Atque ipso obtento congruo beneficio, ut puta parochiali, titulus diversus est acquisitus, quo ingressus in religionem minime excluditur.

5. *E comparata formula* iuramenti titulo missionis annexa et iuramenti servitii dioecesis. Haec sunt verba iuramenti missionis quae ad rem nostram faciunt : « Ego... spondeo et iuro quod, postquam ad sacros ordines promotus fuero, nullam religionem, Societatem aut Congregationem regularem, sine speciali Sedis Apostolicae licentia... ingrediar neque in earum aliqua professionem emittam.

« Voveo pariter et iuro, quod in hac dioecesi (aut Vicariatu, vel in Missione cui S. Sedi vel S. Congr.

de Propaganda Fide me destinare placuerit), perpetuo in divinis administrandis, laborem meum ac operam... pro salute animarum impendam; quod etiam praestabo si, cum praedictae Sedis Apostolicae licentia, Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingressus fuero et in earum aliqua professionem emisero » (1). Inde colligimus, non quidem ipsa promissione servitii missionis, sed expressa in alio iuramento ingressus in religionem exclusione, ingressum istum prohiberi. Itaque, cum in iuramento servitii dioecesis c. 981, mentio ista omittatur, ingressus in religionem canone 981 non clauditur.

Praeterea, cum excluditur ingressus in religionem, ne exclusio nimis absolute sonet, additur « sine speciali S. Sedis licentia ». In iuramento autem servitii dioecesis perpetuum sine mentione dispensationis obtinendae servitium promittitur. Estne veri simile S. Pontificem voluisse magis absolute quam per iuramentum missionis, aditum ad religionem per iuramentum servitii dioecesis impedire?

II. Argumenta auctoritatis.

Scriptores quos consuluimus, alii verba canonis 542 mere referunt ad iuramenta collegiorum Urbis; alii usum canonis 981 diserte excludunt.

R. P. BLAT, O. Pr. *Commentarium iuris canonici*, Liber II, ed. altera, p. 596, quinam sint clerici iureiurando ex instituto S. Sedis astricti, sic explicat:

« Iureiurando ab eadem S. Sede iniuncto, sive occasione cooptationis in Pontificium collegium;... sive occasione cooptationis titulo missionis inter sacros ministros, iuxta instructionem S. C. de Propaganda Fide ». Canonem 981 nullatenus memorat, quamvis, id fatemur, aliqua confusione peccent verba sequentia: « Clerici ergo qui iuxta praedicta vel alias (ex instituto autem S. Sedis) iureiurando tenentur ».

(1) *Collect. de P. F.* II, 1369 fine.

Dr. LEITNER, *Handbuch des katholischen Kirchenrechts*, L. II, § 28, IV, p. 213, postquam sanctionem c. 542 rettulit, monet formulas huiusmodi iuramentorum reperiri apud GASPARRI, *De sacra ordinatione* (1894), II, p. 313-315; atque addit huiusmodi iuramenta usu venire in Romanis collegiis nationalibus. Ne cogitat quidem de c. 981.

PRUEMMER, O. Pr. *Manuale iuris ecclesiastici*, Q. 204, 8. sic legem refert:

« Clerici qui ex instituto S. Sedis tenentur operam navare in bonum dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat. Tale iusiurandum usuvenit praesertim in seminariis quae clericos pro missionibus educant. Nihil ominus haud ita difficulter solet S. Sedes licentiam concedere clericus huiusmodi iuriurando ligatus ingrediatur in religionem ».

FERRERES, S. I. *Institutiones canonicae*, I, n. 851, haec habet:

Octavum impedimentum « nonnullos clericos tangit qui tempore studiorum expensis quorundam collegiorum aluntur, condicione tamen a S. Sede imposita et cum iureiurando acceptata, serviendi deinceps per certum tempus missioni vel dioecesi, etc, ad quam collegium pertinet ».

COCCHI, *Congr. Missionis, Commentarium in Codicem iuris canonici*, L. II, n. 64, p. 130, haec clarissime profert:

« *h*) *Clerici qui ex instituto S. S. iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat*, ut pro alumnis Collegii Brignole-Sale pro missionibus exteris Genuae fundati, et pro pluribus Urbis collegiis; non agitur hic de iureiurando quo clericus in perpetuum ad servitium alicuis dioecesis adstringitur, sed *tantum* de iureiurando emisso *ex instituto S. S.* non ex iure communi; nec per se obstat quod clericus studiis gratis vacaverit in Seminario etiam cum intentione, cum sacerdos erit, ingrediendi religionem; clericus enim regitur iure communi, quod ingressum permittit; *nisi* in fundatione *bursae* seu *census* illud explicite cautum fuerit ».

A. DE MEESTER, *Iuris canonici et iuris canonico-civilis Compendium*, II, n. 991, de re haec in nota subiungit :

« Agitur hic probabilius de alumnis plurium collegiorum ecclesiasticorum, quales plures sunt in Urbe, qui, mox post receptionem in collegium, iuratam promissionem facere debent qua, post peracta studia et suscceptum sacerdotium, per aliquot annos missioni ves dioecesi inservient; non autem de iis qui, ad normam can. 981, titulo missionis vel servitii dioecesis, subdiaconatu aucti sunt ».

F. CLAEYS BOUUAERT et G. SIMENON, *Manuale iuris canonici ad usum seminariorum*, n. 640 :

« *Ex instituto S. Sedis :* i. e. ex speciali concessione a S. Sede facta, vi cuius determinati seminarii aut collegii alumni se iureiurando devovere debent ad servitium, per aliquot saltem annos, alicui dioccesi vel missioni praestandum. Hoc institutum exsistit in collegio S. C. P. F. et aliis pluribus collegiis Urbis. Eodem impedimento non ligantur clerici qui *ad normam* c. 981, titulo *missionis* vel *servitii dioecesis* ordinati sunt. Hoc dioecesanum servitium spondetur in compensationem iuris quaesiti ad alimenta, sed integram relimquit facultatem titulum legitime commutandi. Quod verificatur apud illos qui religionem ingrediuntur ».

Conclusio

Restat igitur ut per occasionem istius falsi responsi optimae ephemeridis, recordemur dictum ab Horatio : *Quandoque bonus dormitat Homerus*, nec impedimentum ingressus in religione agnoscamus in titulo servitii dioecesis quo clericus ordinatus sit in sacris.

Quaeres autem quaenam sit propria vis istius iurisiurandi serviendi in perpetuum dioecesi ? Haec ni fallimur. Vi c. 128, « Quoties et quandiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset, suscipiendum est clericis ac fideliter implendum munus quod ipsis fue-

rit ab Episcopo commissum ». Obligatio ista magis absolute suscipitur et iureiurando firmatur ab iis qui titulo servitii dioecesis ordinati sunt. Necessitas Ecclesiae non requiritur ut munus ab Episcopo commissum acceptare debeant et fideliter implere. Perseverat autem ista obligatio donec legitime titulum in alium non mutaverint.

Denique, ut redeamus ad quaestionem quae ansam respondendi dedit, si de modo interrogemur quo synodalibus statutis obligatio serviendi dioecesi saltem per septem annos (excluso etiam ingressu in religionem) praecipi possit, respondeamus, modum nullum esse in potestate propria episcopi, sed recurrendum esse ad S. Sedem, si huic videatur expedire ut, *ex instituto suo*, alumni gratis in seminario instituti hac obligatione vinciantur.

Horae canonicae assistentium episcopo vel abbati

Quaeritur, utrum Canonici vel alii qui Episcopo vel Abbati Missam pontificalem celebraturo assistunt dum ille recitat preces pro praeparatione a *Caeremoniali Episcoporum* praescriptas, satisfaciunt obligationi Horae canonicae (Tertiae vel Nonae) quae interea in Choro cantatur, an illam postea privatim repetere debent, aut saltem partes omissas supplere ?

Responsum. — *Sacra Congregatio Concilii,* in plenariis coetibus habitis diebus 12 aprilis 1919, 16 aprilis et 9 iulii 1921, quod ab ipsum *Episcopum* respondit eum satisfacere suae obligationi Horae canonicae, recitando praeparationem ad Missam eo modo quo haec a *Caeremoniali Episcoporum* praescribitur. Et Consultores huius sacrae Congregationis pro hac solutione allegarunt usum et opinionem communem, nixam effato scriptoribus rerum liturgicarum

et canonicarum satis usuali: *in aliquibus supplet chorus*; quod sane intellegitur dum is, in cuius favorem invocatur, *a*) est in choro; *b*) est tamen materialiter impeditus a recitatione chorali, quia in aliqua caeremonia vel servitio chorali occupatur (1).

Iamvero eaedem propsus rationes militant pro canonicis aliisve qui Episcopo assistunt dum ille praeparationem ad missam recitat. Nam quod ipsi sint in choro, immo efforment aliquid unum cum choro, cum uniantur Episcopo qui chori est caput liturgicum, nemo est qui neget. Nec minus patet ipsos materialiter impediri a recitatione chorali, quia in aliqua caeremonia vel servitio chorali occupantur. Etenim presbyter assistens et diaconi assistentes ex praescripto *Caeremonialis Episcoporum* (I, 7 et II, 8) debent, dum Episcopus sacris induitur vestibus, et ipsi sua paramenta accipere. Similiter, subdiaconus, dum Episcopus praedictos psalmos legit, debet ei ad pedes aptare sandalia et caligas, postea vero cum diacono adiuvare Episcopum dum ceteris paramentis sacris induitur, quod certe coniungi non potest cum devoto psalmorum cantu. Diaconus re vera non occupatur dum Episcopus psalmos legit, ac proinde tunc temporis potest cum reliquis de choro psalmos Horae canonicae cantare; postquam vero Episcopus psalmos cum orationibus absolvit, debet una cum subdiacono Episcopum sacris paramentis induere. Inde concludere possumus canonicos et alios qui Episcopo assistunt, dum is se praeparat ad missam pontificalem, satisfacere suae obligationi Horae canonicae, nec eos obligari ad supplenda ea quae in choro cantantur dum ipsi a recitatione chorali impediuntur.

IOS. PAUWELS, S. I.

(1) *Acta Apostolicae Sedis*, 1921, XIII, p. 479. *Per.* X, 354.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De propagatione et diffusione vitae religiosae. Synopsis historica

A. P. STEIGER, S. I. b. m. conscripta.

2.us Ordo, scilicet Sororum, b. Patrem Dominicum auctorem habuit. Inde ab anno 1206 aliquot pias virgines congregaverat in Prouille (dép. de l'Aude) quae puellarum educationi se devoveret. Sodalitas haec, primo laica, religiosa facta est paulo post, cum b. Pater illis regulam et habitum concessisset. Non tamen ex hoc instituto, ut nonnullis visum est, descendit 2.us Ordo: hic quippe Romae fundatus est, et Virginis Prullenses postea, pro sua erga b. Patrem pietate, amplexae sunt modum vivendi regularem, Romae inchoatum. Et sane Honorius III, videns Romae plura virginum asceteria cum paucis inquilinis et minori disciplina; aliunde plurimum confisus de zelo et prudentia B. Patris, anno 1217 ei iniunxit, ut has virgines, varii coloris, in monasterium S.ti Xysti sub communi regula et communi veste congregaret. Quod B. Pater, multis exantlatis laboribus, denique hoc modo perficere valuit ut 44 ei consentirent, quae sub die 4 Martii 1218, ad S.tum Xystum, sub strictissima clausura et in perfecta paupertate vitam regularem perfectam

inchoarent, in eo habitu quem, paulo post, Fratres Praedicatores et ipsi, a B. Patre acceperunt. Haec est igitur origo 2.i Ordinis, quem Honorius III, hoc ipso anno 1218, confirmavit.

3.us Ordo et ipse quadamtenus a B. Dominico originem traxit, hoc scilicet modo: constituerat B. Pater in Occitania et in Longobardia sodalitatem saecularem pro utroque sexu dictam: « *Militia Christi* ». Ex hac militia primitiva nati sunt:

a) *Fratres militiae Iesu X.ti*, qui Ecclesiam contra Albigenses tuerentur; hi ipsi inde a 1261 vocati sunt: *Ordo Militiae B. M. V.* vel etiam, *La Milizia gaudente.*

b) Non multo post, *Sorores tertii Ordinis Poenitentiae:* agentes vitam communem sub clausura cum voto simplici castitatis (S.ta Catharina Senensis, S. Catharina de Ricci, S. Rosa Limana, S. Columba Reatina, etc.). Ad instar huius tertii Ordinis regularis feminei, efformatus est tardius et tertius Ordo regularis fratrum. P. Munio de Zamora, 7.us Mag. Generalis, iis constitutiones dedit, quas probarunt Innocentius VII, 1405, et Eugenius IV, 1439. Tertius Ordo saecularis nunquam exstinctus est.

Modernis temporibus, P. LACORDAIRE tertium Ordinem regularem virorum erexit; variaeque feminarum congregationes natae sunt idipsum aemulantes, de quibus nihil hic dicendum est. Cfr. *Bullarium Ord. Predicat.* 8 vol. fol. MAMACHI, *Annales Ord. Praedic.* 5 vol. Rom. 1754 — QUETIF et ECHARD, *Scriptores Ord. Praed.* 2 vol. fol. Paris, 1719. *Vitae SS. Ordinis Praedicatorum, Lovanii* 1575. A. DANZAS, *Études sur les temps primitifs de l'Ordre de S. Dom.* I série, 1873-77; II série, 1888. LACORDAIRE: *Mémoire pour le rétablissement de l' Ordre de S. Domin.* Paris 1844. CHAPOTIN: *Etudes historiques sur la province dominicaine de France*, Paris 1892. Constitutiones Fratrum O. P. apud HOLST. BRO-

CKIE, t. IV, p. 10-127; Sororum, ib. p. 128-140. Cf. etiam op. TOURON, O. P.: *Hommes illustres de l'Ordre de S.t Domin.* Paris, 6 vol. 1743; — R. P. MORTIET, O. P.: *Histoire des Maîtres Généraux*, Paris, 7 vol. 1903 sq. Paris.

§ II. — **Ordo seraphicus S. Francisci.**

Primus Ordo. Nobilissum Ecclesiae decus, b. vir FRANCISCUS, Assisii natus a 1182, + 1226, et die 16 Iul. 1228, in album Sanctorum relatus est. In ecclesia B. M. de Angelis quam, post excussam paternam hereditatem, « suam portiunculam » vocare solebat, die S.to Mathiae sacra, 24 Febr. 1209, interfuit contioni habitae super verba: « Nolite possidere, neque argentum, etc. » Matth. X, 9, quibus vehementer commotus, perinde ac si pensum totius vitae sibi impositum declararent, ea hora cogitare coepit de instituendo Ordine cuius asseclae, vita pauperrima, ad exemplum apostolorum, et praedicatione paenitentiae seipsos totumque sanctificarent mundum. Undecim socios nactus, brevem iis indixit regulam eosque omnes ad INNOCENTIUM III deduxit, approbationem sui Instituti petiturus. Verum, ut superius dixi, hic Pontifex novis Ordinibus minime favebat, sicque primo petitam gratiam abnuit; ast coelitus edoctus, ut ferunt, quale et quantum praesidium Deus Ecclesiae suae in b. Francisco paraverat, oretenus approbationem concessit 1209. Adolevit Ordo celerrime. Primum capitulum gen. habitum est an. 1212, alterum, anno 1217, quod Ordinem in 12 Provincias divisit, totidemque ministros provinciales cum manipulo fratrum emisit, qui, in assignatis regionibus, monasteria conderent et populos evangelizarent exemplo et doctrina. Hoc incoeptum fratribus insuperabiles genuit difficultates, eo vel maxime quod Ordinarii locorum, prius quam eos admitterent, ad tenorem can. 13 Conc. Later. IV, 1215,

exigebant praesentationem instrumenti authenticae approbationis, qua, ut dixi, destituebantur. Instante igitur Cardinali Hugolino (postmodum GREGORIO IX, perpetuo b. Francisci amico et fratrum protectore), HONORIUS III Ordinem solemniter approbavit, die 11 Iunii 1219, Const. « *Cum, dilecte fili, frater Franciscus* », religiososque tenore eiusdem bullae vocavit *Fratres Minores*. Aderant tunc temporis in ipso capitulo gen. 1219, 5000 fratrum. Scripsit b. Pater, anno 1223, tertiam recensionem suae regulae, 12 capitibus (duae priores recensiones periere), quam eodem anno probavit Honorius III. Anno 1224 sanctus vir sacris stigmatibus consignatus fuit, et biennio post, amore caelesti potius quam infirmitatibus consumptus, obiit 3 Oct. 1226, annos natus 45.

B. Pater, ut vides, Ordini procul dubio finem apostolicum assignavit, et tamquam praecipuum fundamentum ei substruxit absolutissimam paupertatem, ita ut non modo fratres, sed neque Ordo, monasteria, stabilia bona, vel certos reditus possidere valerent; activitatem porro apostolicam praecipue exercerent, dum, sublato voto stabilitatis, excurrentes per mundum, simplici et aperta praedicatione evangelica populos ad mores christianos reducerent. Ideo et hanc novitatem induxit b. Pater ut fratres, non iam in manus ministri localis, verum in manus Ministri generalis vota emitterent, qui ideo tamquam centrum Ordinis immediatam iurisdictionem explicaret non tantum in Provinciales, sed in unumquemque fratrem Ordinis. Cfr. BEISSEL S. I. *Die kulturgeschichtliche Bedeutung des H. Franz. v. As.* Stimmen aus Maria Laach, 1887, p. 1, 149, 276, 374. JEILER, O. S. Fr. in *Kirchenlex.* v. Franz v. Assisi.

Fratres Minores de Observantia. — Mortuo b. Fundatore, pulcherrimus Ordo, pro humana fragilitate, dissensiones domesticas, defectiones et alia id

generis passus est, quibus vigor disciplinae enervatur; unde viri, avitam puritatem zelantes, ad opus reformationis se succinxerunt.

Prima dissensio nata est ex acri disputatione circa cap. 6 Regulae, de paupertate, cuius dissensionis vestigia reperiuntur inde a generalatu P. Eliae (1232-39). Ea demum aperte erupit, sub 7° Min. gen. Ioanne Parmensi (1247-1257), et « *Spirituales* » extremi, Ecclesiam *carnalem* despicientes novamque *spiritualem* praestolantes, in manifestam haeresim prolapsi sunt, quos damnavit Clem. V cap. *Exivi*, de Verb. Sign. V, 11, Clem., et Ioan. XXII, vide: Extravag. Io. XXII « *Quorundam exigit* », de Verb. Sign. tit. 14, cap. 1. Cfr. *Revue de l'École des Chartes*, t. 45 (1884) p. 523; librum valde singularem P. PALOMES: *Des Frères Mineurs et de leurs dénominations*, trad. franç. livre I, p. 11 et passim. Neapoli 1899; HEIMBUCHER, t. I, p. 296. Succrevit deinde immanis disputatio de paupertate X.ti, in capit. gen. Perugino 1322 nata; damnavit sane Io. XXII, cap. « *Cum inter nonnullos* » Extr. l. c. c. 4, sententiam negantem in X.to ius possidendi, tamquam haereticam, verum Minister Generalis Michael de Cesena defecit et ad partes Ludovici Bavari transivit. Nota sunt reliqua de Marsilio Patavino, de Nicolao V, etc. Ad relaxationem contulerunt et duae aliae causae saec. XIV: pestis nigra scilicet, quae, ut ferunt, ultra 100,000 Fratrum sustulit, et schisma Occidentis quod, sicut Ecclesiam ipsam, sic omnes Ordines tunc exsistentes, in duas factiones divisit, cum summo utique disciplinae detrimento.

Ut tot malis remedium afferret, iam ante schisma, b. Ioan. de Vallibus, a. 1334, tentaverat reformationem cui nomen dedit de *Observantia*. Haec varia fortuna languebat, donec laboribus S.ti Bernardini Senensis, S.ti Ioannis Capistrani, S.ti Ioannis de Marchia (de la Marche), et Alberti Sarthionensis — qui ideo quatuor

columnae observantiae dicuntur — ad miram vitam et diffusionem pervenerit in Gallia, in Hispania et in Italia. Singulis regionibus praeerat proprius Vicarius generalis, universaque haec familia dividebatur in observantiam cismontanam et trasmontanam. Ii vero Fratres qui observantiae minime adhaeserunt (sexta pars Ordinis), sibi assumpserunt, vel rectius retinuerunt nomen *Fratres Conventuales*. Cfr. PALOMES, op. cit. passim. Hactenus scissio nondum consummata fuerat, eamque, pro posse suo, Martinus V, Eugenius IV, Sixtus IV (olim Minister gen.), Iulius II retardarunt; demum perfecta est authentice a LEONE X Const. « *Ite et vos* » 28 Maii 1517, vi cuius Fratres Minores Regularis observantiae ex nunc seorsim convocabunt proprium capitulum generale, eligentque alternatim, ex cismontana et trasmontana familia Superiorem generalem, qui erit Minister Generalis totius Ordinis S.ti Francisci. — Insimul, alia Constitutione, confirmavit Conventualibus privilegia possidendi, a Martino V impetrata, insuper eis fecit potestatem eligendi proprium Superiorem Generalem cui titulus: *Magister* (fluctuat tamen appellatio, cum in bullis nonnumquam dicatur etiam Minister) *Generalis Fratrum Minorum Conventualium*.

Demum Leo X, quod Iulius II iam in votis habuerat, iussit omnes alumnos variarum reformationum, extra proprie dictam observantiam enatarum (15 aderant), aut ad Conventuales, aut ad Observantiam transire. Quod prudentia suggesserat, in detrimentum Observantiae cessit, cum tot elementa heterogenea in proprium sinum reciperet.

Hac de causa, non multo post, aliae natae sunt Reformationes in ipsa familia observantiae.

In Italia, *Ordo Reformatorum* a. 1525 inchoatus. Clemens VIII iis proprium concessit Custodem, sub immediata auctoritate solius Ministri Generalis. Ur-

banus vero VIII, an. 1639, eorum provincias autonomia donavit.

In Hispania, *Ordo Observantium discalceatorum*, quos S.tus PETRUS AB ALCANTARA, Palenciae, suscitavit a. 1540. Prudentiae causa Iulius III eos a principio sub tutela Magistri Generalis Conventualium constituerat; sed, invalescente reformatione, sub fine vitae b. Petri, in obedientiam Ministri generalis Observantium transierunt.

In Gallia, *Ordo obstrictioris observantiae Recollectorum*, cuius prima domus erecta est in civitate Nivernensi 1592, inde ab anno 1602 proprium obtinuerunt praepositum Provincialem.

Has quatuor familias (Observantes, Reformatos, Discalceatos, Recollectos) *Primi Ordinis* Franciscani, LEO XIII, Const. *Felicitate*, 4 Oct. 1897, in unam sub novo communi Ministro generali, communi veste, communibus in capitulo generali approbatis constitutionibus, coadunavit, sicque uniti universim omnes nominantur *Ordo Fratrum Minorum*. Vide Constit: *Felicitate*, Analect. eccl. 1897, p. 375. Hac eadem Constitutione, S. Pontifex voluit ut Fr. Conventuales, et Fr. Capulati in propria sua disciplina perseverarent (1).

Hodie igitur, Primus Ordo b. Patris Francisci comprehendit: 1) Ordinem Fratrum Minorum, 2) Ordinem Fr. Conventualium, Ordinem Fratrum Capulatorum, de quibus superest ut pauca innuam.

Ordo Fr. Minorum S.ti Francisci Capucinorum (Capulatorum). Feracissimus hic arboris franciscanae ramus ex Observantia enatus est, circa 1525, cura Fr. MATTHAEI BASSI (2), Montefalcone in Umbria.

(1) Cfr. Constit. Pii X, « Septimo iam pleno ». 4 Oct. 1909, Acta. Ap. Sedis, t. 1, p. 725, - Plures immutationes iniunxit idem S. Pont. motu proprio « Quo magis », 23 Oct. 1911, ibid. t. 3, p. 556. Praeterea iniunxit novam constitutionum editionem ad tramites cit. motus proprii, quarum approbationem dedit, 27 Mart. 1913. Act. Ap. Sedis, t. 5, p. 184.

(2) Cfr. Boll. Acta SS. t. 6 Maii, p. 859, n. 41; et dissert. ad diem 18 Maii, post vitam S. Felicis de Cantalicio.

Clemens VIII, 18 Maii 1528, reformationem quidem probavit, eius tamen monasteria sub auctoritate Magistri Gen. Fr. Conventualium voluit. Exordia huius sanctissimi Ordinis, supra modum operosa, immo et luctuosa fuere. Et sane Matth. Bassi, versatilis, filios suos dereliquit; secundus Superior, Ludovicus a Fossombrone, ob causam e familia expulsus est; ad interitum vero, ut ita dicam, familiam pene deduxit tertius Superior Bernardinus Ochinus, qui publice ad castra Calvinianorum defecit. Paulus III iam in eo erat ut novellam familiam funditus exstingueret; eum tamen placavit Card. Sanseverinus monens Pontificem: neminem hactenus collegium Apostolicum condemnasse, tametsi in eo Iudas versatus sit. Manserunt ergo, sed sine spe egrediendi Italiam, et cum facultatibus admodum restrictis. Interventu demum Regis Galliarum Henrici III a. 1573, prohibitiones sublatae sunt sub Gregorio XIII, et ex eo tempore miro modo diffusi sunt Fr. Capucini. Tempore eversionis Galliarum numerabantur 31,000. Hodie egregie merentur in 57 provinciis, 534 monasteriis et 294 hospitiis. — Anno 1619, Paulus V eos a iurisdictione Conventualium exemit, in Ordinem autonomum constituit, sub proprio Superiore Generali cui titulus: *Minister Generalis Fr. Min. S.ti Francisci Capucinorum* vel Capulatorum. Cfr. *Bullarium Ord. Fr. Min. S. Fr. Capuc.* 7 vol. in fol., continuatio usque ad Leon. XIII, 3 vol. Oeniponte 1883 CAROLUS (Princeps) de ARENBERG: « *Flores seraphici* », Colon. 1640 et 1642. *Kirchenlex.* v. Kapuzienerorden.

II.us Ordo - Sororum - Clarissarum. Hunc Ordinem b. Pater instituit Assisii a. 1212, eius prima professa fuit S.ta CLARA († 1253; in album SS. relata 1255), unde Ordo Clarissarum dictus est. Has sorores S. Franciscus ad vitam regularem viva voce instituit, immo et scriptis, regulam tamen non scripsit, sed potius

brevem « *formulam vitae* », abdicationem et incapacitatem possessionis iubentem. Primam regulam eis indixit Card. HUGOLINUS (de quo supra), regulam plane benedictinam, auctam punctis substantialibus formulae vitae, sicque apparuerunt Sorores ut Benedictinae strictissimae observantiae. Id earum pietas in b. Franciscum non diu tulit, de eius enim familia esse et manere avebant. Mutatis ergo ad scopum statutis, ea probavit INNOCENTIUS IV, 6 Aug. 1247. Pauperes Dominae (*le povere donne*) ordini Minorum inserebantur, participes omnium Ordinis privilegiorum utque sub eius iurisdictione viverent: haec fuit secunda regula. Tertia demum, agente ipsa S.ta Clara, ita composita fuit, ut in 12 capitibus responderet omnino Regulae Fratrum. Quarto die antequam ad coelestem sponsum migraret, b. Clara obtinuit approbationem huius tertiae et perpetuae Regulae ab Innocentio IV, 9 aug. 1253. Cfr. Seraphicae legislationis textus originales, p. 49. Regula S.tae Clarae. Clar. Aquas 1898.

Huc spectant variae Reformationes.

1) *Urbanistae mitigatae* — Precibus b. Bonaventurae nonnullae Clarissae ab Urbano IV (1261-1264) obtinuerunt duplicem mitigationem: ne ieiunio perpetuo adstringerentur, ut redditus stabiles admittere possent. Verum Sorores Italiae et Hispaniae mitigationem non admisere, et consorores suas mitigatas, ex contemptu, « *Urbanistas* » vocarunt.

2) *Urbanistae strictae observantiae* ab ISABELLA, sorore Regis S.ti Ludovici, Longicampi (Longchamps) suscitatae, 1255: Hae, primo servarunt disciplinam multo strictiorem atque ipsa S. Clara; sed prompte excessus suos moderarunt, sub approbatione Alexandri IV.

3) *Clarissae - Coletinae* — S. COLETA, nata Corbir, 1380, + Gandavi 6 Mart. 1447 (1), zelo paeniten-

(1) Vide Acta SS. die 6 Martii.

tiae animata, sorores suas ad pristinam b. Clarae disciplinam revocavit, probante Benedicto XIII (Petro de Luna). Cum vero Galliarum Sorores eius votis minime tunc obsecundarent, transivit in Sabaudiam, demum Gandavum, feliciori successu, ita ut moriens, anno 1447, reformationem florentem videret in 18 monasteriis. Vide eius regulam in op. cit. Seraph. legis p. 99. Hoc eodem anno 1447, S. Ioannes Capistranus rogabat Eugenium IV ut eas sublevaret a ieiunio perenni, verum multae respuerunt talem mitigationem; immo Sorores Gallicae ab « Ave Maria » nuncupatae, id superimposuere, ut et toto anno nudis omnino pedibus incederent. Huc demum pertinent *Sorores Capucinae*, quas, Neapoli, instituit, a. 1538, ven. Maria Laur. Longa, et Clemens VIII a. 1600 approbavit; Sorores Alcantarinae, *Sorores a Conceptione* etc., de quibus cfr. sub his verbis, HELYOT, BADICHE.

III^us Ordo a b. Patre institutus est Cannarae, in Agro Assisiensi, a. 1221, eo fine, ut laici perfectioni et gratiis spiritualibus utriusque Ordinis participes efficerentur. Primi huius Ordinis asseclae fuerunt: Luchesius Poggibonzi eiusque uxor Bona, alias Bonadonna, ambo inter SS. relati. Regulam huius a b. Francisco conscriptam incunctanter laudarunt Romani Pontifices, eamque solemniter approbavit NICOLAUS IV Const. « *Super Montem* » 18 Aug. 1289. LEO vero XIII, postquam Christifidelibus summopere commendasset tertium Ordinem, litt. encycl. « *Auspicato* », 17 sept. 1882, antiquam Regulam retractavit, necessitatibusque hodiernis accommodavit, Constit « *Misericors* », 30 Maii 1883. (Acta Leonis XIII, edit. Brug. t. 2, p. 10).

Ex hoc tertio Ordine, laicis proposito, mature et viri et feminae ad communem et claustralem vitam se contulerunt ibique vota emiserunt (prima domus Romae, 1288), sicque tertius Ordo factus est partim regularis.

Vivebant hi fere omnes iuxta Regulam a Nicolao IV propositam. Haec sunt Tertii Ordinis Regularis initia.

Leo X, ut supradixi, novam Regulam paulo mitiorem edixit, cum votis sollemnibus, eiusque professores 1° Ordini inseruit, unde natus est *Ordo Minorum Tertiariorum*, cum proprio Superiore Generali. Comprehendebat olim 9 Congregationes, hodie superest sola Congregatio italica, cum circiter 150 alumnis. Superior gen. residet Romae, ad aedes SS. Cosmae et Damiani.

Inde a Leone X, pressius inde a V Conc. Later., Tertius Ordo comprehendit 3 classes:

1.a) Tertiarii qui, emissis votis simplicibus, communem vitam agunt in monasterio - viri et feminae - quique regulam antiquam Nicolai IV sequuntur - Huc recte referes ultra 40 Congregationes modernas quae sub illa regula, hodie a Leone XIII reformata, iunctis propriis modernis Constitutionibus, militant, generatimque operibus caritatis, et pueris erudiendis vacant.

2.a) Classis, Italiae propria, cuius membra, virgines vel viduae 40 annum supergressae, habentesque ex propriis unde decenter sustineantur, ex licentia Ordinarii, votum castitatis simplex emittunt, habitumque Ordinis in saeculo, ubi vivunt, publice deferunt. Dicuntur *Bizzoche*, *Zoccolate*, latine *Pinzoccherae* cfr. Bened. XIV de *Syn.* lib. IX, c. 15.

3.a) Classis comprehendit laicos in saeculo degentes. Quaelibet familia primi Ordinis proprio praeest tertio Ordini, verum attendenda est lex a Pio X posita, *Act. Ap. Sedis* t. 1, p. 735, n. 9.

Cfr. *Annales Minorum*, quorum 7 priora vol. auctorem habent Luc. Wadding, quem varii continuarunt: 25 vol., Clar. Aquis. Reliquam litterariam supellectilem vide apud HELYOT t. I. p. LXXI, et HEIMBUCHER, t. I, p. 265 - 271. HOLZAPFEL: *Manuale Historiae Ordinis Fr. Minorum*, Friburgi 1909.

§ III. — **Ordo Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo.**

Non semel hi Fratres sibi assumperunt progeniem immediatam et numquam interruptam a Propheta Elia. Notissima est immanis disputatio quae circa hanc opinionem coepit, anno 1668, quo P. Papebroch, S. J. edidit in *Actis SS.* vitam b. Cyrilli (6 Mart.) et b. Bertholdi (29 Mart.), quaeque maxime efferbuit, anno 1675, cum idem Papebroch edidit: *Acta SS. mensis Aprilis*, inter quos, die 8, vitam b. Alberti, Patriarchae Hierosolymitani, conscripsit et per 30 annos universam Flandriam commovit, donec 20 Nov. 1698 Innoc. XII utrique parti silentium oeconomicum imposuit. Vide litt. apost. in extenso apud Helyot. Bodiche, v. Carmes.

Hodie certe neminem latet, Essenos, per quos sibi viam ad Patrem Eliam struebant, non fuisse christianos, immo nec orthodoxos Iudaeos; nec vota emisisse religionis, immo multos ex iis in statu matrimoniali vixisse. Cfr. supra quae de Essenis posui. Aliunde tamen verosimile est, tempore persecutionum, christianos in speluncis Carmeli sibi refugium quaesivisse, ibique, aut necessitate, aut religione, vitam duxisse eremiticam. — Demum, veritas historica circa originem Ordinis haec habet: in actu obsessionis civitatis Antiochenae, cruciger quidam eques, nomine BERTHOLDUS, filius comitis Lemovicensis, spopondit vitam regularem se amplexurum, si crucigeri demum urbe potirentur. Urbe capta, cum decem sociis Carmelum subiit 1170-80, ibique, aedificato aediculo in honorem B. M. V., vitam eremiticam instituerunt. Crescente sociorum numero, secundus superior, Brocardus, a. 1208-1209 a. b. ALBERTO Hierosolimitano Patriarcha, regulam obtinuit 16 capitulis comprehensam, quam HONORIUS III a. 1226 approbavit. Diris quippe Saracenorum iniuriis lacessiti, hi fratres a. 1220 in

Occidentem transmigrarunt. Aylesfordii, in pago Cantuariensi, celebrarunt primum capitulum generale occiduum, a. 1245, ibique SIMEONEM STOCK, + 1265, in Superiorem Generalem elegerunt. Ad ipsius preces, INNOCENTIUS IV, in conc. Lugdunensi I, 1245, Ordinem inter mendicantes numeravit, facta potestate ut ex nunc fratres vitam eremiticam cum coenobitica commutarent; eorumque Regulam ex parte emollivit, ut regionis condicio exigebat. Grassante schismate Occidentis, Ordo in duas partes abivit, cum maximo disciplinae detrimento. Hinc EUGENIUS IV, ut unionem quomodocumque resarciret, regulam mitigatam iis proposuit 1431, eamque non nulli, ceteris recusantibus, amplexi sunt, sicque Ordo divisus est in *Conventuales* seu mitigatos, et in *Observantes*. — Plures, inter quos praecipue Thomas Connect (Th. Rhedonensis) eloquentia, fortuna, pertinacia, immo et genere mortis + 1433, alter Savonarola, et b. Ioannes Soreth, 26 Prior generalis, veneno sublatus + 1471, Reformationi manum apposuere (Cfr. HELYOT BODICHE ; art. *Carmes*); eam demum perfecit, iuvante S.to Ioanne a Cruce, inclyta virgo b. THERESIA 1563, Carmelitarum discalceatorum Mater. Hanc reformationem, quae postea in Congregationes, hispanam et italam, divisa est, probavit PIUS IV, 17 Iul. 1565. — Cfr. *Acta SS.* ad 15 Oct.

Hodie Fratres (mitigati) B. M. V. de Monte Carmelo quindecim continentur provinciis non admodum numerosis circa 900; eorum Prior Generalis residet Romae in collegio S. Alberti.

Fratres excalceati, quibus Clemens VIII, 1593 proprium concessit Priorem Generalem, in sex provincias divisi sunt. Plurimi eorum missionibus orientalibus insudant, in Paelestina et in Perside. Sunt circa 1900 religiosi. Prior generalis residet Romae, Corso d'Italia.

Sorores B. M. V. de Monte Carmelo quadamtenus *secundum Ordinem* constituunt. Quidquid de earum

genealogia Eliana, post alios, dixerit Lezana in suis « *Annalibus sacris, propheticis, elianis* », earum origo valde recens est. Eas quippe ad instar 2.di Ord. S.ti Francisci et Fratrum Praedicatorum instituit b. IOANNES SORETH, institutaque probavit NICOLAUS V, 1452. Quatuor priora monasteria hoc ordine, et quidem a b. I. Soreth, erecta sunt: 1° Leodiense, 2° Hoianum (Huy), 3° Rhedonense, et quartum in pago Coets prope Nannetum. Generatim regulam mitigatam Eugenii IV (cfr. supra) professae sunt. Primam reformati Ordinis domum erexit b. Theresia, Abulae, sub patrocinio S.ti Ioseph, mense martio 1563, quam reformationem in Galliam et Belgium invexit sodalis b. Theresiae, B. Anna a Jesu, circa 1603. Post eversionem Galliarum primam domum restauravit D.na de Soyecourt, Parisiis 1815. Harum Sororum exsistebant in Gallia, a. 1901, 109 monasteria, 19 in Belgio, 6 in Hispania, 9 in Lusitania.

Exsistit demum et tertius ordo saecularis, ex Constit. Nicolai V. « *Cum nulla fidelium* » 1452, et Sixti IV « *Cum attenta* », 1476, ex quo duae Congregationes modernae prodierunt.

§ IV. — **Ordo Minimorum.**

Ordo iste *tripartitus* est et a R. Pontificibus inter mendicantes recensetur. Auctorem habuit c. 1460, S. FRANCISCUM a PAULA (n. 1438, + 1507) in Calabria. Cfr. *Acta SS.* ad diem 2 April. Ordo apostolica auctoritate sancitus est a. 1474, regula vero anno 1506 a IULIO II, iterumque 1560, a PIO IV. Fratres Minimi arctissima disciplina et duro ieiunio Deo militant, cum quarto voto abstinendi semper, non modo a carnibus verum et a lacticiniis et piscibus. Eorum Superiores vocantur *Correctores;* Supremus Antistes, *Corrector generalis*. Olim in Galliis frequentissimi

erant, ita ut XVI saec. Ordo 450 coenobiis fratrum et 14 sororum floreret. Domus matrix hodie est ad S. Andreae delle Fratte; supersunt circiter 20 monasteria, sex provinciae, 500 religiosi.

§ V. — **Ordo religiosus de Paenitentia.**

Anno, 1752 Salamanticae Ordo iste suscitatus est a IO. VARELLA y LOSADA PIUS VI constitutiones approbavit a. 1794, et universa privilegia Fratrum Minorum Ordini, aliunde vere mendicanti, contulit. Supersunt non nulla coenobia.

Articulus 5. — Aetas Clericorum Regularium.

Cum saec. XVI Novatores Protestantes fidem, avitam moresque christianos (cfr. DÖLLINGER, *Die Reformation*, passim) depopularent, suscitavit Deus O. M. in praesidium Ecclesiae catholicae varios Ordines Clericorum Regularium qui, emissis sane tribus votis solemnibus, parumper a disciplina monachali deflecterent ut operibus caritatis, catechizandis rudibus et instituendae iuventuti, liberiori ratione se devoverent.

1) *Clerici Regulares Theatini*, Romae, a. 1524, a S. CAIETANO (Gaetano da Thiena, n. 1480, + 1547) et a PETRO CARAFFA, tunc Theatinensi (Chieti, unde nomen Theatini) episcopo, postmodum summo Pontifice (PAULO IV, 1555-1559) instituti, ut reformationi cleri saecularis et populi christiani allaborarent; quod quidem praeclarus Ordo eximie praestitit. Approbati sunt a CLEMENTE VII, 24 Iun. 1524. Cfr. *Acta SS.* ad diem 7 Augusti. Eorum Constitutiones vide apud Holst.-Brochie, t. v, p. 342; eas probavit Clemens VIII, a. 1604. (Ex hoc Ordine inter alios indicabo: S. Andream Avellin. Scupoli, Diana + 1663, Zach. Pasqualigo, + 1664, Merati, Ventura di Raulica, + 1861. Hodie supersunt 10 monasteria et circa 100 alumni.

2) *Clerici Regulares boni Iesu*, quos HIERONYMUS MALUSELLI instituit a. 1526, eodem fine quo b. Caietanus Theatinos. Ordinem approbavit, a. 1551, IULIUS III; cum autem saeculo sequenti decem tantum religiosi, et quidem sine spe ulterioris incrementi, manerent, INNOCENTIUS X, a. 1651, Ordinem suppressit.

3) *Clerici Regulares S. Pauli decollati* (Barnabitae). Hunc Ordinem Mediolani suscitarunt tres amici: S. ANTONIUS MARIA ZACCARIA (n. 1500 + 1539), BARTHOLOMAEUS FERRARI, et IAC. ANT. MORIGIA, anno 1530, ut institutione puerorum, popularibusque missionibus, mores civitatis, tot bellis depravatos, emendarent. CLEMENS VII, die 18 Febr. 1533, primus Ordinem approbavit; dein PAULUS III, 1535, Constitutiones recognovit S. Carolus Borromaeus; et GREGORIUS XIII eas firmavit. — Eorum domus dicuntur *collegia*, eorum Superiores, *praepositi*, scl. locales, provinciales, etc. Olim sat diffusi per Europam, hodie occupant circiter 30 collegia. Domus novitiatus in Belgio (Mouscron) sita est. Inter alios praestantes viros in Ordine floruere S. Alexander Sauli, + 1592; Gavanti, + 1638; Niceron, + 1735; Quadrupani, Card. Gerdil; + 1802, Vercellone, + 1869; etc. — Dicti sunt Barnabitae ex antiquo conventu S.ti Barnabae, quem Mediolani incoluerunt. Constitutiones edidit HOLST. BROCHIE, t. v, p. 449.

4) *Clerici Regulares Sommaschorum*. Patrem habent S. HIERONYMUM AEMILIANUM (n. Venetiis 1481, + 8 febr. 1537) qui eos suscitavit a. 1532, ut curae orphanorum, pauperum et infirmorum vacarent; postea etiam nobilem iuventutem in gymnasiis instituerunt. Piam associationem PAULUS III, a. 1540, ratam habuit, S. PIUS V vero ad dignitatem Ordinis cum votis solemnibus et privilegiis mendicantium evexit a. 1568. Eorum Constitutiones firmavit Urbanus VIII quas vide, HOLST.-BROCHIE, t. III, p. 199.

5) *Clerici Regulares Societatis Iesu.* Beatus Pater IGNATIUS die 15 Aug. 1534, Parisiis, in monte Martyrum ad S.ti Dyonisii cum 6 sociis prima vota emisit. Anno 1540, PAULUS III ratam habuit Ordinis institutionem. Electo b. Ignatio in Praepositum generalem, 18 Aprilis, die 22, a. 1541, socii Romae ad S.ti Pauli vota solemnia nuncuparunt. Supellectilem litterariam ad historiam Ordinis diligentissime collegit Heimbucher, t. II, p. 34-43.

6) *Clerici Regulares Matris Dei*, quos S. IOAN. LEONARDI, a. 1583 Luccae, ad instituendam iuventutem et ad alia charitatis opera suscitavit. Piam associationem sub simplici votorum professione admisit 1593, CLEMENS VIII; GREGORIUS vero XV, a. 1621, in formalem Ordinem cum votis solemnibus erexit. Ex iis prodiit celebris Conciliorum editor Mansi, archiep. Luccensis, + 1769. Hodie unam alteramve domum retinent in Italia, tres in Belgio.

7) *Clerici Regulares Ministrantes infirmis* (*Les PP. Camilliens).* Anno 1584, S. CAMILLUS DE LELLIS (n. 1550, + 1614) Romae piam associationem congregavit, cuius membra corporali et spirituali curae infirmorum se devoverent. Quam SIXTUS V, 18 Mart. 1586, summis laudibus cumulavit atque ratam habuit. Cum porro instituti alumni egregie, maxime de pestiferis, meruissent, GREGORIUS XIV, 21 sept. 1591, eorum associationem in Ordinem formalem, cum mendicantium privilegiis commutavit. LEO XIII S. Camillum una cum S.to Ioanne a Deo patronum omnium hospitalium, omniumque infirmorum declaravit, iubens simul ut eorum nomina litaniis agonizantium inserentur.

8) *Clerici Regulares Minores* descendunt a IOANNE ADORNO, S.to FRANCISCO CARACCIOLO, et FABRICIO CARACCIOLO. Neapoli instituti, a. 1588. SIXTUS V eos approbavit, 1 Iunii 1588. Eorum domus generalitia

est nunc ad aedes S.ti Angeli in foro piscium (Pescheria), Romae. Supersunt 9 coenobia.

9) *Clerici Regulares scholarum piarum Matris Dei* (vulgo *Scuolopii*) a S.to IOSEPHO CALASANCTIO a. 1597, ad erudiendam pauperem iuventutem, Romae instituti. A principio efficiebant meram piam associationem; PAULUS V, a. 1617, eos constituit in Congregationem cum votis simplicibus; GREGORIUS XV, anno 1622, eos in formalem Ordinem erexit cum votis solemnibus, addito quarto voto de cura circa puerorum eruditionem; eorum constitutiones approbavit eosque privilegiis mendicantium auxit. Ex tunc Ordo laetissima incrementa habuit; in Germaniam, Hungariam et Hispaniam transmigravit. Verum malis artibus cuiusdam socii, nomine Marius Sazzi, Ordo ferme ad interitum deductus est. Venerabilis fundator nonagenarius, inique accusatus, iussu R. Pontificis totus Ordo inquisitus, IOSEPHUS CALASANCTIUS depositus et Ordo ad conditionem associationis saecularis redactus est, litt. apost. INNOCENTII X, 16 Mart. 1646. Cfr. P. BOERO, S. I. « *Sentimenti e fatti del P. Pietrasanta* » (huic enim inquisitio commissa fuerat). ALEXANDER eam restituit in gradum Congregationis; CLEMENS IX, 22 Sept. 1669, in dignitatem Ordinis, cum omnibus privilegiis olim habitis — Supersunt variae Provinciae in Italia, Austria, Hungaria, Hispania et in America centrali, cum circiter 2137 religiosis.

Articulus 6. — Aetas Congregationum modernarum.

Nec iuvat, neque vacat, in hoc mare magnum ingredi. Pauca solum scribentur. Qui plura voluerit, adeat: HEIMBUCHER, op. cit. t. 2, p. 278-466, et P. BRAUNSBERGER: *Rückblik auf das Kath. Ordenswesen im 19.tem Jahrhundert*, Freiburg 1901. — Satius erit earundem classes indicasse. Distinguantur igitur:

1) *Congregationes saeculares* seu improprie religiosae, quorum alumni communem vitam agentes, aut nulla emittunt vota sed tantum promissiones quasdam fidelitatis, vel perseverantiae; aut unum tantum vel alterum, ut puta paupertatis vel oboedientiae pro tempore quo manserint in societate; vel etiam tria, sed privatim, in est, non in manu Superioris nomine Ecclesiae acceptantis, v. gr. *sacerdotes Missionis (Lazaristes)*, et bene meritae de orbe terrarum, *Sorores S. Vincentii a Paulo*. — Huc respicit can. 673: « Societas sive virorum sive mulierum, in qua sodales vivendi rationem religiosorum imitantur in communi degentes sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones, sed *tribus* consuetis *votis publicis* non obstringuntur, *non est proprie religio*, nec eius sodales *nomine religiosorum proprie* designantur ». Nonnullae harum societatum, si membra earum respicias, constituuntur tantum, vel praecipue laicis, ideoque dicuntur *laicales;* aliae constant praecipue sacerdotibus quapropter *clericales* audiunt. Quaedam etiam obtinuerunt decretum laudis Sedis Apostolicae vel aliquid amplius, unde factae sunt *iuris pontificii*, aliae tantum decreto Episcopi legalem exsistentiam nactae sunt, quopropter manent *iuris dioecesani*, can. 673, § 2.

2) *Congregationes religiosae*, quae, iuxta verba clarissima Pii VI et Pii IX amplectuntur « statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, absque votorum sollemnitate ». Huc igitur pertinent omnia Instituta quorum alumni emittunt publice tria vota substantialia (quo duplici elemento segregantur a Congregationibus saecularibus) quae tamen vota sint mere simplicia (hoc elemento primo et per se differunt ab Ordinibus). Erunt et ipsae, prout modo dictum est, pro qualitate membrorum sive *laicales* sive *clericales;* iuris pontificii, si saltem decretum laudis

Sedis Ap. obtinuerunt, secus erunt tantum iuris dioecesani (1).

Condicio hodierna Congregationum votorum simplicium est exitus evolutionis quae prius, ut assolet, lentissimo gradu et quasi cunctando incesserat, ultimis vero decenniis ante Codicis editionem, incitato iam motu in hunc eventum finalem currebat. Id brevissime ob oculos ponere iuvabit.

Saeculo XVI, Sedes Apostolica Congregationes votorum simplicium iam natas funditus exstinxit et ne de cetero novae erigerentur peremptorie prohibuit (2). Unde factum est ut S. FRANCISCUS SALESIUS, saec. XVII, Sororibus a Visitatione B. M. V. non eam quam conceperat vitae religiosae formam dare potuerit, sed ad formam monialium eas instituerit. Hinc, eodem saeculo, S. VINCENTIUS a PAULO, qui votis sollemnibus suos discipulos ligatos noluit, eos in Congregationem adunare potuit quidem, sed in Congregationem tantum quae sit et maneat de clero saeculari, pariter *Filias caritatis* in sodalitatem piam, absque forma Congregationis religiosae coegit. — Qua ratione S. Sedes se gesserit in hoc negotio, saeculo XVIII, scire si cupias, satis erit legisse, loco omnium, celebrem const. « *Quamvis iusto* » BENEDICTI IV, 30 April. 1749, quae tota est de Virginibus anglicanis approbandis nec ne. Earum Constitutiones iam a CLEMENTE XI approbatas utique confirmat, earum vero Institutum approbare prorsus recusat; quod vero caput est, operose demonstrat has virgines solis votis simplicibus

---

(1) Congregatio dioecesana quae velit consectari decretum laudis Sedis Ap. videat per prius utrum iam satisfecerit condicionibus a S. Congr. Rel. positis, colligat deinde omnia documenta quae eidem S. Congregationi erunt exhibenda. Condiciones et documenta indicantur in libello « *Normae secundum quas S. Congregatio de Religiosis in novis religiosis Congregationibus procedere solet (1921)* ».

(2) PIUS V, Const. « *Lubricum vitae genus* », 17 Nov. 1568. Bull. Rom. T. IV, 3.

ligatas, nec esse, nec posse esse, sensu iuridico, religiosas; earum domus minime esse monasteria, sed tantum conservatoria, ipsumque Institutum nihil aliud prae se ferre praeter coetum piarum virginum in communi viventium. Vide cit. Const. n. VIII, § 13, sq: — Doctrinae Benedicti XIV deinceps Sacrae Congregationes et *S. Paenitentiaria* etiam saeculo XIX firmiter adhaeserunt, nempe: nemo iure religiosis accensetur nisi sit de societate quam, ut aiebat Pontifex laudatus, ipse R. Pontifex formaliter in statu religioso constituerit, huicque, salvo indulto peculiari, per vota solemnia fuerit aggregatus; feminae vero, si de iis agatur, praeterea sub lege clausurae papalis, ad formam Const. Pii V « *Decori* » 24 Ian. 1576 vivant (1). Id patet ex responsione S. Poenitentiariae a Summo Pontefice probata anno 1335. Notum est quod ab exordio saec. XIX Monialibus in Galliis, ex praescripto Sedis Apostolicae, nonnisi vota simplicia emittere fas est. Quam ob causam Episcopus Cenomanensis, quid de statu harum monialium sit sentiendum quaesivit. Responsum tulit a S. Poenitentiaria, die 23 Decembris 1835: « Monasteria eadem (in Galliis) a S. Sede Apostolica, attentis peculiaribus circumstantiis, non tamquam Ordines vere, ut proprie *religiosi*, sed uti piissimarum familiae feminarum aestimantur ». Quid de coetibus illa aetate recens natis S. Sedes senserit, a fortiori deduces (2). Ididem evidentius adhuc, si fieri possit manifestant ea quae de S. Congregatione *super statu regularium Ordinum* refert Card. Bizzarri. Hanc Congregationem instituit zelantissimus Pontifex PIUS IX, 17 Iun. 1847, ut eius opera regularis vitae integritatem promoveret. Cum ipsa iam

(1) Bull. Rom. t. IV, 2 p. 294.

(2) Cfr. BIZZARRI: *Collectanea in usum Secretariae S. Cgr. Ep. et Regularium*, p. 455.

paravisset decretum « *Neminem latet* », vi cuius in Ordinibus virorum de cetero professioni sollemni triennium in votis simplicibus foret praemittendum, ante decreti publicationem restabat definiendum de appellatione horum professorum votorum simplicium, utrum declarandi essent nec ne « vere religiosi ». Quaestio proposita et mature examinata fuit in Conventu generali diei 15 Junii 1846. Sententia Patrum unanimis quidem non fuit, praevaluit tamen sententia negativa: *non esse religiosos*, sed tantum professos participes privilegiorum Ordinis respectivi (1). Ecce hi profitentur in vero Ordine regulari, eorum professio simplex emittitur in ordine ad futuram professionem sollemnem, nihilominus non agnoscuntur ut religiosi; quo igitur pacto S. Congregatio agnovisset ut religiosos alumnos recentium Institutorum quae, ea aetate, in dies succrescebant?

Dices: Equidem video tenacem immobilitatem, assertae vero evolutionis nec hilum nec volam.

Ita plane. Interim tamen, ni fallar, ex dictis certus factus es, quam vere dixerim, authenticam nominis Religiosi extensionem ad alumnos Congregationum modernarum proprie dictam in iure nostro sapere novitatem. Accipe iam qua ratione illa tenacitas mollescere coeperit, ita ut tandem ex toto cederet.

Quantas publica pertubatio saeculi XVIII exeuntis et subsecuta bella per totam ferme Europam strages ediderint, enarrare huius loci non est. Sed calamitate hac utcumque sopita, quid erat videre passim, maxime in Galliis? Pueros absque magistris more paganorum in vitia ruere atque flagitia; pauperes, infirmos, senes impotentes absque subsidio iacere, orphanos palari omni patrocinio destitutos. Tantae miseriae levamen quis afferet? Ecclesia catholica

(1) Cfr. BIZZARRI, op. cit. p. 745, in nota.

bonis temporalibus funditus spoliata? Antiqui religiosorum Ordines, saeculare miserorum perfugium, pariter spoliati, imo ex toto dissipati? Hoc genus miraculi edidit, quam eradicare ex corde fidelium perduelles non potuerant, caritas Christi. Ipsa afflictis temporibus suscitavit viros et mulieres qui in esercitium corporalis et spiritualis misericordiae vires, bona fortunae, vitam denique impenderent omnem. Experientia duce, vis unita fortior est; quapropter mature viri ex sua parte, mulieres ex altera adunarunt se socialiter in varios dico coetus quorum quisque peculiari occurreret miseriae eique levamentum afferret. Quod autem natura caritatis secum fert, qui magis diligit fratres miseros, is procul dubio arctius diligit Christum; ideo, post modicum temporis spatium, coetus non pauci, propriis sacrificiis innutriti atque roborati, vitam ambiere perfectiorem, consiliisque evangelicis se manciparunt. Episcopi novellos coetus sub hac forma probarunt; Sedes Apostolica uberes eorum fructus perpendens silentio connixit; sicque, publica necessitate expostulante, caritate christiana instigante, primis saeculi XIX decenniis natae sunt societates permultae quibus, ut religiosae dicerentur, nihil ferme deerat praeter nomen authentice concessum. Sed haec res, ut ex superius dictis constat, erat in magna difficultate.

Adultiores inter has societates coeperunt, non ita multo post, ad instar vitis vehementis palmites suos, domus dico filiales, in plures immittere simul dioeceses; ne autem ipsa hac sua diffusione unitatem corporis, auctoritatis, atque actionis socialis unitatem in periculum vocarent, ad Sedem confugerunt Apostolicam in cuius tutelam suprema haec bona collocarent. Ab anno 1816 ad annum 1862, 124 societates

hoc animo ad S. Sedem accesserunt (1). Sedes Apostolica prudenter sane et potius cunctando incessit. Libenter, ad exemplum Benedicti XIV, de quo supra, constitutiones recognovit et data opportunitate approbavit. Interdum Institutum aliquod laudavit, immo approbavit, plena tamen approbatione i. e. Instituti simul ac constitutionum, ab anno 1816 usque ad annum 1850, donavit septem tantum Societates. Cum vero earum duae fuerint presbyterorum saecularium (2), demum toto hoc tempore nonnisi quinque in censum veniunt (3). Ceteroquin, quoad ipsas quinque approbationes — et Instituti et Constitutionum — cumulative datas, sedulo cavendum, ne ob identitatem formulae, tunc et nunc, in errorem inducamur. Verba enim non secundum praesentem sed secundum stylum illius aetatis sunt accipienda. Iam age haec formula, tunc temporis, praeter stabilitatem constitutionum et faciliorem rationem se expediendi a molestiis localibus, nihil contulisse videtur; ipsa societas, quantum cumque approbata, aestimabatur coetus piarum mulierum in communi viventium.

Interim hi « coetus piorum virorum atque mulierum in communi viventium » multiplicabantur, convalescebant, laetissimosque rei christianae afferebant fructus; ita ut oculatior quisque in hac foecunditate ratum divinae Providentiae agnosceret consilium: digitus Dei est hic. Distinctius pariter coepit apparere veritas, quod status religiosus nullo iure divino, sed iure mere ecclesiastico, sive votis sollemnibus, sive hucusque usitatae approbationi sollemni a Romano

(1) Vide elenchum authenticum apud Bizz. op. cit. p. 808 sqq.

(2) Id est: anno 1833, *Presbyteri saecu'ares Missionarii a Misericordia* - anno 1838, *presbyteri caritatis* a P. Rosminio fundati.

(3) I. e. anno 1821, *Filiae SS. Cordis Mariae,* Andegavenses; 1824, *Sorores Misericordiae,* Cadurcenses; 1827, *Sorores Instructionis christianae,* Gandavenses; 1835, *Sorores a S. Theresia,* Burdigalenses; 1844, *Congregatio Mulierum ab infante Iesu Lisbonenses.*

Pontifice concessae erat alligatus. Cur ergo huic sollemni approbationi non iuxtaponeretur alia, nova, inferioris ordinis? Cur non admitteretur, praeter professionem sollemnem, alia professio votorum tantum simplicium? Quid demum incommodi pateretur Ecclesia, si quando in eius sinu, praeter Ordines regulares seu Religiones per antonomasiam dicta, florerent praeterea etiam Instituta votorum simplicium?

Per has et similes ambages, S. C. *Episcoporum et Regularium*, probante Pio IX, circa annum 1854, viam practicam extricandi se ab hac difficultate invenit, eodemque anno rationes secundum quas approbationem deinceps concessura sit publici juris fecit sub titulo « *Methodus quae a S. Cgr. Ep. Reg. servatur in approbandis novis Institutis votorum simplicium* » (1). Idipsum posthac, ut certius constaret quo iure haec Instituta regerentur, longe uberius atque distinctius praestitit S. Congregatio edendo, anno 1901, opellam: « *Normae secundum quas S. Cgr. Ep. et Reg. procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium* ». « *Normae* » equidem legis dignitatem numquam obtinuerunt, effectum tamen parilem, quandoquidem iis tantum et nullis aliis rationibus S. Congregatio de cetero concessit approbationem, sicque in obliquo obtinuit uniformitatem in istis Institutis, puta quoad tyrocinium, quoad effectus votorum, quoad professionem temporariam perpetuae praemittendam, quoad regiminis formam, etc. Et quia Pius X motu suo proprio « *Dei providentia* » 16 Iulii 1906 (2) prohibuit quominus Episcopus constitutiones probet prius quam « eas ad normam eorum quae S. Consilium in hac causa decrevit » exegerit, uniformitas usque ad Congregationes iuris dioecesani se protendit.

(1) Cfr. Bizz. op. cit. p. 772 sq.
(2) *Acta S. Sedis*, t. 39, p. 344.

Porro approbatio inde ab anno 1854 concedebatur decreto S. Congregationis cum clausula « salvo Ordinariorum iurisdictione ad praescriptum sacrorum canonum et Apostolicarum Constitutionum » (1). Verum quinam canones, quaenam Constitutiones Apost. si excipias Const. « *Pastoralis curae* » Benedicti XIV, haec Instituta respiciant difficile erat dictu. Hinc relationes mutuae Episcoporum et Superiorum manebant valde ambiguae, donec LEO XIII, Const. « *Conditae a Christo* », 8 Dec. 1900, distinctione facta inter Instituta iuris pontificii iurisque mere dioecesani, naturam subiectionis superiorum et amplitudinem auctoritatis Episcoporum quoad utramque seriem accurate definivit, sicque debitum Praelatis honorem in tuto posuit, potentiam arbitrariam removit et firmitatem horum Institutorum mirum in modum promovit.

Vides evolutionis progressum. Habemus nunc *Instituta votorum simplicium*, una cum statuto suo legali. Nondum quidem eorum alumni dicuntur aperte religiosi, dicuntur tamen : *Fratres*, *Sorores ;* quid ergo requiritur ut tandem nomen ipsum authentice sortiantur ? Id sane quam maxime ad scopum duceret si, servata distinctione inter Ordines et Instituta, ob distinctionem votorum sollemnium atque simplicium, ob diversos quos pariunt effectus canonicos, in ceteris constitueretur quoad fieri possit, ius uniforme, disciplina communis pro alumnis utriusque seriei : tunc enim, velis nolis, membra Congregationum religiosi erunt dicendi. Iam in hunc terminum currit ex nunc evolutio nostra. — Primum impulsum dedit celebre decretum « *Auctis admodum* », 4 Novembris 1892 (2). Sane hoc decretum regulares et alumnos Congregationum pari loco habet : quoad usum tituli

(1) Bizz. op. cit. p. 773.
(2) *Acta Sanctae Sedis*, t. 25, p. 312

paupertatis vel mensae communis in promotione ad sacros ordines; quoad processum expulsionis; quoad perpetuam suspensionem eiectorum; demum quoad curriculum studiorum ante promotionem ad sacros ordines absolvendum. — Aliud elementum communis disciplinae accessit ope « *Normarum* ». Quod enim Pius IX iniunxerat regularibus ut, absoluto tyrocinio, per triennium starent in votis simplicibus ante professionem sollemnem, id suo modo Normae extenderunt ad omnia Instituta quae pontificiam ambiebant approbationem, ut, emenso novitiatu, omnes eorum alumni starent ad minus per triennium in votis temporariis, antequam admitterentur ad professionem perpetuam — Posthac decreta generalia, quae sub Pio X a S. Congregatione Religiosorum prodierunt, aperte manifestarunt nisum constituendi ius quo Ordines atque Instituta uniformiter regerentur. Sic, Ordines et Instituta tangunt: eiusdem Instructio 30 Iul. 1909 (1) « circa debita et obligationes oeconomicas a religiosis familiis suscipienda » Decretum 7 Sept. eiusdem anni « de quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis » (2); Decretum 16 Maii 1911 « De methodo servanda in ferenda sententia expulsionis vel dimissionis ab Ordinibus et Institutis *religiosis* ». Nota verbum (3); Decretum 3 Febr. 1913; « De monialium et sororum confessionibus » (4).

Ratio huius consilii, denominandi Religiosos omnes quotquot in Societate approbata vivunt, in qua vota perpetua emittantur, indicia deinceps plura apparuerunt. Ita v. gr. ipsa appellatio qua Pius X, in nova Ordinatione Curiae Romanae 1909, *Congregationem*

(1) *Acta Apostolicae Sedis* t. 1, p. 695.
(2) Ibid. p. 700.
(3) Acta Ap. Sedis t. 3, p. 235.
(4) A. A. Sedis t. 5, p. 62.

negotiis Episcoporum et regularium insignivit, signum fuit haud ambiguum. Non enim de cetero Congregatio regularium vocatur, sed, exstincto hoc titulo, S. Congregationem negotiis *Religiosorum* sodalium praepositam eam dixit, seu ut passim in *Actis Apost. Sedis* « *S. Cgr. de Religiosis* » audit. Aliud indicium praebuit *S. Cgr. Consistoiralis* decreto 31 Dec. 1909 « De Relationibus dioecesanis et Visitatione SS. Liminum », quo antiquam Instructionem S. Cgr. Concilii circa hocce Episcoporum officium nova ratione ordinavit. Porro antiqua Instructio habebat: § 4 de quarto capite ad clerum regularem, § 5 « de quinto capite ad Moniales pertinente ». E contra in nova ordinatione anni 1909 legis: cap. 9. « *De Institutis religiosis virorum* », cap. 10 « *De Institutis religiosis mulierum* ». Quid clarius? Ab illa die quilibet, quin quis sibi gloriam prophetae sumeret, iam tuto affirmari poterat, Codicem ab hoc consilio non fore recessurum, legesque suas prolaturum sub rubrica generali. « *De Religiosis* » nec aliter, ut de facto videmus. Novitatem igitur habemus, non quidem improvisam, sed nunc primo lege publica stabilitam.

Sapientia huius mutationis fatis historicis comprobatur.

Dissertatio De Duellis

Occasio scribendi. - Quaesito de sic dictis « *mensuris* », seu de pugnis quae propter exortum discidium et acceptam offensionem vel etiam propter meram iussionem praesidis consociationis, statutis consentaneam, in Germania inter ascriptos Universitati studiorum iuvenes celebrantur, non exiguas in praesenti controversias inter theologos excitat, cum alii omnes *mensuras* poenis duellorum plecti contendant, alii vero poenas istas solis periculosis mensuris applicandas putent.

Priores urgent resolutionem *S. C. Concilii,* 9 aug. 1890, in Wratislavien. datam, qua ad quaestionem : « An, a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur quando duellum ea ratione committitur quae his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solet in casu », respondit : « Affirmative a duellantibus eorumque patrinis, ex infamia iuris ». Infamia enim iuris inter poenas quibus duella puniuntur recensetur. Resolutionem istam confirmatam existimant recentiore responsione 13 maii 1922, qua tamen mere declarabatur resolutionem 1890 adhuc vigere ; i. e. nihil in hac re promulgatione Codicis mutatum esse : quod est manifestissimum.

Alii vero resolutionem 9 aug. 1890 existimant de solis mensuris quae periculum creent saltem mutilationis vel gravis vulneris latam esse et intellegi debere, ut ad concordiam cum receptis Doctorum placitis redigatur.

Ferventem in Germania controversiam attingere nullo pacto proponimus, praesertim cum causa denuo S. C. Concilii iudicio submissa esse videatur. Atque ad mores eliminandos quos procul dubio tamquam barbaros et detestabiles deplorare et notare debemus, S. Sedi sane integrum est etiam speciale ius in hac re Germaniae praestituere.

Verum specialis quaestio de Germaniae mensuris, quam penitus omittimus, nobis suasit ut de duellis magis generaliter ageremus. Tria haec opportune recolenda arbritramur : quaenam *variae duellorum rationes* exsistant vel exstiterint, et quid de iis sentiendum sit ; - quaenam *duelli descriptio* inde colligatur ; - quaenam *poenae* quibusnam duellis statutae sint. E genuinis notionibus generalibus recta interpretatio documentorum positivorum plurimum pendet.

§ 1. — *Variae duellorum rationes*

I. Variae praeteriti aevi rationes

I. Antiquissimum duellorum exemplum auctoribus nostris est *factum Davidis* qui, vere Dei auxilio fretus, triumphavit de superbo Goliath qui filios Israël provocaverat, ipsorum ignaviam deridens et exprobrans. Non absimile factum Torquati Manlii procedentis contra gigantem Galliae ad nos per Titum Livium pervenit.

Fuit in saeculis anteactis usus satis receptus expediendi se explicatione per allegatum, sed non probatam divinam dispensationem. Nihil mirum igitur si plures Davidis duellum excusarint eo « quod Spiritu sancto motus pugnaverit cum Philistaeo ». (Sic CAIETANUS, in 2, 2, q. 95 art. 8 ad 3).

Sed iam Doctor Navarrus (MARTINUS AZPILCUETA, † 1586) *Manuale*, c. 15, n. 27. Davidem hac iusta ratione probabat quod provocatio Goliath vires hostium augebat, infirmabat autem animum Israëlis; bene autem fas esse exponere vitam suam ad augendam spem victoriae. Ac post Navarrum, LAYMANN (1635) *Theol. mor.* L. III, T. III, Parte III, c. 5., n. 3; PIRHING, (1679), *Ius canonicum universum* in L. 5. T. 14, II, 2, regulam generalem quae hodie non controvertitur proferunt : « Si hostis exercitui duellum offerat, idque

ab aliquo acceptari ad avertendam ignominiam, animos hostium debilitandos, suorumque confirmandos necessarium videatur », acceptatio ista in nullam reprehensionem incurrit.

II. Altera duelli ratio nobis innotescit ex historia Romana, regnante Servio Tullio : dum acies instabat inter Romanos et Albanenses, inter utramque civitatem convenit ut multitudini parceretur et belli sors decidenda committeretur certamini inter *tres fratres Horatios et Curiatios*.

Plures hodierni scriptores, ut nobis videtur, huius duelli rationem iam honestam habent eo quod sic modo minus cruento finis bello imponatur. Ita, v. g. GÉNICOT, I, 380, post BUSEMBAUM duellum admittit « ad terminandum bellum cum minore damno ». Non aliter PRUEMMER, II, 125, qui sic ratiocinatur : « Si e publica auctoritate exercitus contra exercitum pugnare potest propter bonum commune, a fortiori (ne scilicet sanguis multorum effundatur) potest permitti propter idem bonum commune pugna singularis in duello ».

Minus absolute LEHMKUHL, *Theol. mor.* I, 1015 ; « Videlicet causa publica contra hostem iudiciali sententia finiri nequit ; quare nihil restat nisi ut per pugnam finiatur ; at si totus exercitus pugnare potest, loco omnium etiam singuli eligi *possunt*. Nihilo minus dux ex alia ratione temere id committere nequit, ne videlicet certam spem victoriae cum dubio prorsus exitu singularis pugnae commutet ».

Audiamus iam antiquiores doctores. Ut observat BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol.* II, 931 : « Theologi morales apponunt quasdam condiciones ». CAJETANUS, in 2, 2, q. 95 art. 8 acute offensivum a defensivo bello distinguit. In solo iusto defensivo bello permittit duelli acceptationem, quando sic certus casus in dubium transfertur. Rationem autem severitatis petit ab ipsa belli natura. « Iustum enim bellum, vel est vindicativum vel defensivum. Si est vindicativum,... indicens bellum gerit personam iudicis, utpote utens publico gladio contra extraneos impugnatores rei publicae... Huiusmodi autem iudex et vindex fungitur

persona et officio agentis. Agens autem debet superexcedere patiens ut possit illud sibi subicere. Et propterea huiusmodi bellum non debet nisi a potentiore indici, et sic potentiori ut, licet varius sit eventus belli, humana tamen ratione quasi certa sit victoria, aut saltem non succumbere. Hoc autem in duello servari non potest... Si vero bellum iustum est defensivum,... tunc suscipieus bellum gerit personam et resistentis et propulsantis a se iniuriam, et ideo oportet tunc imitari res naturales quae, quantum possunt, resistunt contrariis suis... Contrarium autem huius fit in duello ». Solutionem et ipsas rationes Caietani confirmant SANCHEZ, *Decal.* L. 2, c. 39 n. 15. 16; LAYMANN, *Theol. mor.* L. III, T. III, P. III, c. 5 n. 3.

Paulo infra tamen is ansam confusionis dedisse videtur per verba quibus probat duellum: « Si ad reipublicae bonum belli exitum, securitatem ab hostibus consequendam, imminente belli conflictu, magis expedire ducibus videatur ut totum bellum ad duellum vel paucorum certamen revocetus, hostique offeratur vel ab eo oblatum acceptetur ».

Nisi enim aliis verbis repetat quod iam supra dixerat, solutio ista admitti nequit, nec a Caietano vel a Sanchez, quos Laymann allegat, proponitur.

Verum in iusto bello defensivo, quando melius per ipsum duellum bono communi partis *quae se defendit* consulitur, admittunt ut haec pars, non solum acceptet, sed etiam offerat duellum, « quia id non est adversarios iniuste pugnaturos inducere ad malum, sed eos a maiori malo avertere, quale est bellum commune ». (SANCHEZ, l. c. n. 16). Admittunt quoque ut statutae certamini condiciones sancte impleantur, quia ad bonum commune valde refert ut in bello, etiam hosti iniusto fides servetur (SANCHEZ, l. c.).

Itaque conversionem belli in duellum tunc tantum licitam dicemus, quando, omnibus perpensis, id mini-

me causae iustitiae obfuturum videatur. Benignior solutio, qua certamine paucorum belli casus magis universaliter solvi permitterentur, notionem belli omnino pervertit, quasi sit modus enodandi dubia, dum est vel defensio gentis iniuste lacessitae vel ultio de gravissima offensione. Dubia enim de iure, minime cruentis armis, sed honesta transactione vel compromisso discutienda sunt.

III. Tertii duellorum generis exemplum nobis praebet *iussum Annibalis*, qui, ut milites suos ad fortiter pugnandum excitaret, paucis captivis praecepit ut manus consererent, libertatem victori promittendo.

Non absimiles erant in amphitheatro pugnae gladiatorum, qui spectaculo pugnae et necis Romanum populum oblectare iubebantur.

Huiusmodi duella nulli catholico scriptori probari, per se liquet, cum ii tantum usum istum excusare possent qui, inviolabilem omnis personae humanae sanctitatem contemnentes, ius in aliorum vitam quibusdam tribuerent.

IV. Inter causas duelli, CAIETANUS, l. c. numerat *terminationem litis vel criminalis vel civilis*, si oblatio vel acceptatio duelli solum medium foret retundendi calumniam vel obtinendi iustitiam. Idque scriptores merito ut non proportionatum medium ad finem reprobant, excepto solo casu quo « accusator evidenter calumniatur et praevalet contra me innocentem, ad mortem vel mutilationem. Tunc acceptatio duelli non est nisi defensio contra invadentem se ad mortem vel mutilationem ».

V. Sextam causam indicat CAIETANUS *propriam defensionem a praesenti invasore*. Verum defensio ista a ratione duelli aliena est.

VI. Inter sex autem causas quas CAIETANUS distinguit, primam allegat, *manifestationem veritatis*, « dum scilicet aliqui confidunt quod victoria sui erit

testis veritatis, quod scilicet ipse est innocens, aut habet ius huiusmodi ». De hoc solo duellorum genere agit S. THOMAS, 2, 2, q. 95 art. 8. Liquet autem hanc divinationem per duellum infici superstitione et tentatione Dei. Haec olim ponebatur inter purgationes vulgares (1) quae ab Ecclesia damnabantur.

VII. Ut tertiam causam duellorum CAIETANUS refert *fugam « ignominiae*, quia scilicet reputatur vilis et degeneris animi qui non acceptat duellum ». Quod, ut ineptum apud sapientes medium vindicandi honorem, et ut malitiam continens attentati homicidii et suicidii, ratione et ecclesiasticis poenis aeque damnatur.

VIII. *Ostentatio virium* etiam inter causas duelli reputatur, ut cum « principes concedentes, quasi spectaculi causa, cum in bellis sunt, certamina quasi singularia, puta decem hinc et decem inde, ad ostentationem virorum fortium » (CAIETANUS, 1. c.) « Constat, ait ipse... a ratione alienum esse ut pro ostentatione virium quis pugnet... Diabolica sunt haec et sicut duella iudicanda ».

Ad hoc postremum genus ascribi possunt periculosa torneamenta ab equitibus inita, quamvis ludis, non autem duellis accenserentur.

II. Hodiernae duellorum rationes

Hodierna duelli ratio fere haec est ut, per occasionem cuiuspiam offensae, sive verbalis, sive realis, qui se offensum existimat, sive sponte sua sive iubente Superiore, sive usibus militaribus vel mundanis praeiudiciis coactus, offensorem, nisi is, congruente explicatione vel alia ratione offensam diluat, ad pu-

(1) Nomine purgationum vulgarium designantur modi quibus vulgus innocentes a sontibus, veraces a mendacibus discernere volebat. In iure opponitur vulgaris purgatio purgationi canonicae. Inde in L. 5 Decretalium, t. 34 est de purgatione canonica ; t. 35, de purgatione vulgari.

gnam provocet, quam alter libere vel coacte acceptat. Provocationi praeponi consuevit missio testium qui offensorem adeant ac dein, veluti rei arbitri, de sufficienti explicatione seu satisfactione, aut de necessitate pugnae decernant (1).

Si iam quaeras quid *quasi philosophice* subsit in hodierno duellorum instituto, in eo, quatenus, per duellum, ultio de iniuria quaeritur, vestigia detegimus antiquae causae divinatoriae; quatenus autem ad servandum honorem dirigitur, antiquam fortitudinis ostentationem memorare videtur. Priore autem ratione, hodierna duella magis quam antiqua stulta et inepta demonstrantur. Olim enim, superstitiose sed sincere tamen appellabatur divinitas, quae hominis iusti vel innocentis victoriam certam reddere poterat; dum hodie, suppressa omni religiosa invocatione, exitus mere committitur fortunae, quae caeca est, vel maiori peritiae alterutrius dimicantis. - Altera ratione superfluum ac proin illicitum demonstrandae fortitudinis medium tentatur, cum meliores viae non desiderentur quibus constantia animi probari queat.

Celebrata interdum est alia *duellorum militarium* utilitas, i. e. melius servatae urbanitatis, sedulius vitatae offensionis, ne casus duelli periculosi oriatur. Qui effectus rursus magis humano modo obtineri possunt.

Ad quodnam genus ascribemus sic dictas « mensuras » Germaniae ?

Partim fiunt occasione iniuriae, partim, sine huiusmodi occasione, iubente praeside consociationis,

---

(1) Mundus, sicut vestitui, ita duellis proprias « ex honore » servandas leges praestituit. CARRIÈRE, *De iustitia*, ad n. 808 tamquam Codicem istarum legum indicat opus anno 1836 scriptum a DE CHATEAUVILLARD, *Essai sur le duel*. Magis recens, leges istae exponuntur in *Dictionnaire Nouveau Larousse*, qui allegat *Code du duel* anno 1897 editus a *Société du contre de quarte*. In Germania exsistit opus, anno 1901 Berolini editum a SPOHN, *Die konventionellen Gebraüche beim Zweikampf*.

secundum ipsius consociationis normas. Priores mensurae non sunt nisi deminuta ratio hodierni duelli; posteriores duella vanae ostentationis imitantur. Deminutam dicimus duellorum rationem, quia proteguntur oculi, et pugnantes, adhibito cultello, mere incisionem in facie intendunt.

Demum duella sic dicta « *americana* » huc redeunt ut ambo adversarii se periculo mortis aut gravis damni exponant, unde alter casu occumbat, alter casu indemnis evadat. Ab his omnis ratio certaminis abest; temerariam et graviter culpandam vitae prodigalitatem continent, quae stultitiam duellorum manifestam simul efficit.

§ 2. — *Genuina duelli descriptio*

Latissimo usu, duellum quamlibet Monomachiam seu pugnam inter duos vel paucos designat.

Magis proprie autem, ut ex variis duellorum rationibus colligere possumus, ad duelli essentiam etiam haec certo pertinent:

a) Verum *certamen* hostile, quo alter alterum in corpore laedere intendit; qua nota differt a ludis, etiam periculosis, in quibus quis mere propriam victoriam, minime autem alterius damnum consectatur.

b) Certamen singulare seu paucorum.

c) Certamen e condicto susceptum.

Has solas notas HOSTIENSIS, *Summa*, n. 1. De clericis pugnantibus in duello, sua definitione complectitur (L. V, t. 14). Atque huiusmodi definitionem communem dicit REIFFENSTUEL, in L. V, t. 14, n. 2. Is tamen addit, in duellis de tempore et loco conveniri. Neque ipse, neque SCHMALZGRUEBER, in eundem titulum, neque LACROIX, *Theol. mor.* De quinto praecepto, n. 834, pactionem de armis memorant. Ac sane S. THOMAS, 2, 2, q. 95 art. 8 ad 3, sola duella

pugillum contemplatur : hi autem pugnis vel caestis decertabant.

PASCUCCI autem in annotatione ad PIGNATELLI, t. I *De duello*, ante finem, vers. *Excluditur autem*, ut refert FERRARIS, *Duellum*, n. 6, a ratione duelli excludit omnes alias contentiones seu pugnas quocumque alio instrumento fiant, dummodo ex illis non immineat periculum mortis seu mutilationis. Cf. etiam PIGNATELLI, t. 9. Cons. 88, n. 93.

Subinde perventum est ad aliam definitionem quae, quod ad rem, reperitur apud BUSEMBAUM, *Medulla*, et inde apud LACROIX, S. ALPHQNSUM, et FERRARIS, ita ut communis dici queat. Describitur duellum pugna inter duos vel paucos, pari numero, ex condicto inita cum periculo occisionis, mutilationis vel vulnerationis.

Cum periculum istud ex armorum genere oriatur, inde magis recens, plures arma letalia in definitionem inseruerunt. Sic D'ANNIBALE, *Summula* II, 288, ex Salmanticensibus, tr. 25, c. 1, n. 153, (ut ipse ait) (1), duellum definit : « Singulare certamen armis letalibus ex condicto susceptum ». Sic etiam LEHMKUHL, *Theol. mor.* I, 1014 : « Duellum dicitur pugna singularis, ex condicto, armis ad occidendum, sive graviter vulnerandum aptis ».

§ 3. — *Varia duellorum divisio*

Iam supra, in § 1, duella ex variis causis distinximus.

Sub alio respectu, duella distinguuntur quae auctoritate *publica* imperantur vel quae *privata* fiunt certantium voluntate.

---

(1) « Ut ipse ait », inquam. Loco enim citato, duellum definitur : « Pugna singularis ab utraque parte ex condicto accepta, cum periculo occisionis aut gravis vulneris, statuto tempore et loco ».

Duella etiam sunt vel *sollemnia* vel *clandestina* seu *privata*. « Sollemne est, ait REIFFENSTUEL, in L., t. 14, n. 2. quod fit servata certa forma et sollemnitate circa tempus et locum securitatis privilegio praeditum (quod *campum francum* communiter appellant), adhibitis etiam testibus seu patrinis, quos *secundantes* vocant.

« Privatum est quod quidem etiam ex condicto, statutoque tempore et loco absque aliis tamen sollemnitatibus circa securitatem loci et patrinis adhibitis fit ».

Pro varia statuta pugnae crudelitate, duella distinguuntur *letalia*, seu ad alterutrius necem usque protrahenda, et *non letalia*, quae certo numero circumscribuntur ictuum vel etiam usque ad primam sanguinis effusionem tantum fiunt.

§ 4. — *Poenae canonicae*

I. *De iure ante Tridentinum Concilium*. Poenae L. V, t. 13, c. 1. latae sunt contra torneamenta « in quibus milites ex condicto convenire solent et ad ostentationem virium suarum et audaciae temere congredi... unde mortis et animarum pericula saepe proveniunt ». Caput 1 eadem prohibet et etiam paenitentes qui inde moriantur ecclesiastica sepultura privat (Caput desumptum est e canone 20 Conc. Lateranensis sub Alexandro III). Sed, observat PIRHING, in h. 1. cum pluribus, non sunt prohibita quando cum tali moderamine fiunt ut cesset periculum mortis, tametsi raro et per accidens sequatur mors aut grave vulnus infligatur.

In altero capite eiusdem tituli, immunis ab hac poena pronuntiatur qui alia causa ac ludendi vel pugnandi ad torneamentum accesserat. Quod auctores applicabant ad eum qui spectandi causa accesserat, quia poena ad proprios terminos restringi debeat.

Primo autem capite tituli proxime sequentis *(De clericis pugnantibus in duello)* clerici duellantes deponendi sunt. Episcopus tamen potest cum ipsis dispensare, dummodo ex duello « homicidium vel membrorum diminutio sive detruncatio non fuerit subsecuta ».

Clerici autem fiunt irregulares, si ipsi vel pugiles ab ipsis constituti aliquem in duello occiderint.

II. *Ius Tridentinum.* Conc. Tridentinum, s. 25, c. 19 Ref. 1°. excommunicat dominos temporales qui locum ad monomachiam in suis terris concedunt; - 2. eosdem privat iurisdictione et dominio quod ab Ecclesia obtineant; - 3. contra pugnantes et eorum patrinos poenas indicit excommunicationis et omnium bonorum proscriptionis ac perpetuae infamiae; ac vult ut puniantur sicut homicidae secundum sacros canones; - 4. Si in hoc conflictu decesserint, statuit ut perpetua sepultura ecclesiastica priventur; - 5. excommunicatione etiam plectit eos qui consilium ad duellum tam in iure quam in facto dederint, vel alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores. Excommunicatio, non vero aliae poenae, ipso facto incurritur.

GREGORIUS XIII, Bulla *Ad tollendum*, 5 dec. 1582, poenas Concilii extendit etiam ad duella privata quae ex condicto, statuto tempore et in loco convento fiunt, etiam sine patrinis sociisque ad id vocatis, et sine aliis sollemnitatibus (Hoc in proxime alleganda Bulla, § 3 memoratur).

CLEMENS VIII Bulla *Illius vices*, 17 aug. 1592, decretum C. Tridentini ceterasque Apostolicas Constitutiones, § 4 confirmat; § autem 5 decernit et declarat eas locum habere ubique gentium et terrarum; eadem § 5 decernit et declarat iisdem poenis, Decreto et Costitutionibus teneri « eos inter quos pactiones initae sunt de dirimendo certamine cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem fude-

rit aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit. Vel si convenerint ut non singuli, sed bini, terni aut plures hinc inde pugnent »; § 6 poenas ad fautores extendit; § 7 excommunicationem S. Sedi reservat.

BENEDICTUS XIV, C. *Detestabilem*, 10 nov. 1752, superiores Constitutiones recolit, proscribit quinque propositiones quibus excusationes gravis metus et aliae admittebantur; Constitutiones praecedentes confirmat; asylo eum privat qui in duello occiderit; iubet ut extrahatur e loco immuni qui, inflicto vulnere, alterum in « grave periculum coniecerit » eosque etiam qui paenitentes ex duello succumbant, ecclesiastica sepultura privat.

PIUS IX, C. *Apostolicae Sedis*, 12 oct. 1869, § II, n. 3 censuras innovat.

III. *Codex canonicus*, temperata, canone 1240, § 1, n. 4, privatione sepulturae pro iis qui paenitentes obierint, canone 2351, § 1 excommunicationem simpliciter S. Sedi reservatam renovat; et § 2 ipsos duellantes eorumque patrinos ipso facto infames pronuntiat.

Quaestio residua

In synoptica disceptatione quae resolutioni *S. C. C.* in Wratislavien. 9 aug. 1890 praeponitur (*Acta Santae Sedis*, XXIII, p. 235 ss.) auctoribus qui ad duelli rationem periculum occisionis vel mutilationis exigunt opponi *aliquatenus* videntur (1) scriptores qui duellum describunt coniunctum cum periculo occisionis, mutilationis *aut vulneris* (quasi scripserint « aut saltem vulneris »).

Suntne re vera auctores alii aliis contrarii? Pro studio veri id propius examinare iuvabit. Scriptor di-

(1) *Aliquatenus*, dico, quia quid in priore parte nomine vulneris relator intellegat valde manifestum non est. Ipse enim nusquam dicit sufficere periculum vulneris non gravis.

sceptationis tamquam auctores qui non videntur nisi vulneris periculum requirere, allegat FERRARIS, *Prompta Bibliotheca*, LEHMKUHL et PIGNATELLI. De singulis pauca.

FERRARIS, utique, n. 1, describit duellum monomachiam « cum periculo occisionis, mutilationis aut vulneris » ; sed dum definitionem suam explicat, allegat, n. 6, PASCUCCI, qui a ratione duelli excludit pugnas factas cum instrumento unde non immineat periculum mortis seu mutilationis. N. autem 18, ut ostendat omne duellum iure divino prohiberi, praecepto utitur *Non occides* « quo etiam, ut subiungit, periculum occisionis intellegitur ». « In duello autem, sic pergit, uterque duellans, ad minimum exponitur evidenti occisionis periculo ». Constat igitur, « periculum occisionis, mutilationis aut vulneris » a Ferraris non esse per modum disiunctionis posita, sed sumi coniunctive, ita ut duellum ipsi sit pugna in qua simul concurrit periculum mortis, mutilationis aut vulneris.

LEHMKUHL, I. 1014, cum duellum fieri dicat cum armis « ad occidendum sive graviter vulnerandum aptis » periculum occisionis iam insinuat. Quid enim est grave vulnus, nisi quo periculum mortis inducatur ? Praeterea autem negat duella esse vera quae fiant « sola virga vel baculo ad letaliter laedendum inepto ». Demum, n. 1016, 2, « occisio hominis evidensque vitae periculum » ab ipso ut immediatus duelli effectus perhibetur. Unde iterum non disiunctive sed coniuncte sumit arma « ad occidendum sive graviter vulnerandum apta ».

PIGNATELLI denique, *Consultationes canonicae*, t. 9, Cons. 88, n. 33 utique describit duellum, « duorum bellum... ex condicto... deliberate susceptum cum periculo necis aut vulneris ». Sed quomodo haec intellegit ? Supra, n. 14, iniquitatem duelli inde demon-

strabat quod in solius Dei peculiari dominio est vita hominis. N. 34, in duello, ut ait, « vita utriusque exponitur mortis ac vulnerum periculo » ; et passim periculum ipsius mortis ex duello supponit.

Nec diversam sententiam prodit quando n. 92 ad poenam duellorum requiri dicit « ut duellum fiat cum periculo occisionis vel vulneris ». Namque iam eodem numero, duellum prohibitum dicit « ob periculum gravis laesionis » ; et n. 93 immunem ab excommunicatione declarat concertamen quod fieret « instrumento non periculoso : quia huiusmodi concertamen est sine periculo occisionis vel mutilationis ». Non secus igitur ac priores vulnus intellegit tale unde mors sequi possit, sicut casum n. 162 proponit.

Itaque nullum re vera est inter auctores discidium de vera duelli notione. Id ceterum iam ex ipso eorum silentio de controversia circa hanc rem. Si inter se dissentirent, adversas sententias referre et redarguere non omitterent. Dum solum PIGNATELLI reperimus qui, n. 92 referat Peregrinum quendam qui severius opinetur.

Potuit igitur professor KOCH, *Lehrbuch der Moral Theologie* (1910), p. 539 affirmare iuristas et moralistas unanimiter ad duellum exigere « ut ex condicto fiat cum armis letalibus et saltem cum gravi periculo mutilationis aut gravis vulneris ».

Conclusio

Cavendum nobis videtur ne sapientes hierarchicae potestatis provisiones falsis rationibus stipemus. Falsa autem foret ratio quae paucis verbis scriptorum abuteretur ad mentem eorum adulterandam. Ideo mentem istam indagare nobis utile videbatur.

Porro is fructus nostrae disquisitionis colligi posse videtur, ut duelli sanctione puniti essentiam agno-

scamus in omni et solo certamine per se periculoso quod ex condicto inter duos vel paucos illicite ineatur. Quare etiam si solis pugnis vere ex condicto certetur, pugilatus seu « boxe » dummodo periculum caedis vel gravis vulneris per se inducat a censuris immunis esse non videtur. De hac duellorum ratione agebat S. Thomas, loco supra citato.

Dubitatio quam gignit recepta hodie descriptio duellorum, quae arma letalia postulat, evacuatur, si pugni ferro armentur.

Contra, si pugnae ratio, ut in duellis americanis vere deficiat, de sanctionibus iuris communis contra duellum latis sermo esse nequit.

Verum Ecclesia, seu potestas ecclesiastica, minime, pro sua prudentia et vigilantia, prohibetur peculiaribus variarum regionum necessitatibus prospicere atque efficaci sanctione coercere si qui abusus inter catholicos etiam per ementitam duellorum speciem grassentur. Ita si ipsi catholici exercerent sic dicta duella « Americana » in quibus ambo duellantes, sine ulla pugna, temerarie certae vel probabili morti se exponunt, persuasum nobis est ea non impune ab episcopis Americanis toleratum iri, quamvis praesentes sanctiones contra duella casum istum non contemplentur.

Neque difficultas inde quaeri potest, quod duella non periculosa in se non sint gravia peccata, et sola gravia peccata externa censuris plectantur (Cf. LEHMKUHL, I, 1017). Ratio ista contra praesentis legis quae periculosa duella supponat applicationem facere potest; sed, propter coniuncta damna, ipsis factis singulis extranea, v. g. confirmati praeiudicii duellorum, preparationis animi ad vera duella postea celebranda, ecclesiastica potestas abusus huiusmodi sub gravi prohibere et consequenter censura munire omnino permittitur.

Varia de Iubilaeo

§ 1. - *De iubilaei lucrandi condicionibus.*

I. **De condicione confessionis.** - 1. Quonam sensu canon 931, § 3, indulgentiam iubilaei excipit ab indulgentiis pro quibus habitualis confessio bis in mense peracta, sufficere possit?

Resp. Hoc sensu, ni fallimur, quatenus, pro iubilaeo, confessio instituenda sit cum intentione iubilaei lucrandi. Si igitur, in habituali sua confessione, fidelis de iubilaeo nondum cogitaverit, talis confessio ad iubilaeum lucrandum utilis esse nequit. Verum, si tunc iam voluit iubilaeum lucrari et confessio inter ipsum annum sanctum instituta sit, condicioni iubilaei est satis factum. Nec videmus cur aliis indulgentiis lucrandis eadem confessio sufficere non possit, cum, ut est manifestum, per istam confessionem, fidelis consuetudinem suam bimensilis confessionis minime interruperit.

2. Cum hodie omnis confessio sit quasi proxima praeparatio communionis, nonne ad confessionem extendi potest gratia per C. *Si unquam* oblata iis qui praeceptum paschale misere neglexerint, ut possint una communione praecepto neglecto et condicioni iubilaei satisfacere?

R. Cum privatis non liceat limites factae concessionis dilatare, extensio ista neganda est, donec ipsa S. Sedes aliter expresse non statuerit.

Ceterum *confessio* ut principalis condicio iubilaei praecipitur, a qua dispensari nequit, et quae totiens iteranda est quotiens quis (sibi vel aliis) iubilaeum lucrari cupiat.

Separata ista concessio de communione fortasse hac etiam ratione explicatur, quod anno 1841 id ab episcopo Quebecensi petitum est a S. C. *Indulgentiarum*, allegato hoc motivo, iteratam communionem personarum quae diu culpando modo sacramentis abstinuerant potius quam aedificaret, scandalosam fore. (Cf. pro responsione, *Decreta authentica*, n. 296, ubi tamen omittitur allegata ratio. Haec reperitur in opere : Traité canonique et pratique du Jubilé par J. LOISEAU. Tournai 1859, p. 208 in nota).

Addas praeterea necessitatem communionis magis recens inter opera requisita numeratam esse, ita ut etiam aetate LACROIX res controverteretur.

II. **De visitationibus Basilicarum.** - 1. Cum Monito XV S. Paenitentiariae mere dicatur visitationem quartae Basilicae post meridiem iterari posse ad *inchoandam* seriem visitationum sequentis diei, potestne series ista eodem vespere *compleri?*

Resp. Eodem vespere compleri posse pro certo habemus. Nulla enim ratio allegari potest maioris severitatis. Condicioni quattuor visitationum eodem die perficiendarum omnino est factum satis. Si mere de inchoatione mentio facta est, haec, ni fallimur, causa fuit, quod fideles non supponantur velle tres alias basilicas iterum eodem vespere visitare. - Ceterum in probato opere *Die Ablässe* BERINGER-STEINEN, I, 1004, id explicite dicitur : « Novo ingressu in ecclesiam quae prostremo loco visitata est, visitationes iterum inchoari possunt ut eadem vel postera die perficiantur ».

2. Potestne iam ante visitatam quartam Basilicam nova series in aliis Basilicis inchoari, singulas, post meridiem bis visitando, prius pro die praesenti, dein pro sequenti ecclesiastica computatione iam a meridie initium habuit ?

Optio diei naturalis vel ecclesiastici a BENEDICTO XIV concessa est « ut fideles... visitationem quattuor Basilicarum facilius adimplere possint ». Cf. litt. enc, *Inter Peregrinantes*, 3 dec. 1749, § 8 et 13.

Sanctionem tamen istam non nulli, ut fieri solet, severe interpretati sunt, negantes utramque diei supputationem coniungi posse, ita ut in eodem 24 horarum spatio duo dies numerarentur, alter naturalis, alter ecclesiasticus. Sic, anno 1900, *Nouvelle Revue Théologique*, t. 32, p. 81. Simul tamen, eodem loco permittebant ut post meridiem duae visitationes altera pro die qui ad finem vergebat, altera pro die incipiente utiliter peragi possent, quia tempus pomeridianum ad duos dies ecclesiasticos pertineret.

S. Paenitentiaria dein, responsis 31 ian. et 20 febr. 1900 omne dubium sustulit, de nova optione permissa, saltem post completam unam visitationum seriem. Quod autem etiam duae series possint quasi simultanee perfici, stando principiis et concessione optionis, id admittendum nobis videtur. Plenius sic obtinetur finis propter quem, teste BENEDICTO XIV, optio concessa sit. Accedit haec confirmatio per analogiam: sicut quis potest iam valide anticipare Matutinum ante quam vesperas diei recitaverit, sic cur non posset ante finitam unam visitationum seriem alteram inchoare? Nec monitum XV Paenitentiariae nobis datur tamquam nova concessio, sed potius tamquam manifestum corollarium permissae optionis. Sic enim sonat: « Completa igitur quartae Basilicae visitatione, *licebit, ut patet*, a meridie et deinceps eiusdem Basilicae visitationem iterare » etc.

Quia tamen solum casum contemplata est iam completae prioris seriei, et non de sanctione poenali fugienda sed de condicionibus beneficii acquirendi agitur, tutius erit stare expresse concessis et hoc altero modo abstinere, donec fortasse nova S. Paenitentiariae declaratio nos securos non reddiderit.

3. In Commentario nostro, V, 6, diximus decem visitationes peregrinis praescriptas intra quinque dies civiles absolvi posse. **Quaeritur** utrum necne id de

quinque diebus *etiam continuis* an tantum de separatis intellegi queat.

R. Manifestum est id de solis diebus non continuis intellegi posse. Qui enim post meridiem, v. g. Feriae II, Basilicas pro feria III visitaverit iam, in ipsa Feria III, non poterit utiliter (pro iubilaeo) visitare Basilicas nisi post meridiem, pro Feria IV.

4. *Nova concessio.* Ex audientia Sanctissimi, 7 nov. 1924, *pro gratia* responsum est supplici libello oblato a « Giunta » Dioecesana Romana, quo petebatur ut R. D. NOGARA, generalis secretarius assistentiae peregrinorum, aut, eo absente vel impedito, sacerdos eiusdem vices gerens, omnes cuiuslibet peregrinationis participes *singulatim* et etiam *collective* circa visitationes quattuor Basilicarum, prout adiuncta ferebant dispensare posset, sicut magis in Domino expedire iudicaverit. Cf. textum in altera parte Periodicorum).

Fas igitur erit ipsi erit, attento tempore quod peregrini in Urbe commoraturi sint, ad duas vel tres visitationum series condicionem visitationum reducere.

Ex audientia autem Sanctissimi, 5 dec. 1924, iuvenes consociationum catholicarum, diebus quibus designantur (ab eodem Secretario vel supplente) ad operam ferendam peregrinis sive in Basilicis, sive ad viam ferream sive in officio informationum, possunt unica visitatione facta in viciniorem officio explendo Basilicam duabus seriebus visitationum satisfacere.

§ 2. - *De stabiliter impeditis*

Nomine *operariorum* qui etiam extra Urbem iubilaeum hoc anno lucrari possunt, R. BESSON, *Nouvelle Pevue Théologique*, 1924, p. 595, existimat intellegi posse quotquot, sive nomine alterius ut eius officiales, sive nomine proprio e cotidiano laboris vel operae fructu sibi et personis suae familiae prospicere debent. Ita multi amanuenses, rhedarii, artifices.

Verum interpretatio ista offendere videtur in canonem 67 : « Privilegium ex ipsius tenore aestimandum est, nec licet illud extendere aut restringere ». Quare, *operarii* ii soli intellegi possunt qui laboribus servilibus addicti sunt. Minus refert utrum proprio nomine an ab alio conducti, opera ista exerceant, quam diu communi nomine operariorum vulgo designantur.

§ 3 - *De suspensione indulgentiarum et facultatum*

I. De suspensione indulgentiarum

1. Idem R. BESSON, p. 584 eiusdem ephemeridis observat indulgentias Congregationibus Marianis per Bullam auream BENEDICTI XIV ita esse in perpetuum concessas, ut a suspensione indulgentiarum per iubiliaeum sint immunes.

2. Pontifex LEO X omnibus qui recitando breviario vel horis B. M. Virginis tenentur, si recitarent (genuflexi) orationem *Sacrosanctae*, etc. « defectus et culpas in eo persolvendo, ex humana fragilitate contractas indulsit » (Sic textus Breviarii Romani, in fine Ordinarii). Decreto autem 29 aug. 1912, PIUS PP. X pari omnino ratione sacerdotibus recitantibus, post Missae celebrationem, orationem « *Obsecro Te* » concessit « remissionem defectuum et culparum in eo litando ex humana fragilitate contractarum », simul declarans in suo robore permanere indulgentiam trium annorum praedictae orationi iam annexam. (*Acta Ap. Sedis*, IV, p. 642 (1912); *Per.* VII, p. 3).

Quaeritur iam utrum necne per annum sanctum, usus utriusque indulgentiae perseveret.

Resp. A. Oratio *Sacrosanctae*, quae ad S. Bonaventuram auctorem ascribitur, per modum sacramentalis et per modum indulgentiae simul operatur. Per

modum *sacramentalis*, habet ex Ecclesiae institutione et impetratione (c. 1144), virtutem excitandi in iis qui ab Ecclesia ad recitandum divinum officium sunt deputati, eas paenitentiae et fervoris dispositiones quibus culpae veniales remittuntur; per modum *indulgentiae*, solvit ex thesauro Ecclesiae poenas temporales pro neglegentiis et defectibus in recitatione admissis et iam quoad culpam remissis. Verum indulgentia ista est peculiaris rationis: nec plenaria est nec certo numero dierum vel annorum aestimatur. Intime coniuncta cum ipsa divini officii recitatione cuius defectus abluit, aegre ad animas defunctorum transferretur. Immo, translatio ista mirum secum ferret consectarium. Cum enim, quo plures et maiores fuerint neglegentiae, eo magis crescat vis indulgentiae quae ad omnes recitationis culpas abstergendas destinatur, sacerdos neglegens, plus quam devotus et pius, animabus purgatorii prodesset, quatenus ampliorem indulgentiam pro ipsis lucraretur.

Quocirca PIAT, *Praelectiones iuris regularis*, I, Q. 371, allegans Prinzivalli, Maurel, Collomb, sic ad factam quaestionem respondet: « Quum (concessio de oratione *Sacrosanctae*) non sit simpliciter indulgentia, sequitur, illud privilegium noo suspendi durante anno sancto seu iubilaeo ordinario ».

B. De oratione *Obsecro Te*, post celebrationem Missae, et annexo privilegio, prorsus idem dicendum est, cum par omnino sit eiusdem ratio. Liquet secus dicendum esse de ordinaria 300 dierum indulgentia quae orationi isti concessa est.

3. Quid de indulgentiis quae, iuris vel indulti dispositione, *aliis vivis* directe prosunt, v. g. de indulgentia altaris privilegiati, pro vivis, utputa agonizantibus?

Resp. Cum nulla hactenus exceptione fruantur, indulgentiae istae suspensionis lege afficiuntur.

4. Quid de *facultate* quam habent *confessarii* ascripti sacerdotali foederi eucharistico, *communicandi* paenitentibus qui saltem quinquies in hebdomata ad s. synaxim accedere solent, *indulgentiam plenariam* singulis hebdomadis ?

Resp. Ista facultate per iubilaeum uti poterunt, monendo indulgentiam defunctis applicandam esse.

II. De Suspensione facultatum extra Urbem

1. Possuntne episcopi, per annum sanctum, uti facultatibus matrimonialibus quinquennalibus ?

Resp. Affirmative, quatenus sunt pro foro externo vel pro utroque foro concessae.

2. C. *Ex quo primum*, ubique ratae et firmae manent facultates pro foro externo « Antistibus religiosurm Ordinum quoquo modo in suos subditos tributae ». Quaeritur utrum necne id valeat de facultatibus tributis Seperioribus Congregationum religiosarum.

Resp. *Affirmative.* Manifesta enim est causae paritas. Et verba *quoquo modo* benignam interpretationem suadent. - Verba autem « religiosorum Ordinum » desumpta videntur e C. *Cum nos*, 17 maii, 1749, § 2 : « Salvis remanentibus facultatibus tam... Episcoporum.. quam Superiorum Ordinum regularium, quaecumque ipsis in regulares pariter sibi subiectos a Sede Apostolica... tributae fuerunt ». Iam vero tunc temporis attributio ista propria erat Ordinum regularium.

§ 4. — *De facultatibus extraordinariis*

1. Observes, attento Monito II. *S. Paenitentiariae*, extraordinarias iubilaei facultates « unice in confessione sacramentali » valide exerceri posse, « nisi aliud concessio ipsa ferat ».

2. Recepta in ipso S. Paenitentiariae officio sententia, quam Vicariatus Urbis sequitur, extendit ad Confessarios saltem ad annum ab E. Card. Vicario approbatos, facultatem C.e *Si umquam* factam absolvendi (servatis non nullis clausulis), confessarium qui semel aut bis tantum absolutionem proprii complicis in peccato turpi, contra vetitum c. 884 et 2367 attentaverit. Interpretatio ista nititur his praefatae Constitutionis (versus finem) verbis : « servatisque potissimum in hac absolutione impertienda normis atque exceptionibus quae supra sub nn. I-IV, pro paenitentiariis minoribus praescripta sunt ». Iam vero, sic ratiocinantur, n. I vetitum absolvendi a censuris specialissime reservatis temperatur facultate data absolvendi Confessarium qui semel tantum vel bis (in vita) proprium complicem absolvere attentaverit.

De Indulgentia Portiunculae

1. Decreto 10 iul. 1924, supra, p. 163 ss. relato, quo *S. Paenitentiaria* normas concedendae et lucrandae indulgentiae Portiunculae praestituit, perpetuae antea factae concessiones confirmantur « ea tamen condicione ut normae, hoc decreto futuris concessionibus moderandis statutae, omnino serventur, si eam unice excipias quae ad distantiam pertinet ».

Iam vero, cuidam piae Societati perpetua concessio facta est vi cuius in ecclesiis praefatae Societatis indulgentia ista a singulis fidelibus aut 2 augusti aut dominica proxime sequenti (nisi ipsa 2 augusti dies sit dominica) comparari potest. **Quaeritur** utrum optio

ista adhuc subsistat, cum n. VII decreti S. Paenitentiariae parochis et rectoribus aedium sacrarum facultas fiat substituendi pro altera mensis augusti die diem dominicam proxime subsequentem.

Resp. Optionem istam subsistere arbitramur. Nulla enim norma decreti declaratur indulgentiam tali tantum die obtineri posse, sed mere n. VII facultas quaedam parochis et rectoribus conceditur. Quod autem pro variis adiunctis parochus decernere potest, id sane ipsa S. Sedes modo magis generali potest statuere, nec ideo a normis suis receditur.

2. Quisnam in cappellis Sororum vel Monialium habendus est *pro Rectore* cui facultas ipso decreto conceditur transferendi indulgentiam ad proxime insequentem dominicam ?

Rector nequit esse mulier. Erit igitur vel Saperior regularis cui exemptae moniales subiectae sunt, vel parochus aut cappellanus quem Ordinarius in locum parochi substituerit.

3. *De computatione distantiae*, *Per.* p. 167, diximus ipsum iter pedestre faciendum considerari posse. Solutio ista confirmatur, ut ab amico edocti sumus, resp. S. C. *Indulg.* 14 sept. 1904, quae reperitur in *Coll. S. C. de P. F.* II, n. 2205. Immo interrogata ad 2. utrum ex via communi quam omnes sequi soleant an ex quibusdam semitis quae utramque ecclesiam coniungunt distantia ista computanda sit, S. C. respondit : « Affirmative quoad primam partem ; Negative quoad secundam.

De coronis e vitro confectis

Rogante Procuratore generali *Piae Societatis Missionum*, utrum necne adhuc valeret interpretatio quae coronas precatorias existimabat confici posse e materia e qua alia obiecta pia confici non possunt, si indulgentis ditandae sint, respondit *S. Paenitentiaria* 20 nov. 1923 *Negative* sed standum esse dispositione generali de indulgentiis apostolicis 17 febr. 1922.

Inde infert *Monitore*, 1924, p. 332, rosaria iam non posse indulgentiis ditari, si sint e *vitro* confecta. Ac recte quidem, si sint e vitro vacuo, cum haec sit fragilis materia. Verum, cum anno 1820, ipsa S. C. *Indulg.* volens, ut videtur, coronas e materia fragili excludere, permiserit ut indulgentiis ditarentur coronae quarum globuli essent e vitro solido atque compacto confectae, huiusmodi coronae, secundum stylum S. Congregationis seu nunc Paenitentiariae non censentur e materia fragili confectae. Quare nihil earum benedictioni obstare videtur. Sic etiam BERINGER STEINEN. *Die Ablässe*, I, 849, admittunt coronas e vitro solido confectas indulgentiis ditari posse.

Varia quaesita de religiosis

I. **De c. 507 seu de Superiorum electione.** — 1. Probatae cuiuspiam Ordinis regularis Constitutiones electionem Praepositi Generalis hac ratione ordinant, ut semper duplex scrutinium peragendum sit. Priore enim suffragatione secreta, mere designantur ii qui in altero scrutinio vocem passivam habebunt.

Sunt autem omnes qui in priore suffragatione unum saltem suffragium consecuti sint: hi omnes et soli iam idonei sunt qui absolute pluribus suffragiis ad munus Praepositi Generalis eligantur.

Quaeritur iam utrum necne haec eligendi ratio post Codicem servari possit, cum c. 6, 1°, quaslibet leges praescriptis huius Codicis oppositas abroget; et c. 507, § 1, praecipiat ut in electionibus capitularibus ius commune c. 160-182 statutum servetur. Canon autem 17 electum declarat eum qui ad normam c. 101, § 1, n. 1, requisitum suffragiorum numerum rettulerit. Porro c. 101, § 1, n. 1 vult ut « id vim iuris habeat quod placuerit parti absolute maiori eorum qui suffragium ferunt. »

Resp. Etiam post Codicem haec eligendi ratio servari omnino potest. Canon enim 101, § 1. n. 1, diversas particularium legum dispositiones admittit per prima eius verba: « Nisi aliud expresse iure communi aut particulari statutum fuerit ».

Nec adeo in iure peregrina est supra descripta electionis forma. Ius enim non ignorat *nominationem consultoriam* qua, praecedente quodam scrutinio, complures viri boni et idonei proponuntur e quibus a Capitulo *postea* fieri possit vera electio. Cf. WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum* II, 247.

2. In pluribus constitutionibus Congregationum religiosarum, de electione Superioris generalis id adhuc statuitur secundum *Normas* iisdem anno 1901 praestitutas n. 235: Ut supremus Moderator vel Moderatrix « ad tertium sexennium continuo eligi possit, necesse est ut ex tribus partibus omnium suffragiorum saltem duas obtineat, et confirmatio S. Sedis accedat ».

Iam vero **quaeritur** utrum suffragia sic ad tertium sexennium data, sint suffragia eligentium an postulantium. Si enim sunt eligentium, et numero sint ab-

solute maiora, duas tamen partes non attigerint, nihil actum est et ultra procedendum est via in Constitutionibus indicata. Si autem sunt postulantium, tunc, nisi, in tertio isto scrutinio duas tertias partes attigerint et alia sint suffragia eligentium, electus pronuntiandus est qui maiorum partem suffragiorum *eligentium* obtinuerit, quamvis haec pars infra absolutam maioritatem haereat. Cf. c. 180 et resp. *Com. Inter. Codici*, 1 iul. 1922 [*A. A. S.* XIV, 406 (1922) *Per.* XI, 127, vel *Ep.* I, 259].

Resp. Peculiares condiciones quibus ad tertium sexennium Superior eligi potest electionem minime in postulationem mutant. Requisita S. Sedis confirmatio dispensationem ab impedimento nullatenus significat. Tunc tantum igitur cum Constitutiones, ut nunc plures recentiores Sororum, definiunt eandem Superiorissam tertium eligi *non posse*, introducitur impedimentum dispensabile quod postulationi locum dare potest ut declaravit *S. C. de Religiosis* in litteris circularibus 9 mart. 1920 (*A. A. S.* XII, 365; *Per.* X, 195).

II. **De c. 529 et c. 1338, § 3, seu de contionibus in religionibus laicalibus.** Quomodo c. 529 cum c. 1338, § 3 componitur? C. 529 qui, iam per verba initii « Si agatur de religione laicali non exempta »; et propter locum ubi in Codice positus est, statim post alium canonem de religionibus laicalibus, totus religiones laicales respicere demonstratur, designationem sacerdotis a sacris et approbationem contionatoris Ordinario loci tribuit in religionibus non exemptis; « in exemptis vero, Superior regularis eosdem designat, eiusque neglegentiam supplet Ordinarius ». Canon vero 1338, § 3 declarat: « Facultatem vero contionandi apud sodales religionis laicalis, quamvis exemptae, dat loci Ordinarius; sed contionator nequit facultate uti sine Superioris religiosi assensu ».

Duplex inde antinomia inter utrumque canonem deprehendi videtur.

1. Dum c. 529 designationem contionatoris non Ordinario loci sed Superiori religionis clericalis exemptae tribuit, c. 1338, § 3, facultatem contionandi apud sodales religionis laicalis quamvis exemptae Ordinario loci reservat. - 2. Dum c. 529 quidpiam speciale statuit pro Congr. laicali exempta, c. 1338 distinctionem istam omittere et assensum Superioris cuiusvis religionis laicalis exigere videtur.

Resp. Prior antinomia dissipatur si designationem ab approbatione distinxerimus. Probare contionatorem pro sodalibus religionis laicalis semper ad Ordinarium loci spectat, etiam si agatur de religione laicali exepta. Hoc canone 529 insinuatur, dum de Ordinario loci dicit: « *probat* », Superiori autem religionis exemptae mere tribuit ut *designet*, utique inter probatos Ordinario loci. Hoc autem explicite declaratur per verba c. 1338, § 3: « Facultatem contionandi apud sodales religionis laicalis quamvis exemptae, dat loci Ordinarius ».

Altera vero antinomia solvitur, si, in c. 1338, Superior sine cuius assensu contionator approbatus facultate sua uti non potest, intellegatur esse solus Superior religionis exemptae. Ac re vera de aliis valet quod etiam magis universali ratione de omnibus Congregationibus religiosis laicalibus statuerat LEO XIII, *C. Conditae*, § 2, n. VIII: « In iis quae ad spiritualia pertinent, subduntur sodalitates episcopis dioeceseum in quibus versantur ».

III. **De c. 539, seu de Postulatu.** Titius qui ut Frater conversus religionem ingredi cupiebat, ad postulatum admissus, post mensem ad servitium militare vocatus est, per quod tamen vigilantiae Superiorum minime subtrahebatur. Post elapsum annum religiosam domum repetere potuit. Iam **quaeritur** quandonam Titius noviciatum licite inchoare possit.

Resp. C. 539 vult ut postulatus ad sex saltem

integros menses peragatur, permittens Constitutionibus ut tempus magis definite praescribant. Observes vocem *saltem* in Costitutionibus omittendam esse. In Codice enim posita est mere ut accuratam temporis praefinitionem Constitutionibus permitteret. Si autem ipsae Constitutiones mere tempus *minimum* assignarent, quo spectare posset facultas prorogandi postulatum non tamen ultra sex menses, quae § 2 canonis 539 Superiori maiori tribuitur?

Si igitur Postulatus per sex menses peragendus Constitutionibus imperetur, cum Titius iam per mensem ut postulans probatus fuerit et Superiores eius constantiam et qualitates satis observare potuerint, sufficiet ut quinque menses mensi iam antea peracto coniungantur. Etenim, contra ac, c. 555, de noviciatu dicitur, menses postulatus integri quidem, non tamen continui sunt necessarii pro licita cooptatione in novicios.

IV. **De c. 445, § 4, seu de admissione in noviciatum.** C. 545, § 4 statuit clericis admittendis sufficere, praeter testimonium ordinationis, litteras testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum sint commorati, addendo tamen: « salvo praescripto § 3 ». Paragrapho autem tertia praecipitur ut requirantur litterae testimoniales (iuratae) datae, pro diversis casibus, a rectore seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, aut a maiore religionis Superiore ».

De clausula ista « salvo, etc. » **quaeritur** utrum verba ita absolute sumenda sint ut de omni tempore quo in seminario versati sint litterae istae postulandae sint, an tantum de tempore quod, post ordinationem, in seminario transegerint.

Resp. De solo tempore quod ordinationem subsecutum est litterae istae quaerendae sunt. Etenim: *a*) firmum manet praescriptum § 3, quatenus litteras

necessarias dicimus si candidatus post ordinationem in seminario permanserit vel religioni nomen dederit; *b*) quaecumque, ante ordinationem obstare poterant vitae religiosae praesumenda sunt bene examinata esse, cum ante ordinationes immediate strictior quam ante ingressum in noviciatum probatio facienda sit. Ergo fini legis satisfactum est, sine litteris denuo petitis de tempore quod ordinationem antecessit. - *c*) Quis umquam, in admittendo parocho in religionem, cogitaverit de petenda ratione qua in seminario versatus sit? Id tamen explorandum foret, si verba « salvo, etc. » absolute sumenda putares.

De Piarum Unionum aggregatione

I. Ante Codicem, ad ipsam aggregationis validitatem, litterae aggregationis quae ab Unione primaria vel Archiconfraternitate conceduntur, principalia capita C. CLEMENTIS VIII, *Quaecumque,* 7 dec. 1604, una cum variationibus quas PIUS IX, 8 ianuarii 1861, introduxerat sive in ipsas litteras sive saltem in adiectum folium referre debebant.

Quaeritur utrum necne id etiam post Codicem observandum sit, an saltem mentio quaedam istorum documentorum facienda sit?

Resp. Negative ad utrumque. Quaenam enim ad valorem aggregationis requirantur, Codex can. 723 taxative enumerat. Namque, in capite *De archiconfraternitatibus et primariis Unionibus*, materiam istam de integro ordinat. Ergo, vi canonis 22, lex anterior per huiusmodi legem obrogatur. Quod ceterum confirmat opus probatum BERINGER-STEINEN, *Die Ablässe*, II, n. 118, 127 et 518.

II. Cum sedes primariae Unionis saepe longe ab aggreganda pia Unione distet, **quaeritur** utrum necne possit eius Moderator supremus formulas in antecessum a se subscriptas et sigillo munitas in va-

riis locis deponere ubi sit mandatarius qui, facta legitima aggregationis petitione, formulam, apposito nomine Rectoris et data, oratori tradat ?

Resp. Quaesito isti est a S. C. *Indulgentiarum et Reliquiarum,* die 3 dec. 1892, *Negative* responsum.

Quo tamen modo practico difficultas ista superari possit, statim subiungimus. Id enim praecise improbatum est, ut Moderator de singulis aggregatis sententiam suam pronuntiare non posset. Itaque, si singulae petitiones per litteras vel etiam per telegramma ad ipsum deferantur ; ipse autem assensum etiam suum brevissima formula (vel uno verbo) significet, nihil iam prohibet formulas in antecessum tradere, quae non complebuntur neque aggregandae piae Unioni dabuntur nisi postquam mandatarius de assensu Moderatoris certior factus sit.

De Causis matrimonialibus in missionibus exteris

I. Canon 1990 permittit ut in locum processus stricte iudicialis, forma potius administrativa assumatur declarandi matrimonii nullitatem in casibus quibusdam, taxative numeratis, in quibus de nullitate ista nullum dubium moveri potest. Exigit autem ut " ex certo et authentico documento constet de existentia impedimenti „. Iam vero, in territoriis missionum authenticum documentum, v. g. consanguinitatis, facile deficere potest, etsi aliunde omnino certum sit impedimentum. **Quaeritur** utrum authenticum documentum sit omnino necessarium an alia certa probatio sufficere queat.

Resp. Suprema *Congregatio S. Officii,* e cuius decretis praesens canon desumptus est, tum anno 1889, 5 iunii, tum 27 martii 1901, mere requisivit ut " certo et evidenter constet de impedimentis » ; immo anno 1889, in decreto ad quod etiam anno 1901 remittit expresse dicit « dummodo ex certo et authen-

tico documento, vel, in huius defectu, *ex certis argumentis* evidenter constet de exsistentia huiusmodi impedimentorum „. Quocirca certa probatio etiam alia via ac per authenticum documentum comparata sufficere potest.

II. Debetne *defensor vinculi* qui in isto summario processu intervenit *iuramentum praestare?* Causa enim non est proprie iudicialis: et canone 1621 insiurandum iis solis imponi videtur qui tribunal constituunt vel eidem opem ferunt „.

Resp. Procul dubio iuramentum istud praestandum est, nisi iam, si officium generale habeat, initio officii iuramentum praestiterit. Manifesta enim est, ex paritate causae, mens legislatoris, et fere natura rei postulatur ut de munere bene implendo fides per iuramentum detur.

De usu privilegii fidei in re dubia.

Can. 1127 sic sonat « In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris ». Inde **quaeritur** utrum, si ambo coniuges sint dubie baptizati, seu baptismum susceperint dubie validum, et unus ad Ecclesiam catholicam convertatur, possit necne, post iteratum condicionate baptismum, uti privilegio Paulino, praesumens, in favorem fidei, alterius baptismum esse nullum?

Resp. Id admittit CERATO, *De Matrimonio*, n. 127; et Ill. D. SCHAEPMAN, *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, oct. 1924, p. 308. Ipsi, in *Period.* X, p. (27) in hanc sententiam inclinavimus per verba: « Idem responsum dandum videtur ». Re tamen melius perpensa, usum istum negare debemus. Etenim, condicio quae usum privilegii Paulini fundat debet certo adesse. Non adest certo, si non constat de infidelitate utriusque, cum matrimonium factum est. Praeterea intervenit hic dubium impedimentum iuris divini. Si enim baptismus utriusque valeat, et matrimonium

consummarint, matrimonium istud est absolute indispensabile. Demum, ut novimus, etiamnum Suprema C. *S. Officii* perstat in sententia qua, anno 1872, Instr. 18 dec. ad dubium secundum, negavit partem conversam ab haeresi ad fidem catholicam, posse parti ab infidelitate conversae aequiperari, propter gravissimum dubium de baptismo in haeresi recepto. Atque in causa recenti, omnino noluit transitum ad alias nuptias permittere personae cuius baptismus valde probabiliter nullus erat, ita ut valde probabiliter eius matrimonium praecedens nullum dicendum esset. (Cf. *Coll. de P. F.* n. 1392, p. 59 ad dubium secundum.)

De clericorum ingressu in religionem.

Nullo studio redarguendi scriptorem amicum, quem magni facimus, sed obsistendi confusioni quam damnosam existimabmus, supra, p. (145) ss. occasionem arripuimus responsionis datae in ephemeride *Monitore Ecclesiastico*, p. 311, cuidam quaesito, ut tum rationibus intrinsecis tum auctoritatibus demonstraremus neque in c. 542 neque in c. 981 reperiri causam cur sacerdotes titulo servitii dioecesis, in perpetuum sine dispensatione a religione repellerentur.

Modo, eadem ephemeris, p. 367, nos monet nullum usum a se factum esse c. 542, 1°, sed in solo c. 981 rationem perpetuae prohibitionis detexisse.

Quatenus doctus ephemeridis moderator sic ipse renuit in lege communi agnoscere institutum S. Sedis, de quo in c. 542, 1° fine, eius declarationem grato animo suscipimus, cum iam in posterum, eius etiam auctoritate positionem nostram firmare inde possimus.

Quidpiam plus tamen sperare nobis liceat a doctrina et sinceritate praestantis viri, qui in responsione ad « *quesito minore* », currente calamo accidentaliter decipi potuit. Optamus scilicet ut ipsum se-

paratum usum c. 981 deserat, et sic de completo eius nobiscum consensu gaudere possimus.

Re quidem vera, legislator impedimenta ingressus in religionem complete in c. 542 enumerare voluit. Ergo in c. 981, separatim a c. 542 considerato, nullum novum impedimentum reperiri potest. (1)

Neque obicias, in eodem c. 981, sine relatione ad c. 542, reperiri prohibitionem e iuramento missionis natam. Etenim, ut p. (147) et (148) ipsa formula iuramenti ostendimus, difficultas ingrediendi religionem non ex ipso missionis iuramento sed ex addita speciali promissione de ingressu in religionem exoritur. Ac praeterea, ut magis accurate quam p. (148) loquamur, ingressus iste non est prohibitus sed tantum obnoxius consensui S. Sedis. Qui consensus non est *dispensatio* ab impedimento, sed *mera licentia*, ita ut iuramento missionis nullum proprie dictum impedimentum generetur.

Dum contra, in *Monitore Ecclesiastico* iuramentum servitii dioecesis censebatur perpetuum ius dare dioecesis in ordinatum, unde nasceretur impedimentam a quo Ordinarius *dispensare* deberet. Astrictus enim dicitur isti servitio, « finchè l'Ordinario non lo *dispensi* da tale giuramento ».

Istud addas. Laudata ephemeris, si de re interrogaretur, libenter, ni fallimur, concederet litteras excardinationis non secus atque aliis sacerdotibus etiam sacerdoti ad titulum servitii dioecesis ordinato ab episcopo dari posse. Sed nonne sic tacite seu implicite admitit iuridicam condicionem istius saderdotis non esse propter iuramentum ita mutatam ut modis consuetis titulum mutare non posset? Si enim condicio iuridica ita mutata esset, si re vera dioecesis ius quaesitum obtinuisset quo, vi iuris communis, impe-

(1) Haec ratio fuit cur, in nostra lucubratione, appellando c. 542, 1, sententiam docti viri ad implicitam eius mentem declarare putabamus.

dimentum perpetuum (sine dispensatione) ab ingressu in religionem natum esset, quomodo dispensatio Episcopi sufficere posset? In tali hypotesi, relaxatio iuramenti (quo impedimentum iuris communis auferretur) ius quaesitum dioecesis laederet, quod e c. 1313 et 1320 potestatem Ordinarii excederet.

Restat igitur ut cum auctoritatibus a nobis supra p. (148)-(151) allegatis, nullum in titulo servitii dioecesis impedimentum, sive dirimens sive prohibens, agnoscamus, sed annexo iuramento hanc propriam vim demus obligandi ad fideliter serviendum ipsi dioecesi, quam diu titulus in alium legitime mutatus non fuerit. Mutatio autem in titulum qui professione religiosa obtinetur iam diu permissa est canone *Duae sunt*, Causae XIX, Quaestionis II, Decreti Gratiani.

De festo Iesu Christi universarum gentium Regis seu socialis regni Sacratissimi Cordis, impetrando

Rem Summo Pontifici acceptam et gratam in his Periodicis de re canonica et morali neglegere non possumus; atque etiam iuvabit annum sanctum auspicari, quidquam saltem minimum conando in honorem Christi quem *Regem dominantem gentibus* in ipsa Corporis Christi sollemnitate adorare iubemur (1).

Societas de sociali Iesu Christi regno, quae Paredii (Paray-le-Monial) constituta est, consilium concepit enitendi piis votis ut regnum istud proprio festo affirmaretur, celebraretur et praedicaretur.

Quantum consilium huiusmodi ipsis Pontificis optatis obsecundet iam conici potest e primis Eius encyclicis litteris *Ubi arcano*, quae agunt de pace Christi *in regno Christi* quaerenda, et in quibus legitur: « Nullam esse Christi pacem nisi in regno Christi;

(1) Invitatorium ad Matutinum : « Christum Regem adoremus dominantem gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem ».

nec vero posse nos contendere efficacius ad pacem constabiliendam, quam Christi regnum instaurando » ; et laudatur « studium illud ferventissimum precibus primum assiduis exemplisque vitae, deinde verbis bonis scriptionibusque frugiferis ac ceteris etiam caritatis operibus adiumentisque enitendi, ut cum in singulis animis hominum, tum in domestica ipsa et in civili communitate divino Cordi Christi Regis debitus in primis amor, cultus et imperium restituatur ».

Quare minime mirabimur consilium istud in audientia Eminentissimo Card. Laurenti, 16 ian. 1924, concessa, a Supremo Pastore apertissimis verbis probatum et laudatum fuisse. Verum, ut festum mature promulgetur, Summus Pontifex cupit ut theologicis et liturgicis studiis quaestio investigetur; ut non paucorum sed universitatis fidelium plausu excipiatur et vere fiat sollemnitas popularis, exoptat ut periodicis libellis, immo et diariis, eius vis et significatio divulgetur, et libelli supplices quam plurimi a quam plurimis subscripti institutionem istam efflagitent.

Quocirca expedire videtur ut, sicut iam in Gallia tum Paredii apud D. de Noiallat (Hiéron de Paray-le-Monial, Saône et Loire) tum in loco Chinon apud R. D. Marcault, Prieuré de Saint-Louans, Chinon (Indre et Loire), factum est, in aliis etiam regionibus instituantur officia quae supplices libellos colligant et formulas subscribendas parent.

Iam 479 Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi suum rei calculum adiecerunt.

Faxit Deus ut in mundo tot turbis, discidiis et timoribus exagitato Christus Rex Pacificus et Pacificans magis agnoscatur, laudetur et regnet !

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. PII Pp. XI

Epistola Apostolica (1) 19 mart. 1924

DE RECTA VITAE RELIGIOSAE RATIONE
(A. A. S. 1 apr. 1924, 16, p. 133).

PIUS PP. XI

DILECTI FILII

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Religionis consiliorum origo et valor pro vita aeterna.

Unigenitus Dei Filius, cum ad redimendum humanum genus in mundum venisset, datis spiritualis vitae praeceptis, quibus homines ad finem sibi praestitutum regerentur universi, docuit praeterea, qui ipsius vestigiis propius insistere vellent, eos evangelica consilia amplecti ac sequi oportere. Eiusmodi autem consilia quicumque, obligata Deo fide, servaturum se spondeat, is non modo omnibus exsolvitur impedimentis quae mortales a sanctitate remorari solent, ut bona fortunae, ut coniugii curae sollicitudinesque, ut immoderata rerum omnium libertas; sed etiam tam recto expeditoque itinere ad perfectionem vitae progreditur, ut iamiam in salutis portu anchoram veluti iecisse videatur Itaque a remotioribus christianae religionis aetatibus numquam desiderati sunt qui ad Dei nutum omnia sibi magno excelsoque animo negantes, illud idem per-

Religiosorum multitudo et varietas,

(1) Ad summos moderatores Ordinum Regularium aliarumque Sodalitatum religiosorum virorum.

fectionis iter ingrederentur constanterque pergerent; atque ex rerum gestarum monumentis liquido apparet, viros mulieresque perpetuo quodam agmine se Deo consecrasse ac devovisse apud varios Ordines, quos decursu saeculorum Ecclesia adprobavit ratosque habuit. Etenim, quamquam una atque individua est religiosae vitae natura, multiplices tamen ea formas induit, cum ex Sodalitatibus aliae aliter Deo serviant, aliae alia caritatis beneficentiaeque opera, ad maiorem Dei gloriam proximorumque utilitatem, instituto suo persequantur. Ex hac igitur tanta religiosorum Ordinum varietate, quasi ex dissimilibus arboribus in agro dominico consitis, magna oritur et in salutem gentium provenit fructuum varietas; atque nihil sane pulchrius atque adspectu delectabilius quam harum complexus atque universitas Sodalitatum, quae, etsi ad unum atque idem denique spectant, habent tamen suum quaeque industriae et laboris campum, a ceteris aliqua ex parte distinctum. Fieri enim divinae Providentiae consilio solet, ut, quotiescumque novis est necessitatibus occurrendum, nova item religiosa instituta excitentur ac floreant. Quamobrem Apostolica Sedes, sub cuius signo religiosorum Ordines proxime militant, beneficiorum memor, quae procedente tempore ipsi in Ecclesiam Dei inque rem publicam contulissent, peculiari cura et benevolentia eos perpetuo prosecuta est: nam, praeterquam quod illud sibi sumpsit ut eorum leges ac statuta recognosceret atque adprobaret eorumque causam ab adversariis per temporum rerumque asperitates studiosissime defensitavit, ad pristinam praeterea instituti dignitatem sanctitatemque, si quando oportuit, eosdem revocare non destitit. Quam quidem Ecclesiae curam ac sollicitudinem de provehenda in religiosis viris legum observatione morumque sanctimonia, ipsa ostendunt Concilii Tridentini iussa atque hortamenta: « Omnes regulares, tam viri quam mulieres, « ad regulae, quam professi sunt, praescriptum, vitam insti- « tuant et componant: atque imprimis, quae ad suae pro- « fessionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et casti- « tatis, ac, si quae alia sunt alicuius Regulae et Ordinis pecu- « liaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam, « necnon ad communem vitam, victum et vestitum conservanda « pertinentia, fideliter observent ». (1) In Codice autem iuris canonici, ante quam hoc in genere ad legum lationem gradus fiat, definito et breviter descripto statu religioso, ut sit « sta- « bilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter com-

simul decora, utilis et novis necessitatibus opportuna.

Hinc favor et sollicitudo S. Sedis de eorum tuitione et incolumitate.

Documenta Tridentina et Codicis.

(1) Sess. XXV, cap. 1. *de Regul.*

« munia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per « vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt... atque « ad evangelicam perfectionem tendunt », eundem religiosum statum « ab omnibus in honore » habendum esse praeclare edicitur. (1)

Pontifex proprium propensum animum in religiosos, iam in aliis Litteris manifestatum, non nullis monitis demonstrare proponit.

Quorum profecto religiosorum virorum et virtuti et adiutrici operae quantum Nosmet confideremus, iam tum aperte commonstravimus, cum per Encyclicas Litteras *Ubi arcano* primum sacrorum Antistites catholici orbis universos peramanter allocuti sumus: quae enim tot malorum, quibus societas hominum laboraret, remedia proponebamus, haec ipsa ut ad effectum deducerentur diximus Nos non una de causa in clero regulari spem bonam reponere et collocare. Praeterea, cum ante de studiis clericorum ad Cardinalem Praefectum Sacri Consilii Seminariis Studiorumque Universitatibus curandis Epistolam Apostolicam *Officiorum omnium* dedissemus, eadem prorsus cura et cogitatione, quae Nostro insidebat animo, rectae consulendi clericorum institutioni qui ad sacra ministeria advocarentur, utique alumnos religiosorum Ordinum complexi sumus, cum ad hos ipsos, quotquot sacerdotio destinantur, ea quae in rem animadvertimus decrevimusque magnam partem pertinerent. Verumtamen caritatis vigilantiaeque studium, quod Nos habet de utilitatibus vestris, dilecti filii, sollicitos, magnopere suadet propriis vos appellare Litteris ut nonnulla moneamus, quae si quidem alumni vestri in moribus usuque cotidiano retulerint, vita ipsorum atque actio talis profecto exsistet, qualem singulare prorsus atque excelsum divinae vocationis munus ab iis omnino requirit ac postulat.

Conservent spiritum Conditoris sui

Ac primum omnium religiosos viros cohortamur, ut suum quisque Conditorem Patremque legiferum in exemplum intueantur, si velint gratiarum, quae e sua ipsorum vocatione proficiscuntur, certo esse copioseque participes Praestantissimos enim eiusmodi viros, cum sua excitarunt Instituta, quid aliud fecisse constat, nisi divino afflatui paruisse? Quam igitur ii notam in sua cuiusque Sodalitate impressam voluerunt, eam quicumque ex suis in se exhibent, ab incepto sane non aberrant. Quare eo sodales, optimorum instar filiorum, curas cogitationesque convertant, ut Patris legiferi honorem tueantur, eius cum et praescriptis et monitis obsequendo, tum imbibendo spiritum; neque enim e statu suo decident usque dum Condi-

(1) *C. I. C.*, can. 487, 488.

toris sui vestigiis institerint: « Filii eorum propter illos usque in aeternum manent ». (1) Utinam Instituti sui legibus tam modeste pareant et comparatam ab eo inito vitae rationem sic retineant, ut religioso statu se praestent cotidie digniores: sua enim fidelitate facere non poterunt, quin sacris ministeriis, quibus sibi obtingat per omnem aetatem perfungi, caelestium gratiarum adiumenta concilient.

In apostolatu missionum et iuventutis institutione unice regnum Dei quaerant, solum de infidelium salute solliciti, cultum religiosum in instituenda iuventute minime neglegentes.

In agendo tamen, *regnum Dei et iustitiam eius* unice quaerant, oportet: quod in iis potissimum attendi volumus, in quibus, dilecti filii, vestrorum plerumque versatur opera, id est in sacris missionibus atque in iuventutis institutione. Ad apostolatum igitur quod attinet, caveant, quemadmodum proximus decessor Noster consultissime monuit, (2) ne Evangelii in externos populos propagationem ad gratiam suae patriae seu nationis potentiamque augendam transferant, sed tantummodo ad infidelium salutem spectent, huius vitae utilitatibus commodisque inter ipsos eatenus provehendis quoad ad aeternam conducere videantur. Quorum autem religiosorum partes sunt ut iuvenes rite erudiant atque educent, iisdem erit summopere vitandum, ne, nimio abrepti studio discipulos optimarum artium doctrina excolendi, religionis cultu mentes animosque imbuere sic neglegant, ut alumni a copiosa quidem litterarum cognitione instructi dimittantur, at eius prorsus scientiae sacrae expertes, qua qui careant et pulcherrimo omnium pretiosissimoque ornamento carent et in summa inanitate versantur: « Vani « sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei ». (3) Ad rem opportune Seraphicus Doctor: « Hic est fructus om- « nium scientiarum, ut in omnibus aedificetur fides, honorifi- « cetur Deus, componantur mores, hauriantur consolationes, « quae sunt in unione sponsi et sponsae, quae quidem fit per « caritatem ». (4)

Ac proin in sacris disciplinis studiose ipsi versentur, pro suo principali proposito mentalis cum Deo coniunctionis.

Quam quidem rerum sacrarum cognitionem cum necesse sit Ecclesiae administros et maximi facere et penitus percipere, id ipsum est hortationis huius Nostrae caput, ut sodales religiosos, sacerdotio vel iam potitos vel posthac initiandos, ad disciplinas sacras assidue excolendas excitemus, quas nisi calleant, vocationis suae munia perfecte absoluteque implere non poterunt. Cum enim iis, qui se Deo consecraverint, aut unum

(1) *Eccli.*, XLIV, 13.
(2) Epist. Apost. *Maximum illud*, 30 nov. 1919.
(3) *Sap.* XIII, 1.
(4) *De reductione artium ad Theol.*, n. 26.

aut certe praecipuum propositum sit orare Deum et divina contemplari aut meditari, qui igitur gravissimo eiusmodi fungantur officio nisi fidei doctrinam plane cognitam habeant atque perspectam? Quod velimus eos in primis attendere, qui umbratilem in caelestium rerum contemplatione vitam degunt; errant enim, si putant, theologicis studiis aut ante neglectis aut postea depositis, posse se, copiosâ illâ destitutos, quae e doctrinis sacris hauritur, Dei mysteriorumque fidei cognitione, facile in excelsis versari atque ad interiorem cum Deo coniunctionem efferri atque evehi. Ad ceteros autem quod attinet, sive ii docent, sive contionantur, sive animis expiandis pro tribunali poenitentiae sedent, sive in sacras expeditiones dimittuntur, sive cum populo in cotidiana vitae consuetudine sermocinantur, nonne multiplex ista ministerii sacri exercitatio eo plus habitura est roboris atque efficacitatis, quo maiore eruditionis summa niteant ac polleant? Divinarum ceteroqui scientiam rerum, eandemque interiorem et copiosam, sacerdoti tenendam esse, Paraclitus Spiritus per Prophetam edixit: « Labia sacerdotis « custodient scientiam » (1) Quo enim pacto solida is doctrina careat, e cuius ore, cum sit Domini scientiarum (2) legatus, novi Foederis administer et doctor, sal terrae (3) et lux mundi (4) verba salutis christianus populus praestolatur? Sibi igitur metuant quotquot ad ministeria sacra rudes imperitique accedunt; neque enim impune eorum feret inscitiam Dominus, illud terribilem in modum minitatus: « Quia tu scientiam repulisti, re- « pellam te, ne sacerdotio fungaris mihi ». (5) Iam vero, si unquam alias oportuit sacerdotem non esse indoctum, at multo plus per haec tempora oportet, cum ad vitae usum cognitio rerum ac scientia tanti refert tamque arcte pertinet, ut homines, vel qui minus sapiunt, — quemadmodum contingere paene in universum solet, — quicquid agunt, se scientiae nomine agere dictitent. Quare summa contentione adnitendum, ut catholica fides humanarum omne genus doctrinarum adminiculo praesidioque iuvetur: quarum admotis luminibus et pulchritudo revelatae veritatis ante oculos omnium versetur et captiosa opinionum commenta, quae ementiti nominis scientia adversus fidei dogmata congerere consuevit, opportune diluantur. Etenim, ut Tertullianus praeclare scripsit, fides nostra « unum gestit

Scientia sacra quam necessaria sit contemplativis religiosis, iisque qui sacris ministeriis deputantur.

Hodierna gloriatio de scientia haec magis necessaria efficit.

Studia sacra postulantur propagatione fidei catholicae,

(1) MAL., II, 7.
(2) I *Reg.* II, 3.
(3) MATTH., V, 13.
(4) Ibid., 14.
(5) Os., IV, 6.

« interdum, ne ignorata damnetur » (1) ; quamobrem ne illud Hieronymi oblitteretur : « Sancta rusticitas solum sibi prodest, « et quantum ex vitae merito Ecclesiam Christi aedificat, tan- « tum nocet si resistentibus non resistat. ... In tantum sacer- « dotis officium est, interrogatum respondere de lege ». (2) Itaque sacerdotis tam saecularis, quam regularis, est, catholicam doctrinam cum pervulgare latius tum uberius inlustrare ac tueri ; quae non solum habet unde, quaecumque ex adverso opponuntur, convincat ac refellat, sed etiam, modo dilucide explanetur, non potest animos praeiudicatae opinionis expertes ad se non allicere. Quod ipsum cum Doctores illos mediae, quam vocant, aetatis neutiquam fugisset, iidem, Thoma Aquinate et Bovaventura ducibus, toti in eo fuere, ut divinarum rerum cognitionem perciperent amplissimam cum aliisque communicarent. Huc praeterea accedit, quod vel ipsa animi ingenii viriumque contentio, quam in eiusmodi studiis, dilecti filii, sodales adhibeant vestri, effectura profecto est ut ii et spiritus religiosos uberius hauriant et nobilissimi, quem amplexi sunt, status dignitatem decusque sustineant. Quisquis enim in sacras disciplinas incumbit, rem utique adgreditur, quae magno labore et molimento et incommodo constat, pariterque desidiae illi inertiaeque repugnat, quae mater est et magistra multorum malorum (3) ; atque idem studiosus hac haud mediocri cogitationum intentione, praeterquam quod assuescit nihil quicquam praepropere deliberare inconsulteve agere, longe facilius coërcet cupiditates ac cohibet, quibus qui imperare neglegat, iam in deteriora flectitur inque vitiorum caenum prolabitur. In quo haec habet Hieronymus: « Ama scientiam Scripturarum et carnis vitia non amabis ... », (4) « Eruditio Scripturarum germinat « virgines ». (5) Sed religiosus vir ad ea studia exercenda impelli quoque debet conscientiâ officii, quo ex sua ipsius vocatione obstringitur, perfectae adipiscendae virtutis. Quam quidem ad perfectionem cum nemini liceat efficaciter contendere tutoque pervenire sine vitae interioris usu, num haec quibusvis aliis tam abunde nutrimentis, quam divinarum rerum studio, educatur atque alitur ? Scilicet usitata et cotidiana mirabilium illorum naturae gratiaeque donorum contemplatio, quorum tam

ipso fovendo spiritu religioso, protegenda virtute,

profectu vitae interioris.

(1) *Apol. I.*
(2) *Epist. LIII* (al *CIII*) *ad Paulin.*
(3) *Eccli.*, XXXIII, 29.
(4) *Epist. CXXV* (al *IV*) *ad Rust.*
(5) *Comm. in Zacch.*, l. II, c. X.

largam Omnipotens Deus copiam in rerum universitatem atque in singulos homines effudit, cogitationes motusque animorum consecrat et ad caelestia erigit ; immo etiam homines spiritu fidei complet efficitque Deo coniunctissimos. Quorum quis Christo Iesu similitudine propior, quam qui doctrinam de fide et moribus divinitus ad nos allatam in sucum et sanguinem converterit ? Sapientissimo igitur consilio religiosorum Ordinum Conditores, sanctorum Ecclesiae Patrum et Doctorum secuti vestigia, sacrarum disciplinarum studia filiis suis maiorem in modum commendarunt ; cognitum, ceteroqui, experiundo est, dilecti filii, eos e vestris, qui amantius fidei rationes coluere, altiorem plerumque sanctitatis gradum attigisse ; quotquot, contra, sacrum eiusmodi officium deseruerunt, eos saepius languere coepisse atque haud raro in deteriorem statum, ad votorum usque violationem, dilapsos esse. Itaque sodales omnes Richardi a S. Victore verba meminerint : « Utinam unusquisque « nostrum huiusmodi studiis eousque insistat, donec sol occum- « bat, et vanitatis amor paulatim deficiat, et carnalis pruden- « tiae ratio, subducto fervore concupiscentiae, tepescat. » (1) Itemque ii suam faciant, hortamur, Augustini precationem : « Sint castae deliciae meae Scripturae tuae : nec fallar in eis « nec fallam ex eis ». (2)

Auctoritate Conditorum et SS. Patrum et Doctorum.

Cum igitur ex constanti attentoque doctrinae sacrae studio tam praeclara religiosis viris emolumenta obveniant, iam manifesto apparet, quantopere vobis, dilecti filii, vigilandum sit, ne alumnis desit vestris facultas eiusdem doctrinae cum pervestigandae tum in omne tempus aetatis colendae. Ad rem autem, mirum quantum proderit adulescentium, qui ad coenobii vitam adspirent, recte inde ab initio mentem animumque instituere atque effingere. Atque principio, cum in domestico convictu, horum pro iniquitate temporum, christianae puerorum educationi minus consulatur, et adulescentes, ad late diffusas expositi corruptelarum illecebras, solida destituantur religiosa institutione, quae ad divina praecepta, immo vel ad honesti et recti rationem una potest conformare animos, sequitur, nihil facere vos posse hoc in genere utilius, quam si parva Seminaria vel conlegia constitueritis -- quod fieri passim, iucunde conspicimus -- adulescentibus excipiendis, in quibus aliqua divinae vocationis indicia deprehendantur. In quo tamen id ipsum vobis cavendum, quod s. m. decessor Noster Pius X

Inde commendat parva seminaria vel collegia, dummodo alumni prudenter seligantur.

(1) *De diff. cacrif. Abr. et Mariae.* 1.
(2) *Conf.*, l XI. c. II, n. 3.

moderatores Dominicanae familiae monuit, idest ne festinanter neve gregatim adulescentes adsciscatis, de quibus in incerto sit afflatune divino sanctissimam istam vitae rationem praeoptent. (1) Mature igitur prudenterque delectis adulescentulis religiosae vitae candidatis, impense curabitis ut, una cum pietatis doctrina, ad aetatem accommodata, inferiores disciplinae tradantur, quae tradi in gymnasiis solent; (2) ita scilicet, ut non ante ad novitiatum accedant, quam humanitatis, ut aiunt, curriculum confecerint, nisi sat gravis interdum causa aliter decernendum suadeat.

Regulariter ne ingrediantur noviciatum, nisi humanitatis curriculo confecto.

In qua quidem puerili institutione nullas a vobis praetermitti navitatis diligentiaeque partes, est non modo caritatis sed etiam iustitiae rationibus consentaneum. Quodsi ob Instituti exiguitatem, ob aliasve causas, aliqua Provincia non habeat, unde, ad canonum praescripta, rectae eiusmodi institutioni prospiciat, iisdem adulescentes ad aliam Provinciam vel studiorum sedem mittantur, ubicumque rite, ad praescriptum can. 587, doceri queant. At vero in inferioribus scholis sancte illud ex can. 1364, 1º servetur: « Praecipuum locum obtineat religionis « disciplina, quae, modo singulorum ingenio et aetati accommo- « dato, diligentissime explicetur ». Atque in hac disciplina libri ne adhibeantur, nisi quos Ordinarii probarint. Quae, ceteroqui, religionis studia, ut obiter dicamus, ipsi philosophiae scholasticae auditores exercere ne desinant; aureo autem illo percommode utantur *Catechismo Romano*, in quo nescias utrum magis mirere, copiamne sanae doctrinae, an latini sermonis elegantiam. Quodsi clerici vestri, inde ab aetatis flore, doctrinam sacram ex fonte isto haurire assueverint, super quam quod ad theologiae studia paratiores exsistent, ex usu absolutissimi operis capient profecto unde sapienter et populum erudiant et commenta refellant quae in doctrinam revelatam effuti solent. Vobis autem, dilecti filii, quae de linguae latinae studio, per Epistolam Apostolicam *Officiorum omnium*, monuimus catholicos Antistites diligenter attenderent, eadem ut in litterariis ludis servetis, suademus ac praecipimus: nam ad vestros quoque ea Codicis lex pertinet quae de sacrorum alumnis edicit: « Lin- « guas praesertim latinam et patriam... accurate ediscant ». (3) Quanti autem momenti sit, iuvenes religiosos latini esse bene gnaros sermonis, id non modo declarat, quod eo ipso Ecclesia

Sedula cura institutionis puerilis est ipsis iustitiae rationibus consentanea. Si necesse sit ad aliam studiorum sedem mittantur.

Commendatio eruditionis religiosae, catechismi romani, usus linguae latinae

(1) Epist. *Cum primum* ad Mag. Gen. O. P., 4 aug. 1913.
(2) *C. I. C.*, can. 589.
(3) *C. I. C.* can. 1364. 2.

utitur veluti ministro et vinculo unitatis, sed etiam quia latine Biblia legimus, latine et psallimus, et litamus et sacris ritibus paene omnibus perfungimur. Huc praeterea accedit, quod Romanus Pontifex latine universum alloquitur docetque catholicum orbem, neque alium sane adhibet Romana Curia sermonem cum negotia expedit ac decreta conficit quae fidelium communitatis intersunt. Qui autem linguam latinam non calleant, iis quidem ad copiosa Patrum Doctorumque Ecclesiae volumina difficilior est aditus, quorum plerique non alia usi sunt scribendi ratione ut christianam sapientiam proponerent ac tuerentur. Quare cordi vobis esto, ut clerici vestri, qui in ministeriis Ecclesiae futuri aliquando sunt, eiusdem linguae scientiam atque usum quam accuratissime percipiant.

Noviciorum institutio qualis sit oporteat.

Emenso inferiore litterarum curriculo, alumni et candidati omnes, quibus se Deo consecrandi mens constet, quique bona animi indole, ingenio haud tardo, pietatis spiritu morumque integritate se moderatoribus suis probaverint, in novitiatum cooptentur, in quo, quasi in quadam palaestra, religiosae vitae principia et virtutes data opera perdiscant. Quantum autem intersit, tironum animos eo temporis spatio diligenter excoli, non tam e magistrorum pietatis testimoniis quam ex ipsa experientia coniicitur, cum religiosi status perfectionem nulli assequantur retineantque, nisi iam tum omnium fundamenta virtutum iecerint. Quamobrem, remotis quarumvis disciplinarum studiis atque oblectamentis, huc tantummodo novitii animos intendant, ut, sapienti magistri sui ductu, interioris vitae exercitationibus virtutumque adeptioni vacent, earum praesertim quae cum religionis votis, idest paupertatis, obedientiae et castitatis, cohaerent et coniunguntur. In quo erunt ad perlegendum considerandumque utilissima cum sancti Bernardi et Seraphici Doctoris Bonaventurae, tum Alphonsi Rodriguez, tum etiam eorum qui apud Sodalitatem uniuscuiusque vestram magisterio pietatis floruerunt, scripta, quorum virtus atque efficacia tantum abest ut vetustate defecerit atque elanguerit, ut etiam aucta hodie videatur. Neque tirones unquam obliviscantur, quales in novitiatu fuerint, tales se in reliquum vitae tempus futuros, et supplendi posterius renovato animo tirocinii, si semel modico aut nullo fructu illud egerint, spem esse plerumque inanissimam.

Plene subind in domo regula ris observantia studiis philosc phicis et theo logicis incumbant.

Hoc deinde vobis, dilecti filii, curae erit, ut alumni, qui novitatium expleverint, in iis domibus collocentur, ubi sanctissimarum observatio legum floreat et cetera sint ita disposita, utilius ut illi accuratiusque possint statum ordinatumque philosophiae et theologiae cursum peragere. Statum ordinatumque

diximus : scilicet non modo ne ad superiorem scholae gradum ullus evehatur quin in inferiore satis abunde profecerit, verum etiam ne qua studiorum pars praetereundo neglegatur, neve quid de temporis spatio dematur in eiusmodi disciplinis ad Codicis praescripta insumendo. Incaute igitur — ut nihil dicamus amplius — ii moderatores faciant, qui, forte ut necessitati pareant brevissimi temporis, velint suos compendiaria quasi via ad sacros Ordines pervehi, quo eorundem citius utantur operâ. Nonne est usu cognitum, qui propere et praepostere didicerint, eos tali institutionis suae vitio mederi in posterum vix aut ne vix quidem posse, et, quantulamcumque forte utilitatem ex eiusmodi praeceptione Ordinum aliquando capi licuerit, eandem, cum religiosos istos minus ad sacra ministeria aptos exsistere necesse sit, evanescere demum omnem ac dissipari ? Videte porro ne iuvenes religiosi, qui in philosophiae et theologiae studia incumbunt, animos a certamine virtutum remittant ; quin immo pergere ii debent peritissimis uti pietatis magistris, ut tandem aliquando, quemadmodum religiosos viros decet, solidam doctrinam praeferant cum sanctimonia vitae coniunctam.

vere idoneis magistris provideantur, qui conari debent ut ex discipulis sanctos et operosos apostolos faciant.

At vero huc singulari quadam ratione curas advocamus vestras, ut magistri altioribus disciplinis apud vos tradendis plane idonei deligantur, tales nempe ut suo vitae instituto exempli instar sint eâque eruditissimi doctrinâ qua discipulorum mentes excolere iubeantur. Itaque ne magister, ne lector esto, nisi qui philosophiae, theologiae copulatarumque disciplinarum cursus laudabiliter confecerit atque satis habeat ad docendum artis et facultatis. Neque illud vobis excidat quod in Codice iuris canonici (1) legitur : « Curandum ut saltem sacrae Scripturae, theo- « logiae dogmaticae, theologiae moralis et historiae ecclesia- « sticae totidem habeantur distincti magistri ». Quibus quidem in eo magnopere elaborandum, ut ex discipulis sanctos operososque Christi apostolos faciant iisque instructos scientiae prudentiaeque ornamentis, quorum vi cum simplices imperitosque homines erudiant, tum falsi nominis scientia inflatos coarguant, tum denique omnes ex errorum contagione praemuniant, quae, quo solet occultius serpere atque irrepere, eo maiora animis detrimenta parit atque affert. Quodsi aus icato contigerit, ut alumni vestri in sapientiae christianae regionibus viisque alacri incedant animo maximeque excellant, labores, quos in rem tam salutarem, dilecti filii, insumpseritis, uberrimorum laetitiâ fructuum, ultra quam credibile est, compensabitis.

---

(1) Can. 1366, 3.

Iterum scholastica ratio secundum princ pia et doctrina Aquinatis commendatur.

Verum enimvero id sanctum vobis inviolatumque esto quod in Epistola Apostolica de Seminariis et de studiis clericorum, iuri canonico congruenter, ediximus : scilicet ut in tradendis philosophiae et theologiae praeceptis magistri fideliter Scholasticam rationem, secundum Aquinatis principia et doctrinas, sequantur. Scholasticam enim disciplinam angelicamque Thomae sapientiam, quam decessores Nostri nullo non tempore amplissimis honestarunt laudibus, num quis ignorat, ut ad revelatas veritates inlustrandas, sic ad errores cuiusvis aetatis mirifice refutandos, natam aptam esse ? Etenim Angelicus Doctor — ita immortalis memoriae decessor Noster Leo XIII — « divina humanaque scientia praedives, Soli comparatus ... illud a se « impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus « debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum « exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit ». (1) Et recte idem Pontifex : « Qui vere philosophari volunt — velle autem potissimum debent religiosi viri — primordia ac fundamenta doctrinae in Thoma Aquinate ponant ». (2) Quantopere autem intersit alumnos vestros ab scholastica ratione nullo pacto abscedere, vel ex eo apparet, quod, cum philosophiam inter et revelationem arctissima cognatio intercedat, utrasque Scholastici ipsi tam mira concordia composuerunt et coagmentarunt, ut altera alteri lucem afferret maximumque adiumentum. Neque enim, cum ambae a Deo, summa aeternaque veritate, proficiscantur et rationis illa, haec fidei documenta reddat exhibeatque, inter se pugnare queunt, ut nonnulli delirando contendunt ; immo etiam tam amice conspirant, ut altera alteram compleat. Unde sequitur, ex inscio imperitoque philosopho fieri nunquam doctum theologum posse, et qui divinarum rerum sit prorsus ieiunus, eidem perfecte philosophari nullo pacto licere. In quo recte S. Thomas : « Ex principiis fidei ita probatur aliquid « apud fideles, sicut etiam ex principiis naturaliter notis pro« batur aliquid apud omnes ; unde etiam theologia scientia est ». Ut aliis verbis dicamus, quemadmodum e ratione, quae est divini participatio luminis, philosophia prima naturalis cognitionis principia ducit, eademque enuntiat atque explicat, ita theologia e supernaturalis luce revelationis, quae intellectum splendore suo illuminat et complet, fidei notiones mutuatur, evolvit, explanat, ut sint ambae duo uno ex sole radii, duo uno ex fonte rivuli, bina in fundamento uno aedificia. Magnum quid-

Cognatio inte philosophiam e revelationem, quam arcta sit

(1) Encycl. *Aeterni Patris.*
(2) Encycl, *Nostra erga*, die 25 Nov. 1898.

dam profecto humana scientia est, modo fidei rationibus obsequenter inhaereat ; quibus posthabitis, iam in multos eam ipsam errores incidere dementiasque necesse omnino est. Quodsi, dilecti filii, alumni vestri, quam humanarum cognitionum in se summam congesserint, eam doctrinae sacrae famulari ac servire iubeant ; si, praeterea, veritatis revelatae amore et cupiditate acriter ardeant, erunt atque habebuntur homines Dei, et verbo exemploque plurimum christiano populo proderunt. Etenim « Omnis Scriptura divinitus inspirata » — vel, ut Angelicus Doctor interpretatur, sacra doctrina, lumine divinae revelationis admoto, perceptua — « utilis est ad docendum, ad ar-« guendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia : ut per-« fectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus ». (1)

Alendus simul st spiritus fidei e scientia in-let.

Sed iuvenibus Sodalibus, ne in hoc tam amplo humanarum divinarumque rerum campo frustra versentur, spiritus fidei est in primis alendus, qui si quidem debilitetur, iam ii nequeant, veluti obtusa oculorum acie, in supernaturalia vera introspicere; neque minus oportet, recta mentis intentione ad discendum accedant. « Sunt qui scire volunt — animadvertit S Bernardus — « eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est ; . . et sunt « item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa « pro pecunia, pro honoribus, et turpis quaestus est ; sed sunt « quoque qui scire volunt ut aedificent, et caritas est ; et item « qui scire volunt ut aedificentur, et prudentia est ». (2) In eiusmodi igitur studiis iuvenes vestri hoc sibi unice proponant ut Deo placeant et sibi proximisque quam plurimum spiritualis afferant emolumenti. Itaque, cum in scientia a virtute seiuncta plus utique insit offensionis et periculi quam verae utilitatis, — solent enim qui ex doctrina sibi comparata magnos gerunt spiritus, ad interitum animae, dono fidei amisso, caecos se praecipitesque agere — acriter contendant, ut humilitatis virtus, omnibus sane necessaria at studiosis praecipuo quodam modo colenda, sibi in medullis haereat, memores ut sunt, Deum unice esse ex se sapientissimum, et, quicquid homo didicerit, id omne, quantumcumque est, nullam prorsus habere comparationem cum reliquis iis omnibus quae ignorat. Ad rem venuste Augustinus : « Scientia — ait Apostolus — inflat. Quid « ergo ? Scientiam fugere debetis, et electuri estis nihil scire « potius quam inflari ? Ut quid vobis loquimur, si melior est

(1) II *Tim.*, III, 16-17.
(2) *In Cant. sermo XXXVI.*

« ignorantia quam scientia?... Amate scientiam, sed antepo-
« nite caritatem. Scientia si sola sit, inflat. Quia vero caritas
« aedificat, non permittit scientiam inflari. Ibi ergo inflat scien-
« tia, ubi caritas non aedificat : ubi autem aedificat, solidata
« est ». (1) Vestri igitur, si quidem spiritu caritatis pietatisque, unde ceterae virtutes oriuntur et constant, studia sua foveant, quasi quodam medicato odore qui metum corruptionis avertat, futurum sine ulla dubitatione est, ut ob sua doctrinae ornamenta acceptiores Deo fiant Ecclesiaeque utiliores.

Fratrum laicorum vocatio magni facienda

Iam non restat nisi ut cogitationem ad eos convertamus Sodales qui, quamquam ad sacerdotalem dignitatem minime vocantur, cum tamen eadem, ac sacerdotes, vota religionis emiserint, non minus Deo obligantur et officio perfectionis assequendae devinciuntur. Atque posse eos, etsi litterarum atque altiorum disciplinarum inscios, ad celsissimum sanctitatis gradum adscendere, vel inde patet, quod ex iis satis multi, ob vitam pie integerrimeque actam, aut in magna perpetuaque catholicorum hominum admiratione sunt, aut, in sanctorum caelitum numerum auctoritate Romanorum Pontificum adscripti, deprecatores apud Deum et patroni habentur atque invocantur. Quos, ceteroqui, Sodales *conversos* seu laicos, cum pro condicione sua a periculis vacent, quae ex ipsa muneris granditate sacerdotibus sodalibus interdum impendent, atque haud dissimilibus privilegiis praesidiisque animorum fruantur, quae religio filiis suis materna providentia promiscue impertire consuevit, aequum est, caeleste vocationis donum et permagni facere et acceptum Deo grata voluntate referre, consilium saepe renovando, quod professionis suae die inierunt, congruenter vocationi usque ad extremum spiritum vivendi. — Hoc tamen loco Nos abstinere, dilecti filii, non possumus, quin vos hortemur attendere quam gravi teneamini officio vigilandi, ut fratres conversi, cum probationis tempore, tum in reliqua vita, spiritualibus subsidiis ne careant, quibus ad proficiendum perseverandumque indigent, iisdemque eo fortasse maioribus, quo humiliore ii condicione sunt humilioribusque funguntur ministeriis. Qua de causa moderatores, in decernendo ubi quisque eorum commoretur quidve operis faciat, debent quidem singulorum ingenia respicere et scopulorum, in quos forte offensuri sint, rationem habere ; quodsi iidem aliquando ab religione officii discesserint, nihil pro paterno studio inexpertum relinquant, ut fortiter eos suaviterque ad vitae revocent sanctimoniam. At

Et sedulo excolenda a moderatoribus.

(1) *Sermo CCCLIV ad Cont.*, c. VI.

Eorum eruditio in doctrina sacra curanda est.

praecipue moderatores ne desinant sodales laicos vel erudire ipsimet vel idoneis sacerdotibus in aeternis maximisque fidei veritatibus erudiendos committere; quas qui noverit et frequenter perpendat, sive in saeculo vivat, sive intra religionis septa commoretur, multa inde virtutum incitamenta hauriet. Haec autem, quae proxime diximus, ad Congregationum laicalium Sodales omnes pertinere quoque volumus; immo etiam hos doctrina religionis pleniore, atque eruditione haud vulgari, idcirco imbui opus est, quia plerumque pueris atque adulescentibus instituendis, suo ipsorum officio, vacant.

Hoc potiore ratione valet de Congregationibus laicorum.

Paterna adhortatio et benedictio

Habetis, dilecti filii, quae visum Nobis est, paternae instinctu caritatis, de exsequenda apud vos studiorum ratione, deque aliis rebus haud minoris momenti, vobiscum communicare. Ista quidem, ut pro observantia in Nos vestra ac pro studio, quo flagratis, Sodalitatis cuiusque vestrae provehendae, libenter vos obedienterque accepturos esse pro certo habemus, ita velimus in animis tironum scholasticorumque vestrorum insculpta haereant, atque in futurum, Patribus Legiferis bene precantibus, multa Institutis vestris beneficia et commoda tribuant Caelestium interea gratiarum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecti filii, atque universis religiosis viris unicuique vestrum commissis, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Dies (19 mart. 924)

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIX mensis martii, in festo sancti Ioseph, Mariae Virginis Deiparae Sponsi, anno MDCCCCXXIV, Pontifcatus Nostri tertio.

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

I. Synoptica Litterarum Apostolicarum propositio.

1. *Intentio Pontificis* scribentis. Filiali devotione et oboedientia religiosi moderatores et sodales litteras istas procul dubio excipient, per quas S. Pontifex, ut Summus Moderator omnium religionum, commemorata ipsorum status sanctitate et varia utilitate, eosdem paternis monitis vult instructos et in vocatione ad maius Dei servitium confirmatos.

2. *Divisio Litterarum.* Litterae itaque istae introductione et adhortatione componuntur.

Summa introductionis. a) Undenam sint religiosi, quam multi sint, quam opportune varii. *b*) Apostolicae Sedis propensa in religiosos voluntas, ad eos defendendos et simul in via sanctitatis provehendos. *c*) Propria Pontificis sollicitudo, iam aliis litteris demonstrata et nunc monitis denuo probanda.

4. *Summa monitorum. a*) Mens Pontificis de perfecta religiosorum institutione per scientias sacras et vitae sanctioris cultum est potissimum sollicita. Ac studia sacra rite peracta eum maxime occupant; quod ipsa eius verba testantur: « idipsum est hortationis nostrae caput ut sodales religiosos, sacerdotio vel iam potitos vel posthac initiandos, ad disciplinas sacras assidue excolendas excitemus ».

b) Itaque, ut quo ordine posita sint, eodem monita Pontificis referamus:

a) Religiosi, ipso exemplo sui fundatoris propriisque legibus animum conforment;

b) In actione sua, Deum, eiusque regnum, pro solo fine ante oculos habeant, non autem propriae gentis incrementa, in missionibus exteris; non eam in erudienda iuventute curam de profanis litteris, quae religionis cultum animumque neglegat;

c) Sint ipsi in disciplinis sacris excolendis assidui. Sine ista diligentia, nec propria vocationis munia, sive contemplationi sive ministerii sacris addicantur, perfecte adimplebunt; nec idoneum refellendis ex adverso obiectis vel alliciendis animis zelum hodie explicabunt; dum haec sacra studia otii pericula removebunt, et optima vitae interiori alimenta afferent. Quod fundatorum, SS. Patrum et Doctorum auctoritate confirmatur;

d) Inde methodica religiosorum praeparatio et institutio inculcatur.

In primis praemittenda pia simul et solida eruditio in humanioribus litteris; qua occasione commen-

dantur parva seminaria vel collegia, quorum tamen mature et severe cooptentur alumni. Praecipuum ibi locum religionis disciplina obtinere debet; atque lingua latina accurate ab alumnis addiscenda est.

Ante absoluta inferiora studia, ne candidati in novicios regulariter assumantur. In noviciatu autem omne tempus disciplinae perfectionis tribuatur. (Ad perlegendum et considerandum, utilissima declarantur opera S. Bernardi, S. Bonaventurae, Alphonsi Rodriguez.)

Expleto noviciatu, studia superiora per totum tempus praescriptum obeunda ita sunt, ut simul nihil a virtutum certamine remittatur. Hinc ipsi magistri sint vere idonei, numero sufficientes, et ipsi solliciti de discipulorum sanctitate et apostolatu. Quare etiam scholastica studiorum ratio ad mentem Aquinatis servanda est, et summopere alendus est spiritus fidei.

e) Iam ad fratres conversos seu laicos animum dirigens, Pontifex vult ut eorum vocatio magni fiat, ut spiritualibus subsidiis provideantur, ut eorum virtuti sedulo caveatur, atque in religione constanter erudiantur.

Quod ultimum de Congregationibus laicorum potiore ratione valere ait S. Pontifex, cum ipsi plerumque instituendis pueris vel adolescentibus vacent.

II. Quid moderatoribus religionum inde potissimum observandum sit.

Moderatores religionum de pluribus partibus gravissimi sui officii fiunt memores.

Haec autem potissimum ipsis inculcantur:

1. *Cura de religiosa eruditione et institutione adolescentium in collegiis* in quibus profanae litterae docentur. Nihil sane magis hac commendatione opportunum. Propter examina non raro praeparanda coram publicis officialibus, propter ipsam aemulationem collegiorum, cura de docendis rebus profanis ita intenditur,

ut nec tempus interdum sufficiens supersit disciplinae religionis tradendae. Et etiam in iuventute quae a clero et religiosis eruditur saepe deprehenditur tristis, lugenda ignoratio rerum fidei suae. Nisi tamen vere christiani in catholicis institutis conformentur, nonne ipsa ratio cur sint magnam partem evanescit?

2. *Selectio*, post seriam explorationem, *eorum qui in alumnatus*, ut aiunt, vel parva religiosorum seminaria cooptantur.

Hoc etiam est maximi momenti. Interdum querelae audiuntur de nimia facilitate qua adolescentes in huiusmodi instituta admittuntur in quibus gratis aluntur et supra condicionem suam instituuntur. Inde susceptio minus spontanea, minus supernaturali ratione imperata, sive status religiosi, sive ordinum sacrorum; inde discessus frequentiores, quod non est sine detrimento personali et sociali, si ab altiore ambitione ad minorem sortem redigantur.

3. *Dilata post absoluta studia humaniora, cooptatio in noviciatum*. S. Pontifex suadet hic Superioribus ut frequenti tentationi resistant admittendi, ante congruam praeparationem, novicios; quae tentatio gravior fit, ubi rariores fiunt candidati vitae religiosae.

4. *Prudens noviciorum delectus* et *assidua morum formatio* per noviciatum. Ne inopia personarum laborantes, velint ab asceticis studiis ad externa Instituti opera novicios avocare.

5. *Cura de regulari et completo cursu philosophiae et theologiae*, et de fervore spiritus per ipsa studia. Sane frequentes instantiae quae a Superioribus fiunt ut possint ante completum curriculum alumnos ordinare et in ministeriis occupare; et, quod fortasse peius est, callidae rationes quibus ipsae leges eluduntur, gravitatem istius moniti satis superque demonstrant.

6. Delectus magistrorum qui sint numero sufficientes, competente scientia instructi, et norint etiam

sanctitatem et zelum provehere. Non raro mirati sumus varia examina requiri ante ordines sacros, ante varia munia, dum cuilibet canonice integrum est, dummodo annuat Superior, scientias sacras docere.

7. *Sollicitudo de virtute, de religiosa eruditione et profectu Fratrum conversorum.* Quam utile sit istud monitum, exinde iam apparet, quod verum est periculum ne fratres isti auxiliarii pro famulis habeantur qui Superiores a conducendis extraneis dispensant.

III. **Omnes** autem **religiosi** inde haec magni pretii documenta hauriunt, maioris existimationis propriae vocationis; supernaturalis intentionis; et constantis applicationis ad sacra studia.

IV. **Quaesitis quibusdam satis fit.**

1. *Cur litterae istae inscribuntur Apostolicae?*

Resp. Usus iam habet ut isto nomine designentur litterae gravioris quidem momenti, sed quae non sunt bullae nec brevia, et quae, sive propter eos ad quos mittuntur, sive propter rationem qua inscribuntur, a stricte dictis litteris encyclicis discrepant. Litterae enim encyclicae ad episcopos saltem alicuius regionis mittuntur; et inscribuntur. « Ad Venerabiles Fratres archiepiscopos, episcopos aliosque locorum Ordinarios, etc. » Inde praesentes litterae, missae ad Moderatores religionum, encyclicae vocari non poterant. Regnante BENEDICTO XV, *apostolicae* vocatae sunt litterae 15 iul. 1919 quae simpliciter inscribebantur ad Germaniae episcopos; dum encyclica vocata est epistola 14 maii 1919, ad eosdem episcopos missa sed quae inscribebatur « Ad V. E. Felicem S. R. E. Card. Hartmann, Archiepiscopum Coloniensem ceterosque archiepiscopos et episcopos Germaniae ». Immo, Epistola *Apostolica* dicta est epistola ad omnes episcopos orbis directa die 30 nov. 1919, sed quae inscribebatur: « Ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos orbis catholici ». Cf. *Periodica*, X, p. 4. 13. 20. Regula tamen exceptiones

habet. Sic *encyclica* vocatur epistola 18 ian. 1924, quam ad Emos Patres... ceterosque RR. PP. DD... Galliae misit de consociationibus dioecesanis.

2. *Ad quosnam dirigitur?*

Resp. Ad solas religiones virorum. Verum mens Pontificis sane est ut etiam instituta quae vita communi religiones imitantur haec monita audiant.

Quamvis Pontifex sola instituta virorum in his litteris respiciat, fas tamen nobis erit observare, ea quae dicuntur de modo quo noviciatus peragendus est, quo conversi fratres curandi sunt, parem habere utilitatem in religionibus mulierum.

3. *Quo pacto in istis litteris dicitur*: « In qua quidem puerili institutione nullas a vobis praetermitti navitatis diligentiaeque partes, est non modo caritatis sed etiam iustitiae rationibus consentaneum? »

Resp. Cum agitur de pueris vel incapacibus, cura eorum neglegi nequit sine offensa pietate, si agitur de parentibus; sine offensa iustitia, si agitur de extraneis. Praeterea, accedit hic non raro quaedam ratio contractus cum parentibus qui filios instituendos committunt post acceptam promissionem positivae curae. Quia tamen etiam intervenit gratuita beneficentia, et neglegentia non tanta saepe est ut damnum verum ipsis pueris inferatur, stricta iniuria saepe demonstrari non poterit. Quocirca S. Pontifex temperata formula utitur, dicendo sedulitatem esse etiam iustitiae rationibus consentaneam.

V. **Ipsis canonici iuris interpretibus** praesens epistola minime est inutilis. Etenim, cum S. Pontifex mere hortetur Superiores ne ante finita studia humaniora candidatos vitae religiosae in novicios cooptent, saltem regulariter, et nullam appellet legem anteriorem, dum pro, studiis superioribus, Codicis praescripta memorat, manifesto nos docet Decretum S. C. Religiosorum, 7 sept. 1909, *In articulo*, quod multa defi-

nite exigebat, esse Codice canonico suppressum. Et sic nobis confirmat minime audiendos esse istos paucos qui, praesertim in rebus religiosorum, velint quasi denuo excitare non pauca decreta de re quae Codice est ordinata, ita ut nobis beneficium Codicis completi eripere videantur.

2. — SS. D. N. PII Pp. XI

Epistola encyclica 18 ian. 1924

DE CONSOCIATIONIBUS DIOECESANIS

(A. A. S. 18 ian. 1924, 16, 5)

PIUS PP. XI

DILECTI FILII NOSTRI (1) ET VENERABILES FRATRES (2)

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Brevis repetitio factorum praeteritorum quae Pontifex deplorat.

Maximam gravissimamque de Dioecesanis Consociationibus causam dum vobis nuntiamus tandem ad eum modum diremptam, quemadmodum dicturi mox sumus, officii Nostri esse ducimus, omnes huius tanti negotii vicissitudines uno veluti complexu vobis revocando proponere, idque eo brevius, quod de re agitur unicuique vestrum magnam partem penitus perspecta planeque cognita. Maerenti equidem animo acerbissimos dies illos reminiscimur, cum consilium segregandi apud vos rationes Reipublicae ab Ecclesiae rationibus calamitose initum est perfectumque calamitosius. Recolimus enim, abruptas repentino atque iniuria publicas quae cum Apostolica Sede intercedebant rationes; latam die IX mensis Decembris MDCCCCV discidii legem, qua, ab una tantum parte legitimisque posthabitis, abrogata sunt illa quae iamdudum vigebant pacta conventa, et de iuribus bonisque ecclesiasticis deque cultu divino, ignorata cum

(1) Eminentissimi Cardinales sedem archiepiscopalem vel episcopalem in Gallia tenentes.

(2) Ceteri Archiepiscopi et Episcopi Galliae. Epistola quoque « ad universum clerum et populum Galliae » inscribitur.

Ecclesiae Hierarchia tum Apostolicae Sedis auctoritate, perperam licenterque decretum est; hanc ipsam legem a s. m. decessore Nostro Pio X per Encyclicas Litteras *Vehementer*, die XI mensis Februarii datas, et in Allocutione habita in Consistorio, die XXI eiusdem mensis an. MDCCCCVI, expresse sollemniterque condemnatam; Consociationes cultuales, quas vocant, ad eiusdem legis praescripta condendas, una simul reprobatas, et per alias Encyclicas Litteras *Gravissimo*, quae eo ipso anno, die X mensis Augusti, prodiere, iterum reiectas atque interdictas. Dimissis autem Consociationibus istis — ut verbis decessoris Nostri utamur —, opportunum nonnullis visum est experiri, an liceret, earum loco, aliquod aliud institui Consociationum genus, quod simul legitimum esset et canonicum, atque ita laboriosissima, quae imminerent, tempora defenderet et sacrosancta Ecclesiae iura, saltem quod ad substantiam attinet, sarta tecta servaret. Sed cum id assequendi spes nulla ostenderetur, hoc alterum Consociationum tentare genus idem Summus Pontifex, auditis utique Episcopis Galliae, fas esse manente separationis lege negavit, usquedum legitime certoque non constitisset, divinam Ecclesiae constitutionem atque immutabilia Romani Pontificis et Episcoporum iura, eorumque in bona necessaria Ecclesiae, praecipue templa, potestatem incolumia per Consociationes easdem et tuta semper fore.

Praeclarum cleri et populi exemplum datum.

Quid tunc evenerit, ipsi scitis; vidit universus catholicus orbis et admiratione prosecutus est. Quod enim Summus Pontifex Pius X in Litteris quas supra memoravimus, fidenter suadendo et quasi praesagiendo postulaverat, et vosmet voce exemploque hortabamini, id feliciter evenit: praeclarum scilicet et cotidie ferventius liberalitatis devotionisque certamen Clerum inter et populum initum est, cum populus nunquam recusaret largam effusamque stipem in splendorem divini cultus honestamque sacerdotum tuitionem conferre; Clerus autem, corde magno et animo volenti, durissimam legis de discidio latae condicionem subiret. Quae quidem lex, cum difficiliorem gravioremque sacri ministerii perfunctionem faceret, magnis praesidiis inde subductis et optimis adiutoribus in exsilium pulsis, tum ministerium ipsum — quo nihil cum bono publico coniunctius — omni reditu exspoliabat sacrorumque administros egestati rerum omnium addicebat. Huius ipsius pulcherrimi certaminis, quod non inepte heroicum dixeris quodque eo Nos tempore procul intento animo spectabamus, mirabilia quaedam in re oeconomia ab ipso Pontificatus Nostri initio cognovimus, eiusdemque nec fuisse adhuc nec esse defatigationis indicia

statim perspeximus. Itaque oeconomica Ecclesiae Gallicae condicio, compluribus etiam Episcopis testibus, non talis videbatur quae praesentaneum aliquod remedium postularet, ipsaque ratio patrimonialis, quamvis difficilis esset et incommoda magnoque in discrimine ob improbam legem versaretur, idoneis non omnino destituta erat praesidiis e iure communi. Verumtamen magnae Nobis sollicitudini curaeque erant, hinc, adminiculo legis subducto, iurium et rerum omnium nulla stabilitas, illinc vero asperitates perturbationesque communium temporum; ob eamque rem quicquid auxilii ac remedii adhiberi posset, experiundum videbatur. Qua Nos officii conscientia eo magis angebamur, quo latius invalescebat opinio, non parum intercessionem Nostram posse ad animos plenius pacificandos: quae quidem pacificatio, perinde ac vobis, est Nobis maxime, ut semper fuit, in votis, ex quo, nulla commendatione meritorum sed arcano Dei providentis consilio, ad hoc munus universalis hominum Patris evecti sumus. Etenim post teterrimum bellum postque illustria in patriam facinora ab utroque catholico clero, iniuriarum oblito et patriae caritatis unice memori, in oculis omnium patrata, desiderium cotidie acrius exarserat religiosae ipsius pacis, quam lex discidii turbaverat, ita instaurandae, ut aequior Ecclesiae catholicae in Galliae, sub legis praesidio, condicio fieret.

Precaria Ecclesiae Gallicae condicione, temporum difficultate et pacis instaurandae studio per motus Pontifex,

Hinc Consociationum Dioecesanarum, quae dicuntur, exorta causa est, quarum statuta, a viris earundem rerum peritis, non sine gubernatorum Galliae consensu, adumbrata, ad Apostolicam Sedem per Nostrum in Gallia Nuntium delata sunt, ac postea, vobis omnibus, itemque Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus e Sacro Consilio Extraordinariis Ecclesiae Negotiis expediendis, sententiam haud semel rogatis, Nobismet ipsis ad examinandum proposita. Iudicium quidem sane difficile atque arduum: neque enim fas Nobis erat neque animus ab ea, quam Pius X instituerat, ratione discedere. Vetabat quippe tanti decessoris Nostri memoria et recordatio; vetabat natura ratioque rerum, quibus, cum Apostolicae Sedis et ecclesiasticae Hierarchiae iuribus, ipsa Dei et animarum iura petebantur. Itaque, postquam multas indiximus atque Nosmet ipsi Deo adhibuimus preces, post diuturnam coram Deo considerationem, ratam habentes iniquae de discidio legis improbationem, simul autem reputantes haud mediocriter immutatas esse cum communis opinionis condiciones, tum quae Apostolicae Sedis cum republica Gallica rationes intercederent, sub exitum anni MDCCCCXXII ediximus, Consociationum Dioecesanarum

de causa consociationum dioecesanarum mature deliberavit, ac post fusas Deo preces, experimentum condicionate se permissurum exeunte anno 1922 declaravit.

haud gravate experimentum Nos his condicionibus permissuros, si ex una parte earum statuta sic emendata essent, ut sua vi ac natura cum Ecclesiae divina constitutione eiusque legibus saltem substantialiter, ut aiunt, congruerent; ex altera vero legitimae certaeque Nobis datae essent cautiones ad periculum, quoad fieri posset, removendum ne homines Ecclesiae infensi, aliquando reipublicae clavum tenentes, omnem vim legitimam proptereaque omnem iuris stabilitatem a Consociationibus Dioecesanis abiudicando, bona iisdem attributa essent publicaturi.

Cum satis constet dioecesanas consociationes, ut proponuntur, a reprobatis a Pio X differre,

Eiusmodi quidem statuta, cum de iis diu multumque utrinque disceptatum esset, in eam tandem formam redacta sunt, ut Dioecesanae Consociationes, quae inde exsisterent, longe aliae essent ab iis quas Pius X reprobaverat seu non permittendas decreverat, eo vel maxime quod et statuta a lege Pii X iudicio damnata neque necessario neque directo penderent et Consociationes in operis sui exsecutione aeque etiam canonicis legibus conformari deberent, integro iure adeundi Apostolicam Sedem, si forte quid difficultatis eveniret.

et cautiones quaedam oblatae sint,

Cautiones vero, etsi non eaedem ipsae, quas ab initio, gubernatoribus Galliae haud abnuentibus, proposueramus, verumtamen eius generis Nobis oblatae sunt iisque rationibus et declarationibus suffultae, ut eas pro communis pacis bono admittendas censuerimus, maxime cum et meliores consequi nullo pacto licere videretur et tales se illae praeberent quae ad mentem quoque Pii X legitimae certaeque, omnibus perpensis, existimari possent.

potissimum sententia Consilii Status,

Habemus enim secundam favorabilemque novis statutis non modo peritissimorum in re legali, eorundemque clarissimorum virorum, sententiam, verum etiam sententiam omnium Coetuum concordem, ex quibus constat *Consilium Status*, supremus scilicet ad Galliae leges atque unice idoneus seu competens, ut aiunt, magistratus; quae quidem sententia, quam etiam gubernatores reipublicae suam fecerunt, in id demum recidit, in eiusmodi Statutis nihil contra Gallicas leges contineri, quod idem est ac dicere, nihil Consociationibus Dioecesanis a Gallicis legibus esse metuendum.

consociationes saltem experiri permittit.

Quae cum ita sint, Nos, pro officio Nostro Apostolico, volentes ne quid a Nobis desideretur, quod, incolumi Dei Ecclesiaeque iure atque honore, praestare possimus, cum ad legale quoddam fundamentum Ecclesiae Gallicae restituendum, tum ad pleniorem, ut sperare licet, nationis vestrae Nobis carissimae pacificationem, edicimus ac declaramus, Consociationes Dioece-

sanas, quae adiectis statutis regantur, saltem ad experimentum permitti posse.

Cur cauta utatur loquendi ratione.

Quam ceteroqui ob causam tam moderata tamque cauta loquendi ratione utamur, non est, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, cur multis explicemus ac declaremus. Neque enim in praesenti agitur nisi de remedio, quod maiora arceat mala, adhibendo, cum ea semper Nobis divino concessu obtigisset, ut gravissimum hoc negotium ad unum aliquem adduceremus exitum, hunc et Nobis et vobis et clero fidelibusque Galliae universis habendum unice fore, hinc, quasi quandam praeceptionem plenae illius perfectaeque libertatis, quam sibi iure divino debitam necessariamque, ut ubivis, sic apud vos, aut intercipi aut imminui Ecclesia, pro officio et natura sua, pati non potest; illinc, veluti certam quandam in itinere mansionem, unde ad integram libertatem legitime placateque potiundam progrederemini.

Quae Pius X damnavit ipse damnat.

Neque vero ulli liceat declarationem illam Nostram in sensum a mente Nostra alienissimum detorquere, quasi Nos damnationes a s. m. decessore Nostro Pio X latas delere et laicis, quas vocant, legibus reconciliari voluerimus. Ea enim, quae Pius X damnavit, Nos pariter damnamus; quotiescumque autem in « laicitate », ut dicunt, sensus inest vel propositum Deo et a Religione alienum, « laicitatem » ipsam omnino improbamus atque improbandam esse aperte declaramus. Sed neque quis dicat ipsam per se permissionem Nostram interdictis Pii contradicere; in res enim longe alias et inter longe alia adiuncta haecce lata sunt.

Documenta pro clero et populo.

Iam nihil est reliquum, nisi ut nonnulla, quae plurimum habent momenti, et vos et clerum populumque vestrum, paterni effusione animi, doceamus. Sacerdotes enim et fideles, qui sunt curae vestrae concrediti monemus — quod idem ipsimet et plane scitis et fusius dicturi estis —, per novas Consociationes earumque Statuta iuridicam quidem Ecclesiae apud vos condicionem aliquanto tutiorem eoque ipso meliorem fieri, non adeo tamen, ut nobile illud ac generosum, quod ab initio laudavimus, certamen cessare debeat aut possit; neque enim bona per legem discidii adempta, iustae scilicet restitutionis nomine, recuperari licuit. Vos igitur, Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, itemque sacerdotes Dei, operis socios consortesque vestri, apostolicis verbis collaudando hortamur, pergatis amanter pascere, ut adhuc fecistis, qui in vobis est gregem Dei (1). Pascite verbo, pascite exemplo; pascite laboribus, pa-

(1) I PETR., v. 2.

scite doloribus, quemadmodum Dominum Noster Iesus Christus talibus nos hostiis redemit, ut uberes cum gaudio fructus colligatis. Fideles autem vestros apostolicis item verbis exoramus: mementote praepositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei ; (1) ne cessetis diligere decorem domus Dei (2) et iis corporea suppeditare qui vobis spiritualia seminaverunt; (3) sed neque cessetis eisdem obedire et subiacere, ut qui pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, cum gaudio hoc faciant, et non gementes. (4)

Quamvis nihil iubeat Pontifex hortatur ad experimentum tentandum.

Quod autem, Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, Consociationes Dioecesanas permitti tantummodo posse declaravimus, idcirco, ut candide fateamur, abstinendum censemus ne condi eas atque institui prorsus iubeamus; at cupimus fidenterque rogamus in visceribus Christi, ne gravemini, qua estis erga Nos pietate et quo ardetis disciplinae et unitatis concordiaeque studio, earundem Consociationum experimentum agere eandemque praestare Nobis magnanimitatem atque observantiam quam s. m. decessori Nostro Pio X praestitistis: propitius enim erit vobis Deus omnibus simul id facientibus et petentibus ab eo misericordiam ; (5) fidelis quippe est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere. (6)

Benedictio Apostolica

Ut autem omnia in Dei gloriam, animarum salutem optatissimaeque pacis incrementum cedant — quod a Sacratissimo Corde Iesu et Deipara Immaculata vehementer exposcimus —, vobis, Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, clero, fidelibusque uniuscuiusque vestris et Galliae universae apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Dies 8 Ian. 1924)

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis Ianuarii, in festo Cathedrae Romanae S. Petri Apostoli, anno MDCCCCXXIV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI.

---

(1) *Hebr.* XIII, 7.
(2) *Ps. XXV*, 8.
(3) I *Cor.*, IX, 11.
(4) *Hebr.*, XIII, 17.
(5) II *Machab.*, XIII, 12.
(6) I *Cor.*, X. 13.

EXEMPLUM STATUTORUM

CONSOCIATIO DIOECESANA N...

STATUTA

Art. I. — Inter episcopum N.... ceterosque infrascriptos, initur Consociatio dioecesana N.., quae sedem habet in X..., in domo episcopali.

Art. II. — Scopus huius consociationis est, subvenire sumptibus et sustentationis cultus catholici, idque sub auctoritate episcopi, in communione cum S. Sede, et secundum constitutionem Ecclesiae catholicae.

Ratio igitur qua consociatio suo munere fungetur, ordinabitur per haec statuta et secundum leges canonicas.

Si qua exsurgat difficultas, praeses consociationis curabit de ea certiorem facere Sanctam Sedem.

Art. III. — Secundum articulum istum II, Consociatio sibi, in specie, sequentia proponit:

1. acquirere vel conducere atque administrare aedes quas ipsa opportunum censebit praesto esse ad exercitium publicum cultus catholici in dioecesi;

2. acquirere vel conducere atque administrare aedes habitationis pro episcopo, officiis curiae episcopalis, parochis vicariisque, necnon pro sacerdotibus senio vel infirmitate laborantibus;

3. providere sumptibus sustentationis clericorum qui ministerio ex nominatione a competente auctoritate facta, vacant, tum tempore quo munere funguntur, tum, si casus ferat, postquam eodem defuncti sunt; item stipendiis contionatoribus debitis, atque mercedi eorum qui ecclesiae inserviunt;

4. acquirere vel conducere atque quod ad temporalia administrare Seminarium maius, Seminaria minora et quae iis annectuntur.

Art. IV. — Districte vetatur consociatio se immiscere divinis officiis ordinandis; administrationi spirituali dioecesis, in specie quod ad clericorum nominationem; directioni, alumnorum institutioni et administrationi spirituali in Seminariis.

Art. V. — Consociatio constat:

1. Episcopo;
2. membris titularibus;
3. membris honorariis.

Titulares saltem triginta esse debent (computatis episcopo aliisque Consilii membris), qui omnes resideant in dioecesi. Honorariorum numerus non limitatur, nec tenebuntur illi in dioecesi residere.

Sola membra titularia ius habent assistendi Consessibus plenariis, in iisque suffragium dandi.

Episcopus ipso iure praesidet Consilio administrationis, Consessibus et universae Consociationi.

Art. VI. — Rata annua a membris solvenda minimun 5 francorum esto. Quae tamen redimi poterit soluta semel summa 500 fr.

Art. VII. — Nemo in membrum titulare vel honorarium admitti potest, nisi fuerit praesentatus ab episcopo, consentiente Consilio administrationis, atque in Consessu obtinuerit maiorem numerum suffragiorum eorum quibus constat Consessus plenarius.

In locum demortui, renuntiantis vel exclusi membri titularis, alius ei sufficitur a proxime sequente Consessu plenario. Quodsi numerus titularium infra 25 decreverit, absque mora alii sufficientur in locum omnium demortuorum, renuntiantium vel exclusorum.

Art. VIII. — Quaelibet poena vel censura ecclesiastica, in aliquod membrum inflicta et ei notificata, illud ipso iure e Consociatione excludit.

Art. IX. — Iura et praerogativae episcopi in Consociatione, in casu extraordinario, eius loco et nomine, exerceri possunt a delegato quem ipse inter membra Consociationis elegerit.

Vacante sede, vel si dioecesis iam non ab episcopo regatur, iura et praerogativas in Consociationem exercebit qui eius vices gerit in administranda dioecesi, salva indole provisoria et conservatoria huius muneris.

Art. X. — Administratio Consociationis concreditur consilio quod constet episcopo tanquam praeside, et quattuor membris titularibus Consociationis, a Consessu plenario electis, prima vice ex octo membris ab episcopo praesentatis, sequentibus vicibus ex praesentatis ab episcopo, consentiente ipso Consilio. Hi quattuor, quorum unus assumendus est ex Vicariis generalibus, unus ex canonicis, episcopo in gestione assistunt ad normam iuris canonici. Membra Consilii administrationis ad sexennium eliguntur; dimidia pars Consilii singulis trienniis renovatur. Consiliarii qui munere defuncti sunt, semper rursus eligi possunt.

Si quis ex eius membris renuntiaverit muneri, mortuus vel exclusus fuerit, episcopus, consentiente Consilio administrationis, alium designat qui interim vices gerat usque ad proxime sequentem Consessum plenarium. Qui vero a Consessu plenario in membrum Consilii administrationis electus est in locum cuiusdam renuntiantis, demortui vel exclusi, munere fungi perget donec elapsum sit tempus ad quod decessor, ad normam statutorum, in eodem perseverasset.

Consilium de gremio sibi eligit secretarium et oeconomum.

Qui unum ex his officiis acceptare recusaverit, eo ipso muneri consiliarii renuntiat.

Art. XI. — Consilium administrationis, convocante praeside, semel singulis mensibus regulariter convenit. Nec potest quidquam decidere ex iis quae hisce statutis continentur, nisi adsint saltem duo membra, non computato praeside.

Negotia deciduntur maiori numero suffragiorum membrorum praesentium. Quodsi aequalia fuerint suffragia, suffragium praesidis rem dirimit.

In scripta referuntur quae in conventibus aguntur.

Art. XII. — Membra titularia Consociationis in Consessum plenarium ordinarium semel singulis annis, convocante praeside, adunantur. Convocatio fieri debet octo solidis diebus ante sessionem. In schedula convocationis enuntientur quae in Consessu agenda proponantur.

Membra titularia possunt in Consessum plenarium extraordinarium adunari, convocante praeside, iisdem condicionibus de quibus in paragrapho praecedenti.

Art. XIII. — Nequit Consessus valide quidquam decidere ex iis quae hisce statutis continentur, nisi absolute maior pars membrorum adsit. Si non adsint, iterum convocatur Consessus, interpositis saltem decem diebus; atque hac vice, valide deliberat, quicumque sit numerus praesentium.

Negotia deciduntur maiori numero suffragiorum membrorum praesentium. In casu paritatis, praevalet suffragium praesidis.

Quae in sessionibus aguntur, in acta referuntur.

Qui secretarius est Consilii administrationis, eodem munere fungitur in Consessu generali.

Art. XIV. — Nec in Consilio administrationis, nec in Consessu plenario, suffragium dari potest per procuratorem aut litteris.

Art. XV. — Consociationis munera gratis geruntur.

Art. XVI. — Praeter competentiam de re oeconomica, de

qua infra, art. XX, Consessus plenarius sententiam suam consultivam dat de rebus ipsi ab episcopo propositis.

Art. XVII. — Proventus Consociationis constant:

1. praestationibus membrorum ;

2. pecunia collecta ope arcarum in ecclesiis, collectis et quaestuationibus ab episcopo probatis ad subveniendum necessitatibus Consociationis ;

3. reditu fundationum ad functiones et officia sacra institutarum ;

4. in iis ecclesiis quarum dominium, administratio vel usus spectat ad Consociationem, pecuniis quae solvuntur pro conducendis sedibus, pariterque pecuniis datis, etiamsi ex testamento hoc fiat, pro functionibus et officiis sacris, pro rebus destinatis funeribus agendis vel ecclesiae decorandae ;

5. reditu bonorum mobilium et immobilium.

Art. XVIII. — De proventibus Consociationis disponit episcopus in fines hisce statutis determinatos.

Art. XIX. — E proventibus qui supersunt, poterit, intra fines legitimos, conflari summa quaedam reservata ad necessitates generales cultus ; alteraque, sine ullo assignato limite, quae exclusive inserviet, una cum reditibus ex ipsa perceptis, emendis, aedificandis, ornandis vel reficiendis aedibus vel rebus mobilibus necessitatibus Consociationis destinatis, de quibus supra art. II et III.

Art. XX. — Elapso termino praestituto, ab oeconomo conficiuntur rationes peractae gestionis.

Hae rationes in scriptis Consilio administrationis exhibentur. Recognoscuntur a tribus commissariis ad hoc a Consilio electis extra gremium ; illos eligere potest etiam extra Consociationem. Commissariis incumbit ad Consilium scripto referre de rationum legitimitate et de statu oeconomico Consociationis.

Consilium administrationis, inspecta relatione trium commissariorum, iisque, si videbitur, auditis, de rationibus statuit, unique de gremio committit ut relationem definitivam exhibeat in Consessu plenario.

Haec omnia ita expediantur, ut rationes Consessui plenario exhiberi possint in sessione eius ordinaria.

Art. XXI. — Consociatio in haec statuta nullam mutationem inducere potest, quae constitutioni Ecclesiae catholicae adversetur. Ceterae mutationes Consessui plenario proponendae sunt ab episcopo, consentiente administrationis Consilio.

Art. XXII. — Consociatio efformatur in tempus indefinitum.

Art. XXIII. — Quodsi solvatur Consociatio, eius bona ad-

dicentur Consociationi cuidam ab episcopo vel eius vices gerente efformandae, secundum haec statuta. Interim, quod temporis intervallum numquam ultra duos menses erit protrahendum, episcopus vel qui canonice eius vices agit, Consociationis bona geret.

ANNOTATIONES

I. *De regimine bonorum ecclesiasticorum in Gallia secundum legem de separatione Ecclesiarum a Statu,* 9 dec. 1905 promulgatam.

1. Tempore legis de separatione, ius publicum Galliae duplex agnoscebat subiectum dominii bonorum ecclesiasticorum. Eorum alia, ecclesiae nempe, oratoria, domus archiepiscopales et episcopales, presbyteria, Seminaria, iam ante Concordatum anni 1802 publicata, in dominio censebantur Status, provinciarum, municipiorum ; alia vero pertinebant ad personas morales quibus nomen dabatur « institutorum pu- « blicorum » (*établissements publics*), cuiusmodi erant mensae episcopales, fabricae ecclesiarum paroecialium.

Lex autem de separatione (1), ut ea omittamus quae temporaria tantum erant (2), dominium bonorum quae ad Statum etc. censebantur pertinere, penes Statum, provincias, municipia mansurum statuens, usum tamen earum aedium quae cultui exercendo inserviunt, reliquit *Consociationibus cultualibus* ex lege efformandis. Quodsi nulla consociatio legitima sese offerat ad vindicandum usum aedium sacrarum, poterunt istae decreto redigi ad usum profanum ; pariter, si consociatio solvatur, vel certis suis obligationibus

(1) Eius textum commode reperies apud *Questions actuelles*, 82, 194-206. Schema a Deputatorum comitiis admissum, ne verbulo quidem emendato, a Senatu postea approbatum, ac promulgatum est.

(2) Ad duos sc. annos domus archiepiscopales et episcopales, ad quinque vero Seminaria usui relinquebantur Consociationum cultualium.

non satisfaciat, potest ipsi, decreto Consilii Status eripi facultas aedibus sacris utendi (art. 12. 13).

Instituta vero publica cultus supprimuntur (art. 2), eorumque bona cum annexis oneribus transferuntur mox constituendis *Consociationibus cultualibus* (art. 4). Ea tamen bona quae a Statu proveniunt, nec post Concordatum onere quodam pio, non tamen ad exercitium cultus ordinato, iis tribuuntur personis moralibus saecularibus, quarum scopus destinationi piae bonorum magis affinis est (art. 7).

Si nulla efformetur vel exsistat Consociatio ad quam devolvantur bona publicorum cultus institutorum, haec tribuentur personis moralibus saecularibus ad finem caritativum institutis (art. 9).

Brevi: omissis iis quae absolute publicantur, ad duplicem classem ex lege separationis reducuntur bona Ecclesiae: alia in dominio versantia Status, provinciarum, municipiorum, usui relinquuntur Consociationum cultualium: eiusmodi sunt aedes sacrae; alia vero in dominium transeunt earundem Consociationum. Deficientibus Consociationibus legitimis, de proprietate et usu bonorum statuit potestas saecularis.

2. *De Consociationibus cultualibus* secundum eandem legem.

Ut subveniatur « sumptibus, sustentationi et exercitio publico cultus » (art. 18), efformandae sunt Consociationes saltem 7, 15, 25 membrorum, pro numero incolarum (art. 19). Hae regentur iure communi associationum (lege sc. 1 iul. 1901): poterunt legitima declaratione potestati saeculari facta, personae morales fieri. Non obstante quolibet contrario statutorum praescripto, singulis saltem annis, de gestione bonorum Consociationis, cognoscit consessus plenarius membrorum (art. 19); eidem gestioni praeterea invigilat magistratus civilis (art. 21).

Nullus lege exigitur interventus hierarchiae in

efformandis, regendis Consociationibus, in gerendis bonis. Alio quidem loco (art. 4), lex, de devolutione bonorum institutorum publicorum loquens, ea addicenda statuit: « Consociatiobibus quae, *secundum normas generalis ordinationis* (*organisation*) *illius cultus* cuius exercitio providere intendant, sese legitime efformaverint ». Haec autem, in obliquo tantum dicta, modoque indeterminato, minime resumuntur in ea parte legis (art. 18-24) quae in recto agit de Consociationibus cultualibus; ambigi proinde poterat de eorum vi. Immo, ex generali systemate legis, sola auctoritas saecularis, statuente in ultima instantia Consilio Status, ut de legitimitate civili, ita et de « conformitate ad normas generalis ordinationis cultus » iudex exstabat (cf. in specie art. 8) (1).

Nulla igitur habebatur securitas solis Consociationibus canonice legitimis dominium vel usum bonosum ecclesiasticorum a magistratibus civilibus addictum iri. Ponas (ut in paucissimis casibus attentatum est) viros laicos, accedente sacerdote quodam schismatico vel inoboedienti, Consociationem conflare; propria conficere statuta, etiam legi ecclesiasticae contraria; exercitium cultus moderari independenter ab hierarchia, secundum placita « democratiae » hodiernae: nonne eiusmodi agendi modus ex lege legitimus agnosci potest, atque de facto ab auctoritate saeculari legitimus habebitur?

Hinc, vix edita Separationis lege, PIUS Pp. X, Encyclica *Vehementer Nos,* 11 feb. 1906, praeter ipsam legem eiusque generaliora principia, Consociationes quoque cultuales quales lex intendebat, aperte damnavit. Quam damnationem sic brevissimis verbis ipse rettulit in Allocutione consistoriali 21 feb. 1906:

---

(1) Cf. Pastorale collective des èveques francais, 7 juillet 1906. *Quest. act.*, 88, 162. 163.

« . . . Si porro legis ipsius decreta spectamus, ecquis non videt eius rogatione constitutionem ipsam labefactari, qua Christus acquisitam sanguine Ecclesiam conformavit? Nimirum, nulla in ea Romani Pontificis, nulla episcoporum incidit mentio; e contra administratio tota publicique cultus tuitio civium consociationibus defertur, quas unas in universo religioso genere Respublica civilibus instructa iuribus agnoscit. Quod si inter ipsas controversiam contigerit oriri, illa non episcoporum iudicio, non Nostro, sed ab uno Status Concilio cognoscenda est et dirimenda ».

II. *Tentamina ad efformandas Consociationes « canonico-legales »*.

Ecclesiis Galliae imminebant maximae angustiae: nisi enim efformarentur Consociationes legitimae, bona institutorum publicorum personis moralibus saecularibus tribuenda erant (art. 9), ecclesiae et oratoria ad usus profanos redigi poterant (art. 13).

Lex quidem de separatione exigere non videbatur ut Consociationes essent legibus canonicis conformis. An illam concordiam excludendo, saltem possibilem linquebat?

Statim post promulgatam Encyclicam *Vehementer*, nomine S. Sanctitatis, litteris ad archiepiscopum Parisiensem 14 feb. 1906 missis, Cardinalis Secretarius Status, episcopis Galliae hanc elucidandam proponebat quaestionem: « Possuntne ea ratione efformari Consociationes cultuales, ut sint simul et canonicae et legales? » (1).

Episcopi vero, Parisiis adunati diebus 30 et 31 maii 1906, dum ex una parte consentiunt, Consociationes quales in lege describebantur cum principiis hierarchiae catholicae consistere non posse, ex altera tamen S. Pontifici schema quoddam proponunt Consociationum quae, vi statutorum, « canonicae » essent, seu iura

(1) Cf. *Rapport* présenté par Mgr. FULBERT PETIT, archevêque de Besançon, à la commission préparatoire de l'assemblée plénière des évêques de France. — *Quest. act.*, 88, 68.

hierarchiae sarta tecta servarent, simulque « legales » seu legi non contrariae, immo speciem prae se ferentes Consociationum quales lex intendebat (1).

Re perpensa, die 10 aug. 1906, promulgavit **Pius** X Encyclicam *Gravissimo*.

In qua, postquam clare edixit Consociationes cultuales quales lex constituere iubet, nullo pacto conflari posse, addit vetitum efformandi Consociationes quae sperabantur « canonico-legales » :

« . . . utinam spes affulgeat, si non bona, at aliqua tamen, posse Nos, divino salvo iure, id inire experimenti ut dilectos filios tantorum malorum metu liberemus. At quoniam, *hac manente lege*, spes istiusmodi nulla ostenditur, istud alterum Consociationum tentare genus negamus fas esse, *usque dum legitime certoque non constiterit* divinam Ecclesiae constitutionem, atque immutabilia Romani Pontificis et episcoporum iura, eorumque in bona necessaria Ecclesiae, praecipue templa potestatem, incolumia per associationes easdem et tuta semper fore : contrarium velle Nos, nisi religionem officii deserendo, atque interitum Ecclesiae gallicae conficiendo, non possumus.

Quae huic vetito apponebantur maximi momenti restrictiones, optime commentabantur episcopi Galliae in communi Epistola pastorali diei 7 rept. 1906:

« Effet, . . . tant que la loi demeure ce qu' elle est, quelque effort que l'on pût faire pour établir des associations légales placées sous l'autorité du Pape et des évêques, il resterait toujours que cette autorité n' y serait souveraine qu' autant qu' il plairait aux associés de la reconnaitre, et que, s' ils voulaient s' y soustraire, il appartiendrait à un tribunal laique de juger en dernier ressort de la légitimité de leurs prétentions. Il lui serait loisible d' attribuer à des fauteurs de rébellion contre l' Église la propriété de ses biens et l' usage de ses temples ». (2)

---

(1) Cf. DE LA BRIÈRE, *Les luttes présentes de l'Église*, 2. serie, Paris, 1916, pp. 9. 10. — Textum huiusmodi schematis statutorum v. *Quest. Act.*, 88, 69-84.

(2) V. *Quest. act.*, 88, 163. — Latine : Etenim, quoadusque lex qualis est perseveret, quantumcumque conaretur quis tales Consociationes legitimas efformare quae subsint R. Pontifici et episcopis, istud semper remaneret, eorum auctoritatem eatenus tantum ibi supremam fore, quatenus socios liberet

Hac igitur « manente lege », vetantur Consociationes canonico-legales, « usque dum legitime certoque non constiterit » iura Ecclesiae earum ope sarta tecta fore. Quae meta non attingitur, si excogitentur tales Consociationes quae canonicae sint et simul non illegales seu civiliter illegitimae, sed tantum si tales quarum canonica ratio civiliter agnoscatur, et sanciatur. Canonico-legales esse debent non in sensu diviso tantum, sed in sensu composito.

Aliunde tamen urgebat necessitas providendi subiecto patrimonii ecclesiastici. Quidquid enim bonorum sibi acquirere vel servare vellent dioeceses, paroeciae, nonnisi precario, ope fictionum et subtilitatum iuridicarum, maximos plerumque secum trahentium sumptus, in dominio habere poterant (1).

III. *Adiuncta quibus praeluditur disciplinae hodiernae.*

1. Admirabili oboedientia et imperterrita audacia catholicorum Galliae, id contigit, ut exsecutioni non mandaretur praecipuum quoddam praescriptum legis, de eripiendis sc. ecclesiis cultui sacro nisi a Consociationibus cultualibus eorum usus vindicaretur. Idque non tantum de facto, sed et aliquatenus de iure sancitum est: legibus 2 ian. 1907 et 28 mart. 1907, legi de separatione ita derogatum est ut exercitium cultus publici in ecclesiis catholicis simpliciter permitti posset, nulla constituta Consociatione. Iuridice tamen manet Statui facultas (quam hucusque non exercuit), eripiendi cultui ecclesias a Consociationibus non vindicatas.

Duo inde sequuntur consectaria: primum, *praxi*

---

eandem agnoscere; atque si forte ea se subtrahere ipsi vellent, de legitimitate praetensionis eorum, in ultima instantia iudicium ferret tribunal laicum. Cui facultas esset viris in Ecclesiam rebellibus, proprietatem bonorum usumque templorum addicere.

(1) Cf. RENAUD, *Les Associations diocésaines*, Paris, 1923, pp. 9-15.

administrativa, eaque *legi conformi,* constare ecclesias cultui ereptum non iri. Ita aliquod ius Ecclesiae, idque certitudine omnino precaria, in tuto ponitur. Simul tamen proditur mens legislaloris et gubernii, temperandi magis aequa interpretatione quod in lege iniquius erat.

Magis attendendum est alterum consectarium legis 28 mart. 1907. Cum sc. exercitium publicum cultus in ecclesiis, iam libere, nulla requisita formalitate, catholicis permittatur, poterit in posterum *legitime* demi e scopo Consociationum cultualium qualis ipsis lege (art. 18) assignatur, illud « subvenire exercitio cultus ». Sublata hac attributione, cum principiis catholicis vix componenda, *legitime* coartabitur eorum obiectum ad hoc ut « subveniant sumptibus et sustentationi cultus » (cit. art. 18; cf. Statutorum exemplum, art. II); sicque magis assimulabuntur coetibus illis, legi canonicae non contrariis, quos alibi vocant « Consilia fabricae » (cf. can. 1521) (1).

2. Multo maioris mamenti accedit iurisprudentia seu praxis iudiciaria Consilii Status et Curiae Cassationis in dirimendis quaestionibus de legitimitate Consociationum. Cum enim hinc inde paucissimae exsurrexissent Consociationes schismaticae (2), aliaeve exortae essent controversiae, in ultima instantia, iurisdictio tum administrativa tum iudiciaria suprema, Consilium Status et Curia Cassationis, rem semper diremerunt secundum iura hierarchiae. Verba enim legis attendentes, bona fabricarum devolvi Consociationibus constitutis « secundnm normas interioris Constitutionis illius cultus » (art. 4), statuerunt Consocia-

(1) Illud tamen magni momenti interest, quod Consilium fabricae, quale in iure publico Belgii, administrat tantum bona quae in dominio sunt personae moralis non collegialis, Fabricae nuncupatae; dum Consociatio gallica, ad modum personae moralis collegialis, civiliter censetur dominium habere bonorum Ecclesiae.

(2) Teste DE LA BRIÈRE, *Chronique du mouvement religieux, Études,* 165, 366, decem numero non reperies pro universa Gallia.

tionem rebellem in hierarchiam ecclesiasticam, non esse legitimam (1).

Verum neque inde plene constat, legitime et certo, omnia iura Ecclesiae fore salva. Praxis enim iudiciaria est tantum de speciebus petitione partium vel ex officio tribunali propositis; vim habet ex usu magnam, plerumque maximam, non tamen iuridice obligatoriam (2). Modus sententiandi praeteritus praesumptionem fundat magnam in re identica, minorem in re simili. Hucusque causae propositae fuerunt de Consociationibus schismatice fundatis vel sacerdotibus aperte rebellibus. Quid vero, si umquam Consociatio, canonice erecta, de bonis Ecclesiae, de exercitio cultus contra praescripta hierarchiae statuere intendat? An haec a tribunalibus illegitima agnoscentur? Immo si, mutatis personis quibus nunc constant, mutetur tribunalium iurisprudentia?

3. Per terribilem belli probationem, hoc inter alia disposuit divina Providentia ut, mitigato multorum animo, minus asperum iam intenderetur odium in Ecclesiam. Quod elementum, licet facti sit, non iuris, in libranda futura securitate praetermittendum non est.

Instauratis selationibus publicis cum S. Sede, tractationes de re praesenti texit gubernium gallicum. Cardo difficultatis idem semper: « hac manente lege », cui quidem obrogare adiuncta politica non sinebant, quomodo « legitime certoque constabit » ?

Prior modus propositus est, ut schema statutorum pro Consociationibus est, ut schema statutorum pro Consociationibus erigendis, iuri canonico conformium, proponeretur Comitiis deputatorum et Senatui Galliae,

---

(1) V. g. in causa Consociationis loci Sains les-Fressins, Consilium Status 28 iul. 1909. — DE LA BRIÈRE, *Études*, 165, 367.

(2) Nisi excipias sententiam in iure a Curia Cassationis, congregatis dicasteriis (*Chambres réunies*) latam, qualis hucusque in re nostra nulla locum habuit. Cf. DE LA BRIÈRE, *Études*, 163, 369.

qui statuerent de eorum legitimitate in foro civili (1). Verum, pro iure gallico, Comitia competentia non sunt de legitimitate cuiusdam applicationis legis. Separatae enim exsistunt potestates legislativa, (qua sola pollent Comitia), administrativa et iudiciaria.

Ad alterum ideo medium recursum est. Schema statutorum, bis a ternis iurisperitis gubernii gallici approbatum, examini subiectum est totius *Consilii Status*, congregatis dicasteriis. Consilium Status, cum sit suprema iurisdictio in re administrativa contentiosa, competens est de applicatione legum iuris publici. Procedere quidem solet via sententiarum iudicialium in re particulari. In praesenti autem, via extraordinaria processit, dando sententiam non iudicialem, cum nulla fuerit proposita contentio dirimenda, sed doctrinalem. Atque censuit statuta proposita in omnibus esse legitima.

Qua vix ulla maior securitas in praesenti statu legum gallicarum potest obtineri. Adiuncta politica retractationem ipsius legis de separatione, ut diximus, excludebant. Talis ceterum abrogatio, licet de iure maiorem vim habuisset quam hodierna solutio, de facto in praesenti vix meliorem praebuisset securitatem: nimis facile in talibus rebus mutantur ipsae leges. Consultatio autem Consilii Status unanimis, ab ipso Gubernio expetita, vim quidem legis non obtinet; sed pro usu receptissimo, praxim tum tribunalium inferiorum, tum ipsius Consilii de facto reget (2). Hinc quae forte exsurgerent lites de rebus Consociationum, secundum Statuta, de quibus mox, i. e. secundum ius canonico conforme, dirimentur. Nec ipsa potestas ad-

(1) *Osservatore Romano*, 23 ian. 1924.

(2) Idque eo magis quod iam a viginti fere annis similis praxis in Consilio Status, praeter competentiam suam iurisdictionalem, solet quoque de legibus parandis et rogandis a Gubernio consuli Vix quisquam igitur, praeter legislatorem, de sensu legis sententiam maiori aestimatione excipiendam dare potest.

ministrativa quidquam efficaciter contra iura Ecclesiae attentare posset: eius enim acta tamquam illegitima a tribunalibus administraticis irritarentur.

Certo proinde, quantum in praesenti fieri potest, constat iura Ecclesiae salva fore; idque etiam constat *legitime*, non quidem lege, sed praxi tum praeterita, tum, ex hac consultatione, futura, summae iurisdictionis administrativae, immo et iudiciariae.

Sic salva manent quae statuerat PIUS X.

IV. *Vera indoles hodiernae provisionis.*

Clare patet quantum a vero aberrent qui, hac occasione, locuti sunt de Concordato quodam circa Consociationes dioecesanas. Habemus meram Pontificis *declarationem*, licere, in praesenti, saltem ad experimentum, Consociationes efformare ad normam statutorum quae Encyclicae adiciuntur. Declaratio eiusmodi nec absolute definitiva est: si enim (quod Deus praevertat), experimentum infauste cesserit, retractari poterit; nec difficultates perfecte componit: edicit tantum « permitti posse », donec perfectam libertatem et plenitudinem iurium suorum recuperet Ecclesia, ut primus ille gressus fiat, quo pauca eorum rursus nonnihil firmentur (1).

Declarationi accedit *hortatio*, suavis quidem sed instans, ut Consociationes dioecesanas ad experimentum inducant episcopi. Nemo conqueri poterit quod non omni qua potest ope allaboraverit S. Pontifex levandis angustiis Ecclesiarum Galliae.

V. *De conformitate statutorum Consociationum dioecesanarum cum iure canonico* (2).

---

(1) Talis declaratio locum habere non potuit nisi postquam, colloquiis diplomaticis, etc., S. Sedi constiterit condicionem eius praerequisitam ex parte Status gallici impletam fuisse, sed neque pactum conventum est, nec tamquam lex Status quidquam promulgatum: quae duo sunt de ratione Concordati.

(2) Adiri potest praecipue DE LA BRIÈRE *Chronique du mouvement religieux, Etudes*, 178, 349-364. Textum consultationum iurisperitorum gallico-

1. Dum lex de separatione exspectare videbatur efformandam Consociationem in singulis paroeciis (art. 18), eius tamen praescripta non excludunt Consociationem *dioecesanam*. Haec altera forma periculum valde minuit litium suscitandarum ab uno ex numerosissimis multarum Consociationum membris, inoboediente forte vel imperito; simulque facit Consociationem immediate dependentem a Superiore hierarchico.

Immo, quod, dato systemate notissimo legis de separatione, valde notandum est, explicite mentio fit de necessaria communione cum *S. Sede ;* atque pariter explicite imponitur praesidi obligatio monendi S. Sedem de difficultatibus forte exorituris.

2. Consociationis *competentia*, occasione arrepta legis 28 mart. 1907 de qua supra, coartata est ad curam « sebveniendi sumptibus et sustentationi cultus » (statut. art. II), exclusa iam cura *exercitii* eiusdem. Hinc ulterius potuit positive vetari Consociatio quominus sibi quamlibet auctoritatem usurparet in ordinationem divinorum officiorum vel aliam rem spiritualem (art. IV).

3. Inter *membra* ipso iure annumeratur *episcopus*, qua talis. Sine episcopo nulla Consociatio valide efformari potest. Pariter, ipso facto Consociationi praesident episcopus (art. V). Vacante vel impedita sede, ille iura episcopi exercet, qui auctoritatem hierarchicam pro tempore in dioecesi detinet (art. IX).

Nemo utcumque ut membrum admitti potest, nisi *praesentante episcopo* (art. VII) : removetur periculum ne vir Ecclesiae infensus vel ceterum suspectus sese intrudere queat. Si quis, iam adscriptus, poenam vel censuram ecclesiasticam incurrat, ipso facto, Conso-

---

rum, quibus ratio redditur legitimitatis in foro civili, reperies in *Documentation catholique*, 10, 947-951 ; 11, 274-277.

ciatione excidit (art. VIII) : nulla igitur efficacia rebellionis in hierarchicam auctoritatem timenda est.

4. *Administratur* Consociatio a Consilio quattuor membrorum, a Consessu plenario electorum ex praesentatis ab episcopo, quorum unus sit e Vicariis generalibus, unus e canonicis, quique episcopo in gestione assistunt ad normam regularum canonicarum (art. XI). His articulis, atque articulo XVIII, secundum quem de proventibus Consociationis disponit episcopus in fines statutis conformes, providetur ut negotia geri queant fere ad normam can. 1519 ss. (1).

5. *Consessus plenarius* Consociationis adunatur saltem semel singulis annis, convocante episcopo (art. XII). Ei quoque praesidet episcopus (art. V), et in casu paritatis suffragiorum, negotia dirimit (art. XIII). Consessus ille consultationes dat de negotiis quae episcopus ei proposuerit (art. XVI). Singulis annis, referente Consilio administrationis, de re pecuniaria Consociationis cognoscit, rationesque probat (art. XX). Poterat hinc exsurgere difficultas. Vult enim lex de separatione, art. 19, ut « non obstante qualibet contraria clausula statutorum », ratio totius gestionis bonorum Consociationi probanda proponatur. Huic quidem praescripto satisfit per allegatum art. XX ; simul tamen universo systemate statutorum efficaciter cavetur ne hac sua potestate contra iura hierarchiae abuti queat Consociatio.

Omisso enim quod nonnisi viri probi cooptabuntur; quod contumaces poenis ecclesiasticis excludi valent, accedit nullam Consociationem valide existere posse sine episcopo; episcopus autem non prohibetur e Consociatione sponte recedere: ipso recedente, Con-

(1) Differt tamen hoc Consilium a Consilio de quo can. 1520, tum modo cooptationis, tum praesertim eo quod suffragium fert deliberativum, atque in ulteriori instantia a Consessu plenario pendet.

sociatio exsistere desinit (1), novaque ab ipso (art. XXIII) efformanda est.

6. Stabilitati concordiae cum iure canonico provi·detur articulo XXI: nulla *immutatio statutorum* fieri potest, nisi proponente episcopo; mutatio autem quae sit contra constitutionem Ecclesiae fieri numquam potest. Et haec esset, ut ex toto contextu patet, invalida.

7. Consociatio ad *tempus* indefinitum constituitur (art. XXII). Quodsi *solvatur*, eius bona tribuentur novae cuidam Consociationi efformandae ab episcopo. Ipse ea interim gerit (art. XXIII).

J. IANSSENS S. J.

3. — S. C. S. Officii

Decretum 28 mart. 1924.

CONDEMNATIONIS SAC. ERNESTI BUONAIUTI

EIUSQUE OPERUM OMNIUM

(A. A. S. 1 apr. 1924, 16, 159)

Praemissa rationum expositione,

Il (2) sac. Ernesto Buonaiuti, già più volte ammonito, ripreso, e sottoposto anche a gravi sanzioni canoniche per le sue dottrine prettamente modernistiche propagate a voce ed in iscritto, è rimasto purtroppo, non ostante le sue ripetute proteste di sottomissione, come evidentemente dimostrano suoi fatti e scritti recenti, sempre nella sua pertinacia, proprio come i modernisti così al vivo descritti nell' Enciclica *Pascendi* del S. P. Pio X di f. m. i quali « continuano il loro cammino,

(1) Sic sentiunt DE LA BRIÈRE *op. cit.*, *Études*, 178, 359; RENAUD, *op. cit.*, p. 41.

(2) Quod sic latine reddimus: Sacerdos Ernestus Buonaiuti, pluries iam admonitus, reprehensus, et etiam, propter sua placita aperte modernistica, ore et scripto propagata, gravibus sanctionibus canonicis subiectus, remansit heu nimis, non obstantibus iteratis eius professionibus submissionis, semper pertinax, sicut eius acta et scripta recentia demonstrant, omnino more modernistarum qui, ut in Enc. *Pascendi* S. P. Pius X f. m. eos sic ad vivum

« continuano benchè ripresi e condannati, celando un' incredibile « audacia col velo di un' apparente umiltà. Piegano fintamente « il capo; ma la mano e la mente proseguono con più ardi- « mento il loro lavoro. E così essi operano scientemente e « volutamente; sì perchè è loro regola che l' autorità debba « essere spinta, non rovesciata; sì perchè hanno bisogno di « non uscire dalla cerchia della Chiesa, per poter cangiare a « poco a poco la coscienza collettiva »; adoperando inoltre quell' arte dalla stessa Enciclica così messa in evidenza: « È « artificio astutissimo dei modernisti presentare le loro dottrine « non già coordinate e raccolte quasi in un tutto, ma sparse « invece e disgiunte l' una dall' altra, allo scopo di passare « essi per dubbiosi e come incerti, mentre di fatto sono fermi « e determinati ».

Non potendosi dunque in verun modo tollerare più a lungo, senza grave scandalo e danno dei fedeli, quest' opera subdola e continua di demolizione della Fede da parte di un sacerdote cattolico, che si ostina a voler apparir tale, nella sede stessa del Supremo Pontificato, questa Suprema Sacra Congregazione del S. Uffizio, della Fede e del costume custode e vindice, nella Congregazione di feria IV, 26 corr. mese, d' ordine e con l' approvazione espressa del Santo Padre, novamente dichiara il sopra mentovato sac. Ernesto Buonaiuti incorso nella scomunica a termini di diritto e, conseguentemente, anche nella sospensione *a divinis;* condanna e proscrive tutti i suoi libri e scritti, ordinandone l' inserzione nell' Indice dei

ex Pontificis expresse approbantis mandato, E. B. declaratur excommunicatus; damnantur eius opera; res religionem attinentes tractare vetatur.

---

describebat, « instituto itinere pergunt: pergunt quamvis redarguti et damnati; incredibilem audaciam fucatae demissionis velamine obducentes. Cervices quidem simulate inflectunt; manu tamen atque animo quod susceperunt persequuntur audacius. Sic autem volentes omnino prudentesque agunt; tum quia tenent auctoritatem stimulandam esse, non evertendam; tum quia necesse illis est intra Ecclesiae saepta manere, ut collectivam conscientiam sensim immutent »; usurpando praeterea artem quam his verbis eadem Encyclica fecit manifestam: « callidissimum artificium est, ut doctrinas suas non ordine digestas proponant atque in unum collectas, sed sparsas veluti atque invicem seiunctas, ut nimirum ancipites et quasi vagi videantur, cum e contra firmi sint et constantes ».

Cum igitur, sine gravi fidelium scandalo et damno, ista subdola et continua opera destructiva fidei nullo pacto diutius tolerari possit in sacerdote catholico qui talis apparere obstinate vult, in ipsa Sede Supremi Pontificatus, haec Suprema S. Congregatio S. Officii, custos et vindex Fidei et morum, in Congregatione feriae IV, 26 currentis mensis, ex mandato et cum expressa approbatione SS. Patris, denuo declarat supra memoratum sac. Ernestum Buonaiuti, incidisse in excommunicationem, ad iuris tenorem, et consequenter etiam in suspensionem *a divinis;* - damnat et proscribit omnia eius libros et

libri proibiti ; - e gli proibisce di più scrivere, tenere conferenze ed insegnare nelle pubbliche scuole in materia attinente alla Religione.

Dies (27 mart. 1924)

Dato a Roma, dal Palazzo del S. Ufficio, addì 27 marzo 1924.

LUIGI CASTELLANO, *Notaro della Supr. S. C. del S. Ufficio.*

ANNOTATIONES

Id potissimum, ni fallimur, in his annotationibus a nobis exspectatur, ut paucis proprios huiusmodi sententiae declaratoriae effectus memoremus. Itaque:

I. Quando sententia est mere declaratoria censurae, censura manet *a iure*, sed a momento delicti contracta esse existimatur.

II. Propria vis istius sententiae est haec, ut censuram reddat *iure notoriam*. Quid autem operetur excommunicatio notoria, sic P. CREUSEN, S. I. in *Epitome* III, n. **468**, proponit:

1. Si quam participationem in *celebrandis* divinis *officiis* (excommunicatus declaratus) habere voluerit, est repellendus.

2. Non potest *recipere sacramentalia* (c. 2260, § 1).

3. Ecclesiastica sepultura privandus est, nisi ante mortem signa paenitentiae dederit (c. 2260, § 2; 1240, § 1, v. 2).

Ecclesia sepultura eius violaretur (c. 1172, § 1, 4°); nec ante cadaveris remotionem, nisi grave incommodum obstet, reconciliari posset (c. 1175). - Praeterea " qui ausus fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae „ huiusmodi excommunicatos, " contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam; sponte vero sepulturam eisdem do-

---

scripta, eadem inserenda mandat in Indicem librorum prohibitorum; - ac vetatur in posterum scribere, collationes habere, et praelectiones in publicis scholis facere de re attinente ad Religionem.

Datum Romae ex aedibus S. Officii, die 27 martii 1924.

nantes, interdictum ab ingressu ecclesiae, Ordinario reservatum „ (c. 2339).

4. Illicite *conficit,* vel *ministrat sacramenta,* excepto mortis periculo, in quo sacramentum paenitentiae semper, alia sacramenta et sacramentalia, tantum si alii ministri desint, conficere vel administrare potest (c. 2261, § 3).

5. Prohibetur ab *agendo* (coram tribunali) *per se* ipse, nisi ad impugnandam iustitiam ant legitimitatem ipsius excommunicationis; etiam per *procuratorem,* nisi agatur de praeiudicio animae avertendo.

6. Omnis *actus iurisdictionis invalidus* est, exceptis casibus sub 4. propositis (c. 2264).

7. *Suffragium* ad collationem officii, beneficii, etc. et ipsamet *consecutio* ad normam c. 2265, § 1, sunt invalida (c. 2265, § 2). Immo si excommunicatus iure notorius ad suffragium in electione ferendum *scienter* fuerit admissus, ipsa electio est nulla. Secus valida vel nulla est, prout, dempto excommunicati suffragio, numerus suffragiorum requisitus obtinetur vel non (c. 167, § 2).

8. Reus " manet *privatus fructibus* dignitatis officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia „ (c. 2266).

" Codex severiorem disciplinam hoc canone innovat; ex veteri iure censebant sententia *declaratoria* excommunicatum fructibus dignitatis, etc. non privari. Cum canon dicat: « post sententiam... privatus manet », privatio ad tempus delicti commissi non retrotrahitur ».

Sententia autem ista excommunicatus minime fit *vitandus.* Ac proin a passiva assistentia divinis officiis non est repellendus. Nec, si repelli ab activa assistentia nequeat, ab officio est cessandum (c. 2259); post sententiam, non manet *privatus* " ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere „ (c. 2266); nec communio in profanis cum ipso prohibetur (c. 2267).

Ipsa S. Congregatio denuntiat istud excommunicationis consectarium, sacerdotem esse etiam suspensum *a divinis*. Excommunicatus enim prohibetur officia celebrare, sacramenta et sacramentalia conficere et ministrare (c. 2259, § 1 et c. 2261, § 1).

III. Sententia declaratoria *reservationem* censurae non mutat vel afficit. Valent igitur c. 2251-2254, de facultate absolvendi, de vi absolutionis in foro exteriore et in foro interiore. Sed recessus a contumacia est inter condiciones omni absolutioni, etiam in foro interno, essentiales.

IV. Verum *quaeres* quaenam excommunicatio per verba " a termini di dritto „ in decreto designata sit. Ex praeposita rationum expositione, sacerdos arguitur de propagatis doctrinis manifesto modernisticis. Cum autem ipsis Litteris *Pascendi* 8 sept. 1907 (*Per.* IV, 1 ss.), modernismus esse definiatur " omnium haereseon collectum », (*Per.* IV, 25), pronum est concludere agi in casu de excommunicatione speciali modo S. Sedi reservata, quae c. 2314 contra haereticos prolata est.

V. De accedente proscriptione operum, quae sub clausula generali *Opera omnia* in Indicis catalogo ponentur, et vetito magisterio in re attinente ad Religionem, nulla causa est cur quaedam notemus.

4. — S. C. S. Officii

Significatio 12 martii 1924.

SUBMISSIONIS DECLARATIO

(A. A S. 1 apr. 1924, 16, 160).

Submissio RR. PP. Brassac et Ducher

RR. PP. A. Brassac et J. Ducher decreto Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, feria IV die 12 decembris superioris anni 1923 edito (1) quo proscriptum fuit mandatumque

(1) Cf. *Periodica*, XII, 144.

ut in Indicem librorum prohibitorum referretur opus cui titulus *Manuel biblique ou Cours d'Écriture Sainte à l'usage des Séminaires*, etc, se subiecerunt ac damnatum illud opus reprobarunt. (1)

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 12 martii 1924.

ALOISIUS CASTELLANO, *Supremae S. C. S. O. Notarius.*

5. — S. C. Concilii

Resolutio 9 febr. 1294

DE ABSTINENTIA A PEREGRINIS SERVANDA

(A. A. S. 1 mart. 1914, 16, 94)

NAMURCEN. ET ALIARUM. ABSTINENTIAA

Die 9 februarii 1924

Dies (9 feb. 1924)

Quaestionis occasio et propositio.

QUAESTIO. — Litteris ad hanc Sacram Congregationem reverenter datis, exponebat nuper R. P. D. Episcopus Namurcensis, ex pontificia dispositione, in sua dioecesi, sicut in finitimis Belgii et Galliae dioecesibus, omnino *teneri* christifideles ad abstinentiam servandam toto tempore Quadragesimae, feria IV, loco sabbati. Cum autem controversia orta esset de peregrinis, an eodem iure tenerentur necne, ad eam rite dirimendam, sententiam huius Sacri Consilii rogabat, coram quo ideo quaeritur: « An, et qua die, tempore Quadragesimae, « peregrini teneantur servare abstinentiam sabbati in locis ubi, « ex speciali dispositione Sanctae Sedis, eadem abstinentia « debet servari feria IV ».

(1) Circa hanc declarationem haec scribit R. P. Superior Generalis Societatis S. Sulpitii, H. Garriquet:

« Je renouvelle à Votre Sainteté le témoignage de soumission complète, « filiale, confiante, exprimé par mes deux confrères, MM. Brassac et Ducher, « au sujet de la décision du Saint-Office sur le *Manuel Biblique*. Nous ne « faisons dans notre adhésion ni restriction ni réserve, en exprimant le vœu « que Votre Sainteté y reconnaisse la sincérité de notre obéissance Nous « ferons dans le même sens l'éducation de nos Séminaristes, pour qu'ils « apprennent de nous comment et de quel cœur ils doivent toujours suivre, « coûte que coûte, la direction du Saint-Siège ».

Argumenta pro solutione

ANIMADVERSIO. — Planum est in lege abstinentiae distingui debere substantiam praecepti a modo quo observandum illud est in aliqua regione. Substantia praecepti, in casu, est, ut, per Quadragesimam bis in hebdomada, praefinitis diebus, abstinentia servetur, eaque est lex generalis; modus vero, in casu, est, ut particulari lege hi dies praefiniantur feria IV et VI. Iamvero etiam peregrini, ad normam can. 14 § 1, 3°, tenentur observare *leges generales*, in loco ubi hae vigent: haud itaque dubium, quin iidem et in dioecesi Namurcensi, aliisque de quibus in casu, teneantur substantia praecepti quae ibidem plane viget; vicissim, ex n. 2° eiusdem paragraphi, peregrini non tenentur ad servandas leges *particulares* territorii in quo versantur, licet id libere possint; et ideo, in casu, per se non obligantur ad servandam abstinentiam feria IV loco sabbati, prout tenentur incolae loci, licet id libere possint. Hinc prono fluit alveo, eos teneri quidem, praeterquam feria VI, abstinere a carnibus, vel feria IV vel sabbato, prout maluerint, optione nempe eis permissa, in hoc, inter ius commune et ius particulare. Quare, etc.

Resolutio.

RESOLUTIO. — In plenariis porro Comitiis S. Congregationis Concilii, habitis in Palatio Apostolico Vaticano die 9 mensis februarii, anno 1924, E.mi Patres ad propositum dubium respondendum censuerunt: *Teneri alterutra die ad libitum, remoto tamen scandalo.*

Approbatio Pontificis.

Quam resolutionem, referente postmodum infrascripto S. C. Secretario SS.mus D.nus Noster Pius div. Provid. PP. XI approbare et confirmare dignatus est.

† *Iulius*, Episc. tit. Lampsacen., *Secretarius*

ANNOTATIONES

I. **Quaestionis factae momentum.** Duplici respectu responsum ad dubium ab Ill. Episcopo Namurcensi propositum non modici momenti esse demonstratur: *extensione* applicationis, et *principio solutionis*.

1. *Extensione applicationis.* Etenim: *a)* non in sola Namurcensi dioecesi, sed etiam in toto Belgio et in Gallia universa, ut Orator observat, abstinentia sabbatina ad Feriam IV in Quadragesima translata

est. Immo aliae quoque regiones eadem disciplina utuntur: v. g. Anglia et Hollandia. - *b)* Praeterea, de aliis disciplinaribus Ecclesiae legibus similis quaestio oriri potest. Sic, etiamnum, in paucis regionibus ubi vetus calendarium vigeat, plura praecepta communia de ieiunio, de abstinentia, de festiva observatione, aliis diebus atque apud nos, ibi servanda sunt. Alia quoque die Vigilia Assumptionis celebratur in Germania (sabbato ante dominicam in quam translata est sollemnitas), alia die in Italia.

2. *Ipso solutionis principio.* Re quidem vera, si fidelibus Belgii vel Galliae optio daretur abstinendi carnibus vel sabbato vel feria IV, ne species quidem dubitandi locum haberet. Optio incolis et peregrinis esset communis. Et non minus quam incolae, peregrini qui abstinentiam feria IV non elegissent, sabbatina abstinentia tenerentur vi c. 14, § 1, 3°.

Nec, si lex communis duas abstinentias singulis Quadragesimae hebdomadis omnibus explicite imperaret, sicut annua confessione et communione omnes fideles astringit, quispiam de levanda peregrinis obligatione alterius abstinentiae cogitare potuisset.

Verum nusquam legitur lex sic fere concepta: « Abstinentia a carnibus servanda est bis in singulis Quadragesimae hebdomadis, et quidem communiter feria IV et sabbato »; sed canon 1252, § 2 ita habet: « Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria IV Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae ».

Possit igitur quis hoc modo ratiocinari. Peregrini, in Belgio, sabbatina abstinentia non tenentur, cum ista communis lex de sabbatina abstinentia Belgas in Belgio non obliget (arg. c. 14, § 1, 3°.), nec tenentur abstinentia feria IV, cum haec sit propria Belgii obligatio, qua, c. 14, § 1. 2., peregrini eximuntur.

Statim tamen huiuc benignae solutioni occurrit

haec ultronea obiectio. Pontifex in nullam abstinentiae sabbatinae suppressionem sed tantum in eius translationem consensit. Quo pacto possis translationem in dispensationem ad usum peregrinorum convertere ?

Nonne igitur, sicut in animadversione responsioni praemissa declaratur, in ipsa communi lege substantiam et modum quo vestitur distinguere oportet ? Praecepti substantia, in casu praesenti, est altera abstinentia hebdomadaria, cuius dies tamen ipsa lege sit definitus. Modus est ut praecipiatur feria IV vel sabbato.

Itaque dum Namurcenses carnibus feria IV abstinent, quamnam legem observant? Legem particularem ? Minime ; sed observant modo particulari legem communem.

Haec autem cum etiam Namurcenses obliget, peregrinos quoque, vi c. 14, § 1., Namurci tenebit. An dices istud mirum, ratione modi peculiaris peregrinos a substantia dispensari ?

Multo veri similius foret peregrinos, ratione servatae substantiae, etiam modo inseparabiliter coniuncto astringi, ita ut hanc regulam proponeres : « Peregrini tenentur servandis legibus communibus eo modo quo in territorio ubi degunt servari debent ». Quia tamen modus communis non est ibi observatu impossibilis, S. C. *Concilii* merito magis benignum responsum dedit, quo mere alterutro die ad libitum teneri declarantur.

Dices tamen utrumque diem, feriae IV et sabbati, esse taxative canone 1252 definitos, neque ex eius tenore extrahi posse formulam quae mere substantiam praecepti exhibeat. Quod verum esse concedimus, si sola verba consideres et non potius ad mentem Legislatoris attendas. Quaenam erit, audito canone 1252, spontanea eius interpretatio vel in alia verba traductio ? Nonne haec ? Pontifex ad duos hebdomadae dies restringit abstinentias quae antea, lege communi, erant

cotidianae, iisque praefigit feriam VI et sabbatum. - Qua ratione episcopi postularunt ut altera abstinentia diem fixum obtineret feriam IV ? Hac, ni fallimur vel huiusmodi : « populo nostro difficile nimis videtur ut per plures hebdomadas duos continuos abstinentiae dies observandos habeat. Sinas igitur, intacta abstinentiarum pluralitate, ut altera abstinentia diem mutet ».

Nonne igitur consideratione ista fit manifestum, in textu allegati canonis virtualiter seu aequivalenter contineri praeceptum substantiale de duabus abstinentiis hebdomadariis ; praeter modum minus substantialem, aeque tamen praeceptum, abstinentiae sabbatinae praeter abstinentiam feriae VI ?

Optime iam, ante Codicem, LEHMKUHL, I, 336. loquendo de ieiunio quod, lege communi indictum, non eodem die ubique observandum sit, ieiunium istud dicebat « *quoad substantiam*, lege universali praescriptum ».

His perpensis, perspicitur momentum sollemnis resolutionis quae utrumque ipsa authentica applicatione confirmat :

1. In praeceptis communibus, quamvis indivisibili formula efferantur, ratione distingui potest substantia praecepti et modus cui veluti incorporatur.

2. Cum modus peculiaris in aliquo territorio viget observandi commune praeceptum, peregrini minime ideo a servanda praecepti substantia dispensantur, peculiari tamen modo non tenentur, ita ut integrum ipsis sit dispensationem a modo communi participare, vel modum communem observare.

III. Quia distinguebant substantiam praecepti a modo, ideo classici doctores satis dubii haeserunt de casu, tunc temporis frequentiore, peregrini qui, in loco domicilii adhuc duas hebdomadas quadragesimae celebrandas haberet, et qui advenit in locum ubi, propter usum antiqui calendarii, iam Alleluia Paschale

cantatum sit. Etenim, uit ait LESSIUS, L. 4, c. 2, n. 59: « videntur teneri quia hoc praeceptum (Quadragesimae) est generale; ergo obligat ubique et ubique impleri debet ». Quibus verbis ipse substantiam praecepti a modo distinctam agnoscebat. Quamvis severitatem istam valde probabilem iudicaret, obligationem tamen non urgebat, propter tacitam condicionem obligationis: « si sint in loco ubi tempus nondum est expletum », et propter difficultatem separati ieiunii; seu, ut ait LAYMANN, L. I. tr. 4, c. 11, n. 8 « quia mens Ecclesiae non videtur esse » obligandi ad separatum ieiunium, seu ex benigna mente Ecclesiae.

IV Responso isto confirmatur quod scribebamus *Theol, mor.* I, 287: « In loco ubi feria IV abstinetur, peregrini, si ibi totam hebdomandam transigunt, optionem habebunt observandi feriam IV vel sabbatum. In casu enim, privilegium locale non est dispensationis, sed mutatae diei. Possunt itaque peregrini privilegio locali uti ut suam obligationem in feriam IV transferant; et possunt quoque sabbato, legem communem servare ». Quando autem ad eos excusandos qui feria IV sint in loco ubi sabbato abstinetur carnibus, sabbato vero in loco ubi feria IV abstinendum est, LEHMKUHL, I, 236, benignam mentem Ecclesiae appellat, ipse calculum adicit suffragio psaestantissimorum theologiae moralis doctorum.

V. Demum responso S. C. *Concilii* monentur peregrini ut scandalum removeant. Hoc autem hodie fiet sine difficultate, propter frequentes dispensationis causas et generalem dispensationem quae in pluribus locis viget in gratiam eorum qui in diversoriis cibum sumant. Ac declarata peregrini qualitate iam fere occasio scandali supprimitur.

6. — S. C. De Religiosis

Responsio 1 feb. 1924

DE SUPERIORIBUS DOMORUM FILIALIUM

(A. A. S. 1 mart. 1924, XVI, 95)

Domus stricte filialis, quaenam sit.

Cum in aliquibus Ordinibus aut Congregationibus Religiosis exstent Domus *stricte filiales*, quae videlicet non constituunt propriam Communitatem nec bona propria possident, sed sunt quasi membra Domus maioris, a qua omnimode dependent et reguntur a Superiore delegato *ad nutum* Superioris, qui totam gubernat Communitatem et residet in Domo maiore, proposisitum fuit dubium : « An Superiores Domorum *stricte filialium*, « de quibus agitur: qui sunt simplices delegati *ad nutum* Su« perioris Domus matricis, veniant sub nomine Superioris lo« calis ad sensum Codicis iuris canonici ».

Dubium de his domibus.

Responsio Patrum,

Sacra Congregatio de Religiosis, exquisito voto plurium Rev.morum Consultorum, rem definiendam E.mis proposuit, qui in plenario Coetu habito ad Vaticanum die 30 novembris, 1923, re mature perpensa, respondendum censuerunt : *Negative; et ad mentem.*

addita mente

Mnes autem est ut in revisione Constitutionum singulorum Ordinum aut Congregationum ad Codicem conformatarum, apposite provideatur per applicationem eorum canonum qui circa relationes inter subditos et praepositos pressius versantur prout in singulis casibus opportunum iudicabitur.

Approbatio Pontificis.

Facta autem de praedictis relatione Ss.mo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI, in audientia habita ab infrascripto P. Secretario, die 5 decembris eiusdem anni, Sanctitas Sua resolutionem E.morum Patrum in omnibus approbare et confirmare dignata est, et publici iuris fieri mandavit.

Dies (1 feb. 1924.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die prima februarii 1924.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.

ANNOTATIONES

Responsio S. Congregationis manifesta ratione innititur quam ipsi secuti eramus in *Epitome Iuris*

canonici, I, 481. Duae tantum difficultates solvendae supersunt: *quibusnam notis domus stricte filialis dignoscatur*; *quo spectet addita ad responsionem mens*.

I. **Quaenam domus sint stricte filiales.** Responsio S. Congregationis illas tum *negative* tum *positive* describit.

Negative, per verba: nec propriam communitatem constituunt, nec bona propria possident.

Positive, per haec alia: sunt quasi membra domus maioris a qua omnino dependent; reguntur a Superiore delegato *ad nutum* Superioris qui totam gubernat communitatem et residet in domo maiore.

De his notis haec observanda veniunt.

Prima nota negativa vere essentialis est et quasi totum complectitur. Ex ipsis enim principiis de societatibus, novimus communitatis et Superioris esse correlativas rationes: propria communitas esse nequit sine vera auctoritate qua regatur; nec verus Superior localis est sine propria communitate. Si autem quaeras, quid propriam communitatem efficiat, dici quidem potest communitatem saltem tribus personis constitui debere, ita ut ubi regulariter duo tantum sint religiosi, propria communitas non habeatur. Sed praeter istam numericam exigentiam, nihil aliud per primam notam negativam docemur: hac lecta, reponitur quaestio, quibusnam signis propriam communitatem haberi vel non haberi dignoscatur.

Quid de altera nota negativa: « nec propria bona possident ». Communitas quae vere propria bona habeat est distinctum iuris subiectum; est persona moralis, quae hic cum communitate confunditur. Quare bonorum propriorum possessio veram communitatem demonstrat. Cavendum tamen est ne tamquam bona propria communitatis consideremus bona beneficii cuius titularis esse potest religiosus pertinens ad improprie dictam communitatem. - Verum exclusio bo-

norum propriorum rationem verae communitatis non excludit. Codex enim non prohibet quin omnia bona Instituti ad unum subiectum morale pertineant atque uni, v. g. oeconomo generali administranda committantur. Ac novimus Institutum approbatum, quod hoc regimine utitur.

Ut ergo propriam communitatem ab impropria secernamus, ad notas positivas nos convertere debemus.

" Sunt quasi membra domus maioris „ Omnino itaque necesse est ut domus maior ad quam pertineant indicari possit.

« A qua omnino dependent ». In domo itaque maiori religiosi domus filialis reperire debent Superiorem cui tamquam locali oboedire debeant; oeconomum qui rem familiarem administret, quamvis adiutorem in domo filiali habere queat; capitulum in quo vocem activam et passivam habeant; confessarios quos tamquam propriae domus confessarios adeant (non exclusis confessariis pro domo filiali additis); consultores qui Superiori domus maioris adstent.

" Reguntur a Superiore delegato ad nutum Superioris qui totam gubernat Communitatem et residet in domo maiore „. Profecto, si ipse Superior domus maioris per suum delegatum revocabilem ad nutum, domum minorem regit, clarissimum signum possidemus domus stricte filialis. Estne tamen istud necessarium? Si notam istam necessariam ponas, in variis religionibus hodiernis, ubi ipse minister vel supprior domus maioris a Superiore locali nec designatur nec removetur, domus stricte filialis nulla exsistere poterit. Verum sufficere putamus, ut potestas illius qui domum filialem regit sit tota quanta delegata, sive a Superiore locali, sive etiam a Superiore maiore.

Ita nihilominus dubium est expressum, ut suppo-

nat Superiorem ab ipso Superiore domus matricis delegatum esse. Sic autem responsum non obtinebit nisi valde circumscriptam applicationem. Delegatio enim a Superiore locali fere non alibi reperietur nisi in monasteriis sub Abbate vel simili Praelato constitutis, vel in aliis domibus sui iuris, ubi Superiorissa sit simul localis et maior.

Sed analogia uti licebit ut de communitatibus plene ab alia dependentibus quarum Superior non sit nisi delegatus, idem teneamns.

Ut hactenus dicta in pauca cogamus, a domo stricte filiali abiudicanda sunt propria bona, proprii domus consultores, eique praeesse debet qui nullam propriam sed tantum delegatam auctoritatem habeat, et sit, ut Superior, ad nutum revocabilis.

Exempla domorum stricte filialium. « *Simplices oboedientiae* », de quibus R. P. MOLITOR, *Religiosi iuris capita selecta*, p. 377 haec habet: " In his unus vel alter sacerdos religiosus cum uno aut pluribus conversis in domo missionis vel in parochiali, quae monasterio unita est... residet. Hae (oboedientiae) per se nullam aut minimam tantum collegii formam ostendunt, domusque huiusmodi non sunt nisi stationes quaedam cum animarum cura aut sine ea, aut institutae ad possessiones monasterii administrandas „. - « *Simplices prioratus* », quos sic describit idem auctor: « Aliquot religiosi apud monachalem aut regularem ecclesiam vitam degunt communem cum observantia regulari, i. e. in communi resident domo, communiter exercitiis vitae incumbunt regularis, a peculio abstinent et Superiori locali obediunt... proprium distinctumque capitulum seu collegium in ecclesia ubi habitant re vera non efficiunt. Et plerumque in temporalibus et spiritualibus Superiori abbatiae... subduntur, cuius mandato ad certum tempus aut ad nutum destinati sunt ecclesiae illius servitio. Qui eis immediate

praeest, vix umquam iurisdictione in foro potitur externo, sed domum ad tempus gubernat altioris nomine, cuius beneplacito muneri praeficetur indeque removetur. Nec ullo religiosi illi gaudent suffragio, nisi forte in gremio monasterii maioris a quo dependent „. - *Parvae Sororum communitates*, constitutae tribus Sororibus quae in pagis elementariis scholis praeficiuntur, vel aegrotis in nosocomiis assistunt.

Quid autem si Sorores istae, potius quam a Superiorissa domus maioris, pendeant a Superiorissa Provinciali vel Generali, ita ut pauca vere leviora Superiorissae locali linquantur?

Quamvis responsum has communitatetes non attingat, a mente tamen declarationis recedere non arbitramur, si neque hic vere Superiores locales secundum Codicem adesse putemus. Quod, ni fallimur, admiserit quoque MOLITOR, qui n. 311 op. c. huiusmodi coetus cum prioratibus simplicibus connumerat.

II. **Quo spectet subiuncta mens?** Fatemur rem satis obscuram nobis videri. Verba sunt parum definita; nec perspicue dicitur quid procurandum, quid cavendum in Constitutionibus recognoscendis sit. Atque observes, plerumque in Constitutionibus de domibus stricte filialibus nihil diserte proponi.

« Apposita tamen provisio », de qua in responsione, haec esse poterit: *a)* ut, attenta Instituti ratione et statu, S. Congregatio domos filiales admittat vel reiciat; *b)* ut caveat, ne nomine filialis domus abutantur ad eludendam legem de triennali, semel tantum iteranda, Superioris localis constitutione in eadem domo; *c)* ut impediat ne, etiam in domibus stricte filialibus, Superiores delegati evadant perpetui; *d)* ac praesertim ne religiosi vel religiosae, in minoribus istis domibus, paulatim a fervore vitae religiosae decidant vel nimis diu Superiorem sibi ingratum ferre cogantur.

7. — S. C. de Religiosis

Instructio 6 febr. 1924

DE CLAUSURA MONIALIUM VOTORUM SOLLEMNIUM
(A. A. S. 1 mart. 1924, XVI, 96)

Instructionis occasio et opportunitas.

Nuper edito ab hac Sacra Congregatione decreto « circa moniales in Gallia et in Belgio », sub die 23 iunii 1923, quamplura monasteria ex illis regionibus alacriter egerunt de obtinenda facultate qua moniales eorumdem ad vota solemnia profitenda admitterentur; et enixe postularunt, ut de Clausurae Papalis lege, quae talem concessionem consequitur, rite ab hac Sacra Congregatione instruerentur.

Considerans vero eadem Sacra Congregatio, legem clausurae in Codicem iuris canonici receptam ex veteri iure esse depromptam; eamque a S. Pii V tempore servatam, quamplurimis Sacrarum Congregationum responsis communitam et Doctorum elucubrationibus illustratam fuisse, opportunum iudicavit ut Instructio promulgaretur, quae veluti norma pro universis monialium monasteriis, in quibus vota solemnia emittuntur, esse queat.

Re igitur mature perpensa, Sacra Congregatio, ea quae sequuntur, circa legem Clausurae Papalis, servanda decrevit:

I. Quid clausura papalis secum ferat substantialiter pro Monialibus.

I. Moniales, vi suae professionis et legis ecclesiasticae, contrahunt obligationem:

a) semper manendi intra septa sui cuiusque monasterii, ita ut, sine speciali Sanctae Sedis indulto, inde exire non liceat, salvis casibus de quibus infra (can. 601);

b) nec admittendi intra eadem septa quamcumque personam cuiusvis generis, conditionis, sexus, aetatis, sine licentia Sanctae Sedis, nisi persona sit a iure excepta, ut infra (can. 600).

Haec est Clausurae Papalis lex et obligatio, eaque afficit etiam monasteria in quibus monialium numerus quantumcumque imminutus sit.

II. Consequens materialis aedificii et variarum rerum dispositio.

II. Monasterium ergo, una cum adiacentibus hortis et viridariis (can. 597 § 2), ita circumseptum esse debet, ut, quoad fieri potest, nullus sit in ea vel ab iis prospectus externarum personarum (can. 602).

1º Si quae fenestrae respiciant publicam plateam vel domos vicinas, vel communicationem cum extraneis permittant,

ita vitris opacis vel valvulis (foriculis) muniri debent ut prospectus hinc inde impediatur.

2º Si chorus crates habet per quas moniales altare videant, ita crates dispositae esse debent ut fideles, e loco ipsis reservato, ipsas moniales videre nequeant.

3º Sedes confessionalis ita disposita sit opertet ut confessarius extra clausuram, poenitentes vero intra reperiantur.

4º Locus in quo moniales sacram Communionen recipiunt, ita, sive porta sive sipario, occlusus esse debet, ut moniales a fidelibus videri nequeant.

5º Apud ianuam monasterii in sacrario et ubicumque necessarium videatur, rota muro inseratur, per quam res necessariae transmitti possint. Nihil obstat, quominus hac in rota parvum foramen sit, per quod videri possit quaenam res rotae immittantur.

6º Intra limites Clausurae Papalis non comprehenditur publicum templum cum continenti sacrario, ad quae propterea, sine Sanctae Sedis indulto, moniales accedere nequeunt.

III. Duobus modis lex clausurae violari potest: aut per indebitum *egressum monialium* e septis monasterii, quocumque praetextu, etiam ad breve tempus, factum (can. 601), aut per indebitum *ingressum cuiuscumque alius personae* sine licentia Sanctae Sedis. *III. Duplex violationis modus.*

1º *Egressus* e monasterio sine licentia Sanctae Sedis monialibus, post professionem, licet solummodo in casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali. Hoc periculum, si tempus suppetat, ab Ordinario loci scripto recognosci debet (can. 601). *1. per egressum.*

a) Talia pericula erunt: incendium, inundatio, ruina fabricae, terrores belli, invasio militum et cetera huiusmodi. Eadem provenire possunt etiam ex parte cuiusdam monialis, exempli gratia, dementia periculosa affectae aut morbo epidemico laborantis, quo in casu huiusmodi monialis e clausura recedere debet, ut incolumitati religiosae communitatis consulatur. Si tamen tempus permittat, Ordinarius loci, a monialibus rogatus, periculum et causam sufficientem egrediendi e clausura scripto recognoscere debet. *Casus excepti.*

b) Sine licentia Sanctae Sedis ergo non potest monialis ab uno monasterio ad aliud, etiam eiusdem Ordinis, nec ad breve tempus, transferri, nec exire causa novae fundationis faciendae; nec ut exerceat munus abbatissae seu antistitae aut magistrae novitiarum; nec ad curandam valetudinem; nec ad *Casus petendae licentiae.*

invigilandum aedificationi novi monasterii. Quae tamen licentiae a Sacra Congregatione, iustis de causis et debitis praescriptis conditionibus, concedi solent.

De tecto

c) Si supra tectum monasterii sit ambulacrum, ad illud accedere moniales poterunt, dummodo cratibus undequaque rite protegatur.

De curanda ecclesia.

d) Cum saepissime necessitas adsit, ut moniales, propter decorem domus Dei, per seipsas in ecclesia exteriore ea faciant, quae requiruntur ut semper debita munditie et nitore resplendeat, et praecipue in festis maioribus convenienti ornatu decoretur, Sancta Sedes, pro monasteriis id petentibus, antistitae facultatem concedit designandi religiosas, quotquot videantur necessariae, quae, tempore quo nemo est in ecclesia et haec omnino clausa manet, in eam descendere possint, ut ea omnia agant quae ad cultum ecclesiae eiusque munditiem pertinent.

De postulantibus, de discedentibus Monialibus.

e) Quamvis adspirantes ad habitum religiosum, dum postulatum peragunt, lege clausurae teneantur (can. 550 § 2), tamen libere et absque licentia Sanctae Sedis e monasterio egredi possunt quando ad saeculum sponte eas redire aut a superioribus dimitti contingat; et idem de novitiis dicendum, aut de professis votorum temporariorum, quando vota expiraverint vel legitime dimissae fuerint.

2. Per ingressum *aliarum personarum Casus visitationis canonicae;*

2. *Ingressus* in monasterium sine venia Sanctae Sedis, vi can. 600, sequentibus personis licet:

a) Ordinario loci aut superiori regulari monasterium visitantibus, vel aliis visitatoribus ab ipsis delegatis, licet clausuram ingredi dumtaxat inspectionis causa, cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus vir maturae aetatis eos comitetur (can. 600, 1).

b) Pro sola igitur visitatione *locali* peragenda visitatori clausuram ingredi licet. Visitatio *personalis* extra clausuram ad crates fieri debet. Nec Ordinario aut superiori regulari aut visitatori extra actum visitationis ratione officii clausuram ingredi fas est.

explorandae vocationis et electionis;

c) Causa explorationis, quae ante vestitionem et utramque professionem ab Ordinario loci vel eius delegato fieri debet, nec non pro electione antistitae, Ordinarius loci aut eius delegatus clausuram ingredi non debet (can. 506 § 2, 552 § 2).

vestitionis et professionis;

d) Si vestitioni vel professioni monialium Episcopus vel alius sacerdos praesit, neque ipsis clausuram ingredi, neque postulanti aut professurae ex ea egredi licet.

e) Visitator ingressurus clausuram inspectionis causa, ab uno saltem clerico vel religioso, etiam converso, maturae aetatis, comitari debet, qui toto tempore, quo in monasterio moratur, ab eo non discedat. *De socio Visitationis;*

f) Confessarius, vel qui eius vices gerit, potest, cum debitis cautelis, ingredi clausuram ad ministranda Sacramenta infirmis aut ad adsistendum morientibus (can. 600, 2°). Haec facultas respicit confessarium ordinarium monasterii, vel qui eius vices gerit, quibus ex can. 514 § 2 competit administratio Sacramentorum et adsistentia morientibus in monasteriis monialium; in horum defectu alius etiam sacerdos clausuram ingredi potest. *De confessario;*

g) Ad excipiendas confessiones aegrotantium ingredi clausuram potest, quoties requiratur, non solum confessarius ordinarius, sed etiam extraordinarius vel adiunctus aut confessarius quilibet a graviter aegrotante accersitus, de quo in can. 523 fit sermo.

h) Debitae cautelae adhibendae *pro Communione administranda* in decreto Sacrae Congregationis de Religiosis diei 1ae septembris 1912 exhibentur: « Oportet ut quatuor religiosae « maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram « usque ad egressum sacerdotem comitentur, qui sacram pyxi- « dem, aliquas consecratas Particulas continentem, deferre, « sacram Communionem administrare, reverti ad ecclesiam, « eamdemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubri- « cis a *Rituali Romano* pro Communione infirmorum statutis ». *Cautelae pro communione.*

i) Pro Confessione excipienda sequentes cautelae praescribuntur: duae moniales confessarium ad cellam infirmae comitentur ibique ante ostium cellae apertum expectent, dum Confessionem audit, ut redeuntem ad monasterii ianuam iterum comitari possint. *pro confessione.*

k) Quandocumque sacerdotem ad supradicta ministeria obeunda clausuram ingredi contingat, finito ipso ministerio statim e monasterio egredi debet.

l) Si verbum Dei monialibus ad crates commode praedicari non potest, Sanctae Sedis licentia exquirenda est, quae, si graves adsint rationes, eam denegare non solet, ut praedicatores clausuram ingredi et in choro sive in capitulo praedicare valeant, servatis tamen animadversionibus et cautelis pro ingressu confessarii supra descriptis. *Quid de praedicatore?*

m) Possunt clausuram ingredi qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu; item Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales (can. 600, 3°). *Personae exceptae.*

n) Antistitae est, adhibitis debitis cautelis, ingressum permittere medicis, chirurgis, aliisque quorum opera est necessaria, impetrata prius saltem habituali adprobatione ab Ordinario loci; si vero necessitas urgeat, nec tempus suppetat adprobationem petendi, haec iure supponitur (can. 600, 4°).

o) Antistita ergo, facultate hac ipsa lege a Sancta Sede sibi tributa, potest omnibus personis, quarum opera intra septa monasterii necessaria est, ingressum permittere; prius tamen ab Ordinario loci saltem habitualem adprobationem obtinere debet. Hinc usuvenit, ut moniales in principio cuiuslibet anni in libro apposito recenseant eos omnes, quorum opera, ut plurimum, in monasterio, vel in horto, vel in officinis intra septa monasterii sitis, durante anno, occurret (medicos, aut alios ad infirmarum curationem necessarios, operarios pro horto, pro cella vinaria, pro stabulis opifices et alias huiusmodi personas); quem librum Ordinario pro illa habituali adprobatione obtinenda subscribendum praesentent. Si vero in aliquo casu extraordinario necessitas monasterii ingrediendi urgeat, nec tempus suppetat adprobationem ab Ordinario petendi, haec adprobatio iure praesumitur, id est ipsa lex hanc praesumptionem ratam habet.

Cautelae generales.

p) Antistitae autem iniungitur in omnibus casibus debitas adhibere cautelas. Quae quidem cautelae in hoc consistunt quod personae ingredientes, ex assumptis certis informationibus, sint optimae ac moribus praestantes, a duabus monialibus, ex gravioribus, ad locum, ubi eorum opera requiritur, comitentur, nec ulli moniali permittatur huiusmodi personas alloqui praeter eas, quae cum illis de eorum officiis agere debent.

IV. Clavium custodia.

IV. Claves clausurae diu noctuque semper sint apud antistitam, quae illas tradet monialibus designatis, quoties opus fuerit.

Sanctio censurae.

Quod si antistita vel quaelibnt alia, personam quamcumque sine legitima licentia in monasterium introduceret, vel solum admitteret, non tantum graviter peccaret, sed etiam ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam incurreret (can. 2342, 1°).

De aspirantibus et instituendis puellis.

Adspirantes ad habitum religiosum ingrediuntur de licentia Ordinarii. Puellas tamen educationis causa vel alia etiam pia causa in monasterium admittere, absque Sanctae Sedis licentia, non licet.

V. Collocutorium.

V. In collocutorio, quo moniales, intra limites a Constitutionibus uniuscuiusque religionis praescriptos, externas personas recipere possunt, duae debent esse crates, inter se spatio

circiter viginti centimetrorum distantes atque muro infixae, ita ut aperiri nequeant. Si Constitutiones id permittant, in collocutorio etiam rota esse potest. Quo vero ad cetera omnia quae collocutorium respiciunt, praecipue circa continuam vigilantiam de iis quae ibi fiunt aut dicuntur, Constitutiones uniuscuiusque monasterii exacte observentur.

VI. Vigilantia Ordinarii et Superioris regularis.

VI. Clausura monialium, etsi regularibus subiectarum, quoad eius accuratam observantiam, sub vigilantia est Ordinarii loci, qui potest delinquentes contra eam, regularibus viris non exceptis, poenis quoque ac censuris corrigere post delictum et coërcere ne eam violent. Etiam superiori regulari custodia clausurae monialium sibi subiectarum commissa est, qui moniales aut alios suos subditos, si quid hac in re deliquerint, poenis quoque punire potest (can. 603).

Approbatio et mandatum Pontificis.

Facta autem de praemissis relatione SS.mo D. N. Pio div. Prov. PP. XI, in audientia habita ab infrascripto P. Secretario S. Congregationis de Religiosis, die 6 februarii 1924, Sanctitas Sua praesentem Instructionem approbavit et ab omnibus servari mandavit.

Dies (6 feb. 1924.)

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die, mense, et anno ut supra.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus*
Maurus M. Serafini, Ab. O. S. O. Secretarius.

ANNOTATIONES

I. **Instructionis occasio et opportunitas.** Postquam, decreto 23 iun. 1923, spes monialibus Belgii et Galliae data est sollemnitatem votorum recuperandi, facile intellegitur non modicum apud multas moniales desiderium excitatum esse votorum quibus magis authentice et magis secundum pristinum morem vitam religiosam profiterentur.

Verum honor iste a non levi onere separari nequit. Quare, fortasse ad temperandum aliquatenus multarum ardorem, et ne imprudentes deciperentur, statuit S. Congregatio praesenti instructione declarare quo modo etiam hodie legem clausurae papalis practice urgere proponat. Et cum de rigore istius clausu-

rae nihil remittat et fortasse paulo magis quam ipse Codex in severitatem inclinet, fieri satis facile poterit, ut saltem istae moniales quae clausura mitigata utebantur petendae sollemnitati votorum renuntient, nisi simul ad operum suorum necessitates regimen clausurae aptare permittantur.

Cum dispositiones Instructionis sint per se perspicuae, satis erit ut in his annotationibus earum summam demus et dein quibusdam quaesitis satisfaciamus.

II. *Instructionis summa.* Instructio, in primis distinguit substantialia clausurae, quae duabus regulis c. 600 et 601 continentur, et dispositiones vel explicationes quibus disciplina clausurae perficitur.

1. *Substantia* clausurae ad has duas obligationes redigitur, perpetuae mansionis intra saepta, pro claustratis, et exclusionis aliarum personarum. Instructio addit hoc monitum, moniales nullo minimi numeri praetextu ab observanda clausura eximi.

2. *Complementa.* Prima dispositione sub II posita, Instructio simul componit c. 597, § 2, qui loca clausurae obnoxia definit, et c. 602, qui praecipit ut, quantum fieri potest, nullus sit in ea loca vel ab iis prospectus externarum personarum. In hoc tamen Instructio a Codice discrepat, quod canon quo prospectus vetatur ponitur ut lex distincta, dum in Instructione fit corollarium; ut probat usus vocis " Ergo „. Descendens dein ad particularia, Instructio vult 1. ut ipsae moniales non possint per fenestras prospicere vel conspici; 2. ut ipsae nec per chori crates, nec 3. per locum quo s. communionem recipiunt conspici queant. Pro transmissione rerum necessariarum una vel plures rotae muro inserantur. Sed confessionalis sedes ita disponenda est ut confessarius sit extra clausuram, paenitentes vero intra. Demum, cum publicum templum cum continente sacrario sit extra clausuram (c. 597, § 2),

accessus ad ea monialibus sine S. Sedis indulto prohibetur.

Sub n. III. agit Instructio de duobus modis quibus clausura violari potest, i. e. de monialium egressu et de ingressu aliarum personarum. Unde, 1. accuratius determinans normas de egressu: *a)* admittit exceptionem (per se, si tempus suppetat ab Ordinario recognoscendam scripto), in casu imminentis gravissimi mali, et indicat per exempla huiusmodi pericula. Ac notat originem esse posse unam monialem quae, sive propter dementiam, sive propter morbum contagiosum, incolumitati communitatis periculosa evadat; *b)* excludit sine licentia S. Sedis, egressum ob translationem ad aliud monasterium, etiam ad utile munus exercendum, vel ob curam valetudinis, etc.; *c)* accessum ad tectum admittit, dummodo rite cratibus protegatur; *e)* monet facultatem a S. Sede concedi ut antistita designet religiosas quae ecclesiae curam gerant dum est deserta et clausa. - *e)* Addit libere ad saeculum redire et proin clausura egredi posse aspirantes, novicias, professas quarum vota cessarint.

2. *Quod ad ingressum:* a) *Ordinariorum vel delegatorum* ingressus pro sola visitatione locali, non pro personali Ordinario loci et Superiori regulari permittitur, cauto de uno saltem comite clerico vel religioso etiam converso, maturae aetatis, qui a visitatore non discedat. Nec pro voluntatis exploratione, nec pro electione, nec pro vestitione vel professione, fit exceptio legibus clausurae (2. a-e). - *b)* Ingressus *confessarii* vel eum *supplentis* permittitur ad ministranda sacramenta, vel ad assistendum morientibus. In horum defectu etiam alius sacerdos clausuram ingredi potest. Cum agitur de graviter aegrotantibus, quilibet, pro mulieribus approbatus, quotiens accersitus sit, clausuram ingredi potest (f). *Cautelae*, pro communione: quattuor, si fieri possit, religiosae, maturae

aetatis, sacerdotem comitentur. - Pro confessione : duae confessarium comitentur et eum dein ad ianuam cellae apertae exspectent. Finito ministerio, sacerdos statim egredi debet. - *c)* Ingressus *praedicatoris* propter gravem causam a S. Congregatione permittitur ut praedicatio in choro vel capitulo fieri possit. - *d)* Ingressus *personarum* quarum opera necessaria est, per facultatem habitualem ab episcopo datam antistitae, cum debitis cautelis, permitti potest. Habitualis approbatio dari potest, in libro apposito, in quo numerentur personae quarum opera necessaria praevideatur. In casu urgente, ius ratam habet praesumptionem facultatis (m-p). Cautelae sunt explorata honestas personae admissae, comitatus duarum monialium, allocutio reservata solis iis de quarum officiis agitur.

Sub IV. praecipitur perpetua custodia clavium apud antistitam. - Sanctio excommunicationis contra introducentes vel admittentes memoratur. - Admissio aspirantium fit cum licentia Ordinarii ; puellae educandae vel ob piam causam hospitandae, cum licentia S. Sedis.

Sub V. in collocutorio esse iubentur duae crates 20 centimetris inter se distantes, et muro infixae.

Sub VI. agitur de vigilantia Ordinarii loci et Superioris regularis, et de facultate ferendi poenas contra violantes clausuram.

III. **Variis quaestionibus satisfit.**

1. *De prospectu.* Quid, si sine magnis sumptibus prospectus in hortum, v. g. impediri nequeat ?

Resp. Prospectus huiusmodi non est impediendus nisi *quoad fieri potest.* Ergo nimii sumptus non sunt ideo faciendi.

2. *De saeptis.* Debetne muro monasterium esse circumsaeptum ?

Resp. Materiae genus quo monasterium claudatur

non est definitum. Ergo omne genus, intento sufficiens, admitti potest.

3. *De egressu.* *a*) Instructio causas tantum memorat quae incolumitatem ipsius communitatis respiciunt. *Quid*, sit agatur de periculo unius personae ?

Resp. Periculum istud sufficere procul dubio est. Casus esse poterit si propter gravem causam, manus chirurgi patienda est, nec vult chirurgus extra nosocomium, ubi cautiones asepticae praesto sint, operationem tentare. De gravitate rei episcopus iudicabit.

b) Antiquus usus plurium est monasteriorum ut, ante vestitionem, candidata e clausura exeat et mox redeundo promptam voluntatem divini famulatus exhibeat. Poteritne usus iste servari ?

Resp. Egressus iste Codice, c. 601, § 1, non prohibetur. Namque indultum S. Sedis non postulatur nisi pro monialibus quae professionem fecerint. Sed praesenti Instructione casus iste excluditur.

4. *De ingressu.* Quid si in cella confessio personae surdae excipienda sit ? Debetne tunc ostium manere apertum ?

Resp. Necessitas bonae confessionis manifesto isti praescriptioni praevalere debet.

5. *De cratibus.* Debentne esse ferreae, in cuspidem formatae ? Debentne moniales esse velatae ?

Resp. Nihil aliud praecipitur nisi ut sint duae, inter se distantes 20 centimetris, et muro sint infixae. Ceterum nec de materia ex qua, nec de intervallis inter singula repagula, nec de velo monialium quidpiam lege praecipitur. Observandae sunt praeterea Constitutiones.

6. *De excommunicatione.* *a*) Quaenam personae illicite egredientes in eam incurrunt ?

Resp. Quamvis plures aliae (postulantes, noviciae, moniales simpliciter professae) *lege* clausurae teneantur, nec proin, sine peccato (levi vel gravi, secundum

materiam) clausuram egredi possint, solae tamen moniales quae sollemnem professionem fecerunt excommunicatione plectuntur. Etenim quae nondum professionem fecerunt non comprehenduntur c. 601 ad quem c. 2342 remittit; et solae professae votorum sollemnium sunt stricte moniales.

b) Quinam *egressus* excommunicatione punitur? Attenta mente benigna legislatoris, hodie egressum *verum* postulare possumus. Non excommunicatur igitur quae sit in tecto non protecto cratibus, praesertim cum prospectus distincto canone prohibeatur. - Ac BIEDERLACK-FUHRICH, n. 136 nota, non immerito putant transgressionem minimam a mortali excusari posse.

c) Quid si sacerdos, finito ministerio, non statim egrediatur e claustris?

Resp. Legem violat; sed nullam excommunicationem incurrit.

8. — S. C. De Religiosis

Responsio 2 mart. 1924

CIRCA DOTEM RELIGIOSARUM
(A. A. S. 1 apr. 1924, XVI, 165)

Dubii occasio.

Ad normam cann. 551 et 643, Religiosa professa, e Religione egrediens aut ex eadem dimissa, si quidem dotem attulerit, eam, absque fructibus iam maturis, recipiendi ius habet; sin vero fuerit sine dote recepta, nec ex propriis bonis sibi providere possit, caritativum quoddam subsidium illi suppeditandum est a Religione.

Contingit vero, ut exstent Religiones aut Monasteria, in quibus dos allata efferat pecuniae summam satis exiguam, atque adeo Religiosa discedens multo minus obtineat ex debita dotis restitutione quam aliter ipsi, si absque dote fuisset recepta, ex caritate esset suppeditandum.

Cum id omnino alienum a mente Legislatoris videatur, quem certo constat voluisse Religiosae discedenti iri provisum de iis omnibus quae requirentur, ut ipsa, modo tuto ac convenienti, domum redeat ac per aliquod tempus vivere possit, quaeritur :

Quaesitum.

« Utrum Religio, in qua dos non pertingit ad rationabilem « subsidii caritativi aestimationem, omni obligatione erga Religio- « sam discedentem liberetur ex simplici dotis restitutione, an e « contrario supplere teneatur id quod, iuxta can. 643 § 2, de- « fecerit ad aequum subsidium caritativum constituendum ? »

Resp.

Sacra Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit, prout respondet : « *Negative* ad primam partem, *affirma-* « *tive* ad secundam ; facto verbo cum Sanctissimo ».

Approbatio Pontificis,

Facta autem de praedictis relatione Sanctissimo Domino Nostro Pio div. Prov. PP. XI, in audientia habita ab infrascripto P. Secretario die 2 martii 1924, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis approbavit et confirmavit.

Dies (2 mart. 1924).

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die, mense et anno praedictis.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius

ANNOTATIO

1. Responsio S. Congregationis ita cum mente Legislatoris congruit ut superflua prima specie haberi queat. Verum valde utilis est ad amputandas contentiones et lites.

2. Frequens hodie casus est ut dos, praesertim Sororum conversarum statuatur centum libellis. Quod sane satis haeret infra summam caritativo subsidio necessariam. Haec mille saltem libellas plerumque attingere debet. Quare melius Sorori fuisset nullam dotem afferre, si sola dos ei restituenda sit.

3. Nunc autem, vi praesentis responsionis, caritativum subsidium fit minimum quod omni Sorori digredienti solvendum sit.

---

9. — S. Rituum Congr.

Responsum 4 maii 1923

DE SCAPULARIUM IMPOSITIONE (1)

Beatissime Pater,

Orator Procurator generalis Piae Societatis Missionum, ad pedes S. V. provolutus sequentis dubii solutionem humiliter petit.

Dubii occasio Decretum S. Officii d. d. 16 dec. 1910 (*Acta Ap. Sed.* vol. 3 p. 22) supponit fideles « per regularem ut aiunt impositionem » etiam imposterum scapularibus esse ascribendos et posthac pro scapularibus susceptis deferre posse numisma rite benedictum. Cum plurimi fideles, delaturi postmodum numisma, ab afferendis scapularibus, quibus post actum benedictionis nullatenus indigebunt, soleant abstinere, sacerdos in casibus ordinariis iuxta decretum S. Congregationis Indulgentiarum d. d. 18 augusti 1868 ad 1 (Decreta Auth. S. Congr. Indulgent. n. 421) unum idemque scapulare benedictum pluribus imponit.

Quaestio Aliquibus vero sacerdotibus ex indulto apostolico licet omittere scapularium impositionem, « cum sacrae missiones habeantur vel magna sit fidelium frequentia ». Quaeritur, utrum sacerdos in casu pronuntiare debeat integram formulam benedictionis et impositionis ac receptionis, nullo adhibito scapulari, an saltem ipse debeat prae se habere scapulare, supra quod formulam benedictionis, si nondum fuerit benedictum, et impositionis ac receptionis proferat, benedicturus postea numismata allata.

Et Deus, etc.

Dies (4 maii 1923) Die 4 maii 1923.

Responsio Attentis noviter deductis et Rescripto n. 4528 Secretariae Status ab E.mo D.no Card. Gasparri signato ex Audientia Ss.mi diei 22 martii 1920, circa interpretationem clausulae *omittendo scapularium impositionem:* eam, iuxta alias similes concessiones a Sacra Rituum Congregatione ex Audientia Ss.mi factas, ita esse intelligendam, ut omissio fiat ex parte sacerdotis, non autem ex parte recipientis seu ascripti sibi imponentis scapu-

(1) Ex documento originario transumptum.

taria vel singuli propria, vel singuli communia scapularia, quae ab uno traduntur alteri et sic successive.

Alexander Verde, S. R. C. Secretarius

L. ✠ S.

Philippus di Fava, Substitutus

ANNOTATIO

Rescriptum Secretariae Status 22 mart. 1920 in *Acta Ap. Sedis* inserta non fuit. Nos docet in collectiva scapularium impositione non posse praetermitti impositionem quam, loco sacerdotis, sibi quisque fidelis, scapulare recipiens, peragat; impositionem autem hanc duplici ratione legitime fieri. Si enim propria cuiusque scapularia desint, sufficit ut fideles successive, unus ab altero, commune, sibi imponendum, scapulare recipiant.

---

10. — S. C. Rituum

Responsa 1 febr. 1924

I.

DE IMPOSITIONE CINERUM ET BENEDICTIONE GUTTURIS

(A. A. S. 1 mart. 1924, XVI, 102)

Societatis Iesu seu dubia. — R. P. Procurator generalis Societatis Iesu sequentia dubia pro opportuna declaratione S. Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum: *Orator*

I. Quaestioni propositae ab Archiepiscopo Aquensi: « Num « permitti possit consuetudo vigens in illa archidioecesi impo- « nendi fidelibus, prima dominica Quadragesimae, cineres prae- « cedenti Feria IV Cinerum benedictos », Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit *ad mentem*, die 30 iunii 1922. Et *mens est*: « Affirmative in casu; dummodo Feria IV Cine- « rum ritus benedictionis et impositionis cinerum expletus fue- « rit iuxta *Missale Romanum* ». *I. Quaestionis de cineribus occasio.*

Quaeritur: Num eadem permissio valeat etiam pro Ora- « toriis Piarum Unionum seu Congregationum, vel sacellis ru- « ralibus, aliisque ubi peragantur exercitia pro opificibus, ut *Quaestio I.*

« iidem omnes facilius cineres recipiant et non careant hoc tam « perutili sacramentali ? »

II. Quaestionis de benedictione gutturis, occasio

II. In decreto S. R. C., n. 3196, *Vercellen.*, 20 martii anni 1869, legitur pro benedictione gutturis in Festo S. Blasii Ep. et Mart. adhiberi candelas in festo Purificationis B. M. V. benedictas et formulam : « Per intercessionem B. Blasii liberet te « Deus a malo gutturis. Amen ». Quum vero alia formula, tum pro benedictione candelarum in Festo S. Blasii Episcopi et Martyris, tum pro eorum appositione sub mento gutturi cuiusvis benedicendorum, prostet in *Rituali Romano* (edit. typ.), quaeritur : « An responsum S. R. C. in una *Vercellen.* valeat « adhuc, tum pro archidioecesi Vercellensi, tum pro aliis dioe- « cesibus ».

Quaestio II.

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, re mature perpensa, respondendum censuit :

Resp. ad I.

« Ad I. Affirmative, iuxta prudens Ordinarii iudicium in « singulis casibus, servato tenore decreti diei 30 iunii 1922.

Ad II.

« Ad II. Adhibeatur ubique oratio et formula *Ritualis Romani.* »

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 1 februarii 1924.

† A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Alexander Verde Secretarius.

Annotatio

Ad I. Ergo iam ubique, ubi adiuncta illud suadent, Ordinarius videtur concedere posse ut dominica 1° Quadragesima, extra missam, cineres imponantur ; semper tamen, in ipsa Feria IV Cinerum, fieri debet eorum benedictio et etiam impositio. Ordinarius, ad cuius prudens iudicium res committitur, absque dubio est Ordinarius loci ; agitur enim de sacramentali fidelibus administrando.

I. Pauwels, S. I.

II

DE FESTO S. EUSEBII

(A. A. S. 1. mart. 1924, XVI, 103)

Dubium de festo S. Eusebii apud regulares

Dubium. — Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XI, per Decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 25 octobris 1922, Festum S. Eusebii Ep. et Mart., quod Kalendario Universali affixum est, sub die 16 decembris, semiduplex, in cunctis Italiae huiusque Insularum ecclesiis sub ritu duplici minori in posterum mandavit.

Nunc quaeritur: « Utrum in illo Decreto includantur etiam « ecclesiae Religiosorum exemptae ? ».

Resp.

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis rescribendum censuit: « Affirmative ».

Dies (1 feb. 1924).

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 1ª februarii 1924.

† A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae,*
L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus,*

Alexander Verde, Secretarius.

Annotatio

Uti animadvertunt EPHEMERIDES LITURGICAE (1), decretum 25 oct. 1922, cum nullam faciat de regularibus mentionem, per se non videtur eos attingere qui proprium kalendarium habeant, quippe qui, ex decreto 28 febr. 1914 ad IV (*A. A. S.* 12 mart. 1914 p. 118), « amodo celebrare tantum debent officia localia Dedicationis et Titularis Ecclesiae Cathedralis, nec non festa sollemniora Patronorum principalium, ita *ut non amplius teneantur ad officia alcui regno, provinciae aut dioecesi concessa* » (2). Nisi ergo, in ipso decreto quo celebratio alicuius officii conceditur vel

(1) *Ephemerides liturgicae*, ian. 1924 p. 20.
(2) *Periodica* t. VII, n. 743, p. 214.

imponitur ecclesiis cuiusdam regionis, explicite dicatur hoc etiam valere pro regularibus qui proprio kalendario utuntur, uti v. g. factum est in decreto 12 apr. 1916, quo decernitur ut festum Translationis almae Domus B. M. V. sub ritu duplici maiori a singulis Italiae et insularum adiacentium dioecesibus, *necnon ab Ordinibus regularibus et religiosis Familiis, etiam proprio Kalendario utentibus* atque intra fines earum dioecesium commorantibus, die decima decembris, cum officio ac missa propriis iam dudum approbatis, quotannis celebretur: servatis rubricis « (*A. A. S.* 7 iun. 1916, p. 179) (1), ipsi ab indulto censendi sunt exclusi. Nonnumquam tamen postea fit ut huiusmodi indulta ad ipsos extendantur. Sic decreto 11 aug. 1915 (*A. A. S.* 4 sept. 1915 p. 441) (2) octava privilegiata SS. Apostolorum Petri et Pauli extensa est ad *omnes ex utroque clero* Romae eiusque districtu commemorantes. » Eodem modo, praesenti decreto ad religiosos exemptos Italiae huiusque insularum *extenditur* elevatio ritus festi S. Eusebii, Ep. et Mart.

I. PAUWELS, S. I.

11. — S. C. Rituum

Responsum 28 oct. 1922.

DE CURRU IN PROCESSIONIBUS

(A. A. S. 1 mart. 1924, XVI, 103).

Orator Ordinarius Bergomensis Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia reverenter exposuit:

Dubia « I. An liceat vel expediat in solemnioribus processionibus « quibus defertur Ss.mum Eucharistiae Sacramentum, praecipue « cum finis imponitur Eucaristicis conventibus, deferre Ss.mum « Sacramentum super currum triumphalem, baldachino cooper-

(1) *Periodica* t. VIII, n. 138, p. 253.
(2) *Periodica* t. VIII, n. 144, p. 258.

« tum, magnificeque exornatum, equis tractum, super quem « ascendit etiam sacerdos qui processioni praeest, quique O- « stensorium regit genuflexus ?

« II. An usus currus et equorum, ut supra, liceat vel expe- « diat cum, loco Ss.mi Sacramenti, deferuntur vel statuae Bea- « tae Virginis Mariae, vel Sanctorum exuviae ?

« III. An usus currus et equorum, ut supra, liceat vel ex- « pediat non solum ratione extraordinariae solemnitatis, sed « etiam cum processio iter nimis longum percurrere debeat ?

« IV. An currui equis tracto possit substitui vehiculum quod « vulgo *automobile* audit ?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, praepositis quaestionibus respondendum censuit : « *negative in omnibus, et ad mentem* ». Atque ita rescripsit et declaravit, die 28 octobris 1922. *Respon.* *Dies (28 oct. 1923).*

† A. Card. Vico, *Ep. Portuen, et S. Rufinae,*
L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus*
Alexander Verde, Secretarius.

Mens est : Quoad primam quaestionem praeclarum exstat exemplum Congressus Eucharistici Internationalis Romae habiti anno 1922, in quo nullus currus adhibitus fuit pro deferendo Ss.mo Eucharistiae Sacramento in solemni processione ; idque omnino factum est iuxta dispositiones *Caeremonialis Episcoporum*, lib. II., cap. 33, *de processione Ss.mi Sacramenti in Festo Corporis Christi*, et Decretorum. *Addita mens*

Ex Secretaria S R C., die 22 februarii 1924. *Ex Secretaria*

Alexander Verde, Secretarius.

12. — S. Paenitentiaria (Sectio de indulgentiis)

Responsa 20 nov. 1923

DE ABSOLUTIONE GENERALI ET INDULGENTIIS (1).

Beatissime Pater, Joannes Hettenkofer, Procurator generalis Piae Societatis Missionum (Pallottini), ad pedes S. V. provolutus, ea quae sequuntur exponit. *Orator.*

1. Fidelibus scapulari Ss. Trinitatis indutis et in confraternitatem homonymam adlectis conceditur absolutio generalis *Petitio 1. de absolutione generali;*

(1) Transumptum ex authentico documento.

seu benedictio cum indulgentia plenaria decies in anno. Dubitant autem multi, quis eam impertire valeat et quo tempore. Qua in re, ut omne dubium tollatur, humillime petitur, ut indulta, circa similem benedictionem pro tertiariis saecularibus S. Francisci concessa, ad hanc benedictionem, quatenus opus sit, extendantur ; ut scilicet, absente privilegiato, a quovis sacerdote ad confessiones audiendas approbato publice impertiri valeat secundum declarationem S. Officii d. d. 15 decembris 1910 (*Acta Ap. Sedis* vol. 3 p. 22), et privatim pridie festi post expletam sacramentalem confessionem, iuxta Rescriptum S. Cong. Indulgentiarum d. d. 21 iulii 1888, ac denique tam publice quam privatim vel die festo vel intra septem dies subsequentes iuxta Breve Benedicti XV fel. rec. d. d. 14 aprilis 1917 (*Acta Ap. Sedis* vol. 9, p. 262).

2. de plenaria indulgentia toties quoties SS. Trinitatis;

2. Vigore concessionis Pii PP. X d. d. 10 augusti 1904, indulgentiam plenariam toties lucrantur fideles, quoties in festo Ss. Trinitatis visitant ecclesiam vel oratorium publicum Ordinis Ss. Trinitatis vel confraternitatis. Ex responso autem S. Congr. Indulgentiarum d. d. 27 aprilis 1887 ad 8 (*Acta S. Sedis* vol. 19 p. 557 ss.) sodales confraternitatis Ss. Trinitatis acquirere possunt in locis, ubi nulla ad est ecclesia neque Ordinis neque confraternitatis Ss. Trinitatis, « omnes indulgentias annexas dictarum ecclesiarum visitationi, visitando ecclesiam paroecialem » ; citatur vero Breve Pii PP. IX d. d. 30 ianuarii 1872, ex quo et religiosi aliive in clausura viventes propriam ecclesiam visitare valent. Quaeritur, num citatum responsum seu Breve extendatur etiam ad praefatam indulgentiam toties quoties nuncupatam ? Et quatenus negative, ut S. V. illud extendere dignetur, supplicatur.

3. SS. Rosarii;

3. Juxta Summarium Confraternitatis Ss. Rosarii, omnes personae viventes in institutis, ex quibus ad libitum egredi non possunt, ... omnes indulgentias, pro quibus praescriberetur visitatio cappellae seu ecclesiae confraternitatis, — dummodo huic rite ascripti sint, — lucrari possunt visitando propriam ipsorum ecclesiam seu cappellam sive oratorium (S. C. *Indulg.* 11 augusti 1871 ; 8 februarii 1874). »

Respiciuntne verba tam generalia etiam indulgentiam toties quoties lucrandam die festo Ss. Rosarii a visitantibus effigiem B. Mariae V. in ecclesia expositam, ubi confraternitas est canonice erecta ?

4. de materia ex qua coronae confici possint ut sint indulgentiis idoneae

4. In elencho Indulgentiarum Apostolicarum edito die 5 septembris 1914 (*Acta Ap. Sedis* vol. 6, p. 503) legebatur *Monitum* 3 sic : Excluduntur ab apostolicae benedictionis conces-

sione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex stanno, plumbo aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta ». Rosaria igitur seu coronae hoc vetito minime comprehendebantur, quod ceterum S. *Congr. Indulgentiarum* d. 29 februarii 1820 ad 1 et 2 ac d. 22 martii 1839 ad 2 (*Decreta auth. S. Congr. Indulgentiarum* n. 249 et 271) expresse declaravit. Verum in elencho novissime edito die 17 februarii 1922 (*Acta Ap. Sedis* vol. 14 p. 143) monitum primum, referens vetus monitum tertium, obscurum evasit, cum in genere excludantur obiecta pia ex materia vetita, ita ut videantur excludi rosaria quoque et coronae ex stanno similive materia confecta. Estne recta interpretatio, quae tenet huiusmodi rosaria et coronas nihilominus, ut prius, admitti ad apostolicam benedictionem atque ad aliarum indulgentiarum concessionem ?

Et Deus etc.

Die 20 novembris 1923. *Dies (20 nov. 1923).*

Sacra Paenitentiaria Ap. ad proposita dubia sic respondit: *Responsa*

Ad 1. Satis provisum per Rescriptum datum hoc ipso die ad preces R.mi P. Procuratoris generalis Ordinis Ss. Trinitatis (1) *Ad 1.*

Ad 2. Concessio facta Rescripto 10 augusti 1904 valet tantum pro ecclesiis et oratoriis publicis, de quibus mentio expressa fit in ea, neque expedit ut extendatur ad alia, prout postulatur. *Ad 2.*

Ad 3. Negative. *Ad 3.*

Ad 4. Negative, id est: Stetur terminis documenti de indulgentiis apostolicis d. d. 17 februarii 1922. Contrariis quibuscumque non obstantibus. *Ad 4.*

---

(1) Breve in responso ad 1 memoratum, datum est demum die 11 februarii 1924, et in parte dispositiva sic sonat:

« In locis ubique terrarum positis, ubi desunt sacerdotes ad praedictam absolutionem rite impertiendam delegati a Superioribus Ordinis Ss. Trinitatis, quicumque sacerdos ad sacramentales confessiones audiendas approbatus, eandem impertire valeat absolutionem privatim, etiam pridie festis, post expletam sacramentalem admissorum confessionem, iuxta rescriptum Congr. *Indulgentiarum* die 21 mensis iulii anni 1888 datum; ac denique, privatim semper, vel die festo, vel intra septem dies continuos immediate subsequentes, iuxta apostolicas litteras a Decessore nostro rec.me. Benedicto PP. XV sub anulo Piscatoris die 14 mensis aprilis 1917 obsignatas.

Contrariis non obstantibus regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque quibuscumque. »

ANNOTATIONES

I. Rescriptum de quo in *responsione ad 1* partim tantum ad ascriptos confraternitati scapularis SS. Trinitatis extendit decretum *S. Officii*, 15 dec. 1910. Noluit enim R.mus Moderator generalis Ordinis ut *publica* absolutio daretur a sacerdote qui non sit propria facultate benedicendi et imponendi SS. scapulare munitus, cum facultas ista facillime concedatur.

II. In responsione ad 2 et ad 3 mens demonstrari videtur coartandi indulgentias plenarias toties quoties. Quod enim Tertiariis Franciscanis liberali manu concessum est nunc Tertiariis SS. Trinitatis similis condicionis negatur. Minus miramur negatam ad plenariam toties quoties indulgentiam SS. Rosarii applicationem privilegii concessi personis quae vivunt in Institutis ex quibus libere exire non possint. Sicut enim scripsimus *De religiosis institutis et personis*, I. 354, generali concessione non comprehenduntur privilegia exorbitantia, qualis est indulgentia plenaria toties quoties. Cf. quoque nostra *Theol. mor.* III, 630, *Epitome iuris canonici*, II, 218.

III. Responsio ad IV clara iuris dispositione innititur et confirmat scripta a nobis *Theol. mor.* III, 640.

13. — Pont. Commissio Interpretando Codici

Responsa 20 mai et 13 dec. 1923

(A. A. S. 1 mart. 1924, XVI, 113)

1. DUBIA SOLUTA IN PLENARIIS COMITIIS EMORUM PATRUM

I

De paroeciis nationalibus (can. 216, § 4)

1 De paroecia fidelibus eiusdem linguae reservata.

Utrum in regionibus mixtae linguae, quae politice unicum Statum efformant, sed diversis utuntur linguis, ut aiunt, officia-

libus, requiratur, vi canonis 216, § 4, indultum apostolicum ad erigendam paroeciam exclusive destinatam fidelibus determinati sermonis seu linguae, etiamsi haec determinata lingua sit una ex linguis officialibus eiusdem nationis, et paroecia erigenda suam distinctam habeat partem territorialem in dioecesi.

Resp: *Affirmative.* *Responsum.*

II

De excusatione a choro (can. 420)

Utrum praescriptum can. 420 comprehendat quoque cappellanos seu clericos secretos personae Romani Pontificis actu inservientes. *II. De excusatione a choro.*

Resp.: *Affirmative* quoad praescriptum can. 420, § 1, n. 6; *negative* quoad praescriptum eiusdem canonis, § 2. *Responsum.*

III

De celebratione Missae in religionibus mulierum (can. 610, § 2).

Utrum, vi canonis 610, § 2, quo praescribitur: « Missa quo- « que Officio diei respondens secundum Rubricas quotidie cele- « brari debet in religionibus virorum, et etiam, quoad fieri « possit, in religionibus mulierum », Missa Officio diei respondens debeat celebrari tantum in religionibus regularium et monialium vota sollemnia habentium; an etiam in domibus religiosarum vota simplicia habentium, quibus ex Constitutionibus a Sancta Sede approbatis est obligatio chori. *III. Missa conformanda cum officio chorali.*

Resp: *Negative* ad 1am partem; *affirmative* ad 2am. *Responsum.*

IV

De ministro Confessionis (can. 883)

1 Utrum adverbium *obiter* can 883, § 2, ita intelligendum sit, ut sacerdos rite praeditus facultate, iuxta § 1 eiusdem canonis, audiendi Confessiones, possit, quoties navis in portu maneat, terram adire ibique in ecclesia vel sacello Confessiones excipere eorum, qui confiteri petant, eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis, per integrum diem, vel per integros duos vel tres dies, si tamdiu navis in portu maneat. *IV. De confessionibus in itinere maritimo.*

2. Utrum id possit per integrum diem, vel per integros duos vel tres dies dictus sacerdos, quoties ad idem iter prosequendum unam navem relinquere debeat ut alteram conscendat, si in portu hanc navem tamdiu expectare debeat.

3. Utrum in utroque casu idem possit dictus sacerdos etiam ultra triduum.

Responsum. Resp.: Ad 1um et 2um, *Affirmative.*

Ad 3um *Negative,* si loci Ordinarius facile adiri possit.

V

De licentia assistendi matrimoniis (can. 1096, coll. cum cann. 465, 472-476)

V. De facultate delegandi assistentiam matrimonio. 1. Utrum vicarius oeconomus legitime constitutus in paroecia vacante, ad normam can. 472 et 473, possit licentiam assistendi matrimonio dare sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum.

2. Utrum id possit vicarius substitutus, de quo in can. 465, § 4, post Ordinarii approbationem, si nullam limitationem Ordinarius apposuerit.

3. Utrum vicarius parochi religiosi id possit post Ordinarii approbationem, sed ante approbationem Superioris religiosi.

4. Utrum vicarius, seu sacerdos supplens, de quo in cit. can. 465, § 5, id possit ante Ordinarii approbationem.

5. Utrum id possit vicarius adiutor parochi imparis suis muniis rite obeundis, legitime constitutus ad normam can. 475, § 1.

6. Utrum id possit vicarius cooperator, de quo in can. 476, inscio parocho.

Responsum. Resp.:

Ad 1um *Affirmative.*

Ad 2um *Affirmative.*

Ad 3um *Affirmative.*

Ad 4um *Affirmative,* quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit.

Ad 5um provisum in cit. can. 475, § 2.

Ad 6um provisum in cit. can. 476, § 6.

VI

Circa assistentiam matrimoniis (can. 1096, § 1).

VI. De determinando sacerdote delegato Utrum, ad normam can. 1096, § 1, sacerdos sit determinatus, si parochus Superiori monasterii in casu particulari

declaret, se ad matrimonium proxima Domenica in ecclesia filiali celebrandum delegare aliquem sacerdotem religiosum, qui a Superiore sequentibus diebus ad Missam die Domenica ibi celebrandam deputabitur.

Resp.: *Negative.* *Responsum.*

VII

De Ss.ma Eucharistica asservanda (can. 1265)

Utrum Ordinarius, attenta immemorabili consuetudine, possit licentiam dare asservandi Sanctissimam Eucharistiam in curatis ecclesiis, quamvis non stricte paroecialibus, sed subsidiariis. *VII. De ecclesia in quia ss. euchar. servari possit.*

Resp.: *Affirmative.* *Responsum.*

VIII

Dubium circa versionem Sacrarum Scripturarum (can. 1391).

Utrum particula *et* canonis 1391, quo praescribitur: « Versiones sacrarum Scripturam in linguam vernaculam typis imprimi nequeunt, nisi sint a Sede Apostolica probatae, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum *et* cum adnotationibus », etc., interpretanda sit copulative an disiunctive? *VIII. De versione S. Scripturae cum licentia episcopali edenda.*

Resp.: *Affirmative* ad 1am partem; *negative* ad 2am. *Responsum.*

IX

De reservatione pensionis (cann. 1429, 1486, 2150)

Utrum loci Ordinarius possit admittere renuntiationem paroeciae cum reservatione pensionis ad vitam pensionarii super beneficio paroeciali in favorem parochi renuntiantis. *IX. De reservatione pensionis.*

Resp.: *Affirmative,* firmo praescripto canonis 1429, § 2. Die 20 mai 1923. *Responsum Dies (20 maii 1923).*

P. Card. GASPARRI *Praeses.*
Aloisius Sincero, Secretarius.

2. DUBIUM SOLUTUM AB E.MO CARDINALI COMMISSIONIS PRAESIDE

Utrum per can. 824, § 2 Codicis abrogata censeri debeant ea, quae S. C. Concilii statuerat sub die 15 octobris 1915 in responsione ad III, de retributione non recipienda ne ratione *De exclusis stipendiis in Commemoratione defunctorum*

quidem extrinseci incommodi in secunda et tertia Missa in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; an vero ea adhuc in suo vigore permaneant.

Responsum

Resp. *Affirmative*. ad 1am partem; *negative* ad 2am.

Dies (13 dec. 1923).

Die 13 dec. 1923.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

3. (1) DUBIUM SOLUTUM IN PLENARIO COETU 26 NOV. 1922.

De collatione canonicatuum (can. 404).

Dubium.

Utrum in collatione canonicatuum, de quibus in can. 404, abrogatae sint leges particulares, revocata privilegia et reprobatae consuetudines, vi quarum iidem canonicatus non nisi indigenis seu civibus originariis civitatis in qua sedem habet ecclesia conferri possint, aut isti ceteris praeferri debeant.

Responsum

Resp. Affirmative, salva contraria fundationis lege, et firmo praescripto canonum 3 et 1435 § 3, ita tamen ut etiam in his casibus, si nullus inter indigenas reperiatur idoneus seu dignus, canonicatus conferri possint ac debeant aliis idoneis et dignis, ad normam cit. can. 404.

P. Card. GASPARRI, *Praeses*
Aloisius Sincero, Secretarius.

ANNOTATIONES

De singulis Pontificiae Commissionis responsis successive dicemus.

I. **De paroeciiis lingua distinctis.** Haec esse videtur responsi ratio, parochiam de qua agitur esse *formaliter* pro diversitate sermonis constitutam, ita ut prohibitiva c. 216, § 4 clausula omnino attingatur. Ac re vera, si fideles non nulli alius linguae territorium istud in quo paroecia sit fidelibus definitae linguae exclusive reservata ingrediantur ibique domicilium constituant, erunt sicut sine parocho in ipso parochi territorio habitantes: quod canon vult vitatum.

---

(1) Ponimus hoc loco responsum omissum in tomo superiore. Habetur A. A. S. 5 mart. 1923, p. 128.

IL MONITORE ECCLESIASTICO, p. 77, rationem dubitandi sumit ex particula *seu* quae possit esse explicativa, ita ut tantum dicat quantum: *idest*, vel disiunctiva. Si sumatur explicative, verba « Non possunt sine speciali apostolico indulto constitui paroeciae pro diversitate sermonis *seu* nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium », cum hic fideles sint eiusdem nationis, prohibitio locum non habebit; sed tum ex § 1, quae vult ut paroeciae sint territoriales, tum ex fine sociali, qui est ut caritas christiana coniungat homines diversae linguae, satis constat, ut observat laudatum MONITORE, particulam debere sumi disiunctive, ita ut prohibeantur, sine S. Sedis auctoritate, paroeciae fidelium lingua distinctae.

II. **De excusatione a choro**. Qualis fuerit ratio dubitandi vix cernitur. Canon enim 420 a choro excusat ita ut fructus praebendae et distributiones cotidianas percipiant, 6. « qui pontificia legatione « alibi funguntur, aut personae R. Pontificis actu inserviunt »; § autem 2 eosdem a distributionibus quae dicuntur inter praesentes, excludit. Iam vero quaeritur de cappellanis seu clericis secretis qui personae R. Pontificis actu inserviunt. Liquet igitur eos beneficio § 1, non autem § 2 frui posse. Nec, ut observat IL MONITORE, 1. c. exceptio 412 § 1 coll. c. 420, § 2 facta in gratiam *canonicorum* qui episcopo sollemniter missam celebranti vel alia pontificalia exercenti, prodesse potest clericis qui non sunt canonici.

III. **De missa in religionibus mulierum**. Responsio prorsus manifesta ratione fulcitur. Canone 448, 1. docemur vocem *religionem* esse generalem ad quaelibet Instituta designanda. Ergo c. 610, § 2, qui praescribit ut, quoad fieri possit, etiam in religionibus mulierum, quibus est chori obligatio missa diei officio respondens quotidie celebretur, cadit in Instituta

votorum simplicium sicut in Moniales. Et Constitutionum praescriptum sufficit ut dicantur choro obligatae.

IV. **De ministro confessionis in itinere maritimo.** Hac responsione duo, scitu utilia, docemur. Agitur de interpretatione § 1, c. 883: In itinere maritimo sacerdotes delegati vel a proprio Ordinario vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt « quoties... navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram *obiter* appellentibus confiteri petant, eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis ».

Duo vero quaeruntur: 1. De vi vocis *obiter*; et respondetur tempus per quod sic (sine Episcopi loci facultate) audiunt confessiones non posse ultra tres dies protrahi « si loci Ordinarius facile adiri possit ». Facilitas ista debet esse accessus sive personalis sive per litteras. Namque plurium sententia, qui tenent aditum per telephonium vel per telegraphum non debere, in re canonica, considerari ut regularem, confirmata est responso Pontificiae Commissionis, saltem cum agitur de dispensationibus matrimonialibus, in responsis 12 nov. 1922, ad V. (Cf. *A. A. S.* 15 dec. 1922 vel *Periodica*, XI, 183.)

2. De casu quo iter non eadem sed alia navi conscendenda prosequendum sit. Ac respondetur, hac circumstantia ius non mutari.

V. **De facultate delegandi assistentiam matrimoniis.** Responsa affirmativa ad 1. ad 2. 3. 4. sunt manifesto textu iuris comprobata. Namque, ex c. 472, § 1, « Vicarius oeconomus iisdem iuribus gaudet... ac parochus in iis quae curam animarum spectant »; ex c. 474, « Vicarius substitutus qui constituitur ad normam c. 465, § 4 et 5, locum parochi tenet in omnibus quae ad curam animarum spectant, nisi Ordi-

narius loci vel parochus aliquid exceperint ». Levis quoque dubitatio movetur de vicario parochi religiosi, quia is debeat etiam a Superiore religioso approbari. Quando enim, pro administratione sacramentorum laicis, consensus Episcopi et Superioris religiosi requiritur, prior sufficit ut actus sit validus ; alter non requiritur nisi ut disciplinae religiosae fiat satis. Sic, ut iam 2 mart. 1866 a *S. C. Episcoporum et Regularium* responsum erat, suspensio lata a Praelato regulari non infirmat absolutiones saecularibus datas ex iurisdictione per episcopum collata. (Cf. *De religiosis institutis, etc.* I, 424.) - Quod ad 5, ex ipso c. 475, § 2, distinguere debemus adiutorem qui in omnibus et eum qui ex parte tantum parochi vicem supplet : priori competunt omnia iura parochorum propria, ac proin etiam facultas delegandi pro matrimoniis ; alter potestatem suam ex litteris deputationis metiri debet. - Quod ad 6, ibi paulo maior dubitandi ratio adesse potest. Ex c. 476, § 6, iura ex statutis dioecesanis, ex litteris Ordinarii, ex ipsius parochi commissione desumenda sunt; « sed, nisi aliud expresse caveatur, ipse debet ratione officii parochi vicem supplere eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio, excepta applicatione missae pro populo ». Responsum Pontificae Commissionis, quo ad hunc canonem remittimur, a MONITORE l. c. potius existimatur esse *negativum*, « quia nulla videatur fuisse in casu commissio parochi ». Atque ita dicit, quia iam antea, p. 52 eiusdem voluminis, facultatem istam a vicario abiudicaverat. Non bene tamen capimus quomodo p. 53. possit cohaerenter cum ista interpretatione, discrimen inter ius Codicis et ius praecedens sic efferre, ut nunc vicarius cooperator habeat, ratione officii, omnes facultates parochiales, quamvis positivo actu ab episcopo vel parocho limitari queant, dum antea omnia ex positiva commissione recipere deberet. Quod

idem tenet R. P. FANFANI, *De iure parochorum*, p. 292, e). Nostra igitur sententia, nisi aliud ex statutis dioecesanis, vel ex communi intellectu officii, demonstretur, vicarius cooperator facultatem assistendi matrimoniis tribuere potest, si ipsi positive negata non fuerit.

VI. **De delegatione danda determinato sacerdoti.** Denique tandem clare nobis constat, non satis esse determinatum, sacerdotem delegatum, si hac tantum nota definiatur, ut sit is quem Superiore ad missam dicendam deputaturus sit. Ac re vera minus quam a delegante, sacerdos iste a Superior determinatur. Responso isto confirmatur solutio data a P. CREUSEN, *Epitome*, II, 396.

VII. **De SS. Eucharistia asservanda.** Responsio affirmativa, quatenus supponit consuetudinem immemorabilem, ambigi non poterat. Quid autem sine talis consuetudinis subsidio? Nobis satis probatur sententia MONITORE, l. c. ex mente Codicis, qui fortasse, in c. 1265, § 1 sensu latiore et minus technico vocem ecclesiae *quasi-parochialis* usurpat, ecclesias curatas etiam subsidiarias quasi paroecialibus in casu assimilari posse. Curatae enim ecclesiae eae sunt quae reguntur ab aliquo sacerdote qui in iis curam animarum praedicatione, administratione sacramentorum, excepto fortasse matrimonio, habitualiter exercet. Ecclesia huiusmodi, ut supplens pro parte parochiae ecclesiam parochialem, videtur ut paroecialis pro custodia ss. eucharistiae tractari posse.

VIII. **De permissis S. Scripturarum versionibus.** Responsio Commissionis non tantum propria vi particulae *et*, quae non est disiunctiva sed copulativa, sed etiam antiqua iam lege demonstratur. In C. *Officiorum ac munerum*, qua 25 ian. 1897 LEO XIII regulas de censura et prohibitione librorum recognovit, art. 7 exigebatur ut versiones essent ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum

cum annotationibus etc. Insertio particulae *et* sensum iam diu receptum mutare non potuit.

IX. **De reservatione pensionis.** Quaestio hic posita maiori difficultati obnoxia videtur. Etenim, c. 1429, § 1, hanc regulam generalem posuit, ut episcopi solas pensiones temporarias, vel ad vitam beneficiarii (non autem ad vitam pensionarii) imponere possent; ex canone vero 1486, « Dimissionem beneficiorum in commodum aliorum vel sub aliqua condicione quae ipsam beneficii provisionem aut redituum erogationem attingat, Ordinarius admittere nequit, nisi in casu quo beneficium sit litigiosum et dimissio fiat ab alterutro ex litigantibus in commodum alterius ». Verum, ut observatum est in causa *renuntiationis paroeciae*, quae 11 nov. 1922 soluta est a S. C. *Concilii* (*A. A. S.* XV, 124 vel *Per.* XII, 124), canone 1429 § 2, episcopus permittitur beneficiis paroecialibus pensiones imponere sine alia limitatione atque hae, ut sint in commodum parochi vel vicarii eiusdem paroeciae, a munere abeuntis, et tertiam partem reditus paroeciae ne excedant. Ipse autem finis cur talis pensio constituatur, qui est ut congruae sustentationi abeuntis provideatur, exigit ut ad vitam pensionarii constitui queat. Qua ratione, casus renuntiationis paroeciae etiam a dispositione c. 1486 excipiendus est. Dum enim in dimittendis aliis causa privata agitur et condicio quae beneficii provisionem vel redituum erogationem attingat suspecta est simoniae saltem iuris ecclesiastici, renuntiatio paroeciae potius fit in bonum spirituale parochianorum, suadetur ab episcopo, potius quam ab ipso admittitur; ratio providendi sustentationi abeuntis sacerdotis omne simoniae periculum removet a reservatione pensionis; nec reservatio ista fit condicio proprie suspensiva vel resolutoria, sed, si admittitur, mere datur abeunti securitas fore ut episcopus ipse hanc pensionem imponat. Nulla igitur pactio fit inter successorem et decessorem.

Hoc modo, ni fallimur, abstulimus difficultatem quam in hac re, propter c. 1486, MONITORE l. c. p. 81 fatetur experiri.

De dubio soluto ab Em. Commissionis praeside. Responsione ista dirimitur controversia quae exstabat de praesenti vi declarationis S. C. *Concilii* qua, die 15 octobris 1915, vetuerat ne propter extrinsecum incommodum quidquam reciperetur in secunda et tertia missa die Commemorationis omnium fidelium defunctorum. Atque ipsi partes severiores in *Theol. mor.* III, 319, secuti eramus. Omnino tamen subsistit altera pars eiusdem declarationis, quae non permittit ut applicationes a S. Pontifice praeceptae iis qui bis vel ter litari cupiant, in alias dies transferantur et sic tria stipendia eadem die Commemorationis recipiantur.

Itaque responsa IV. VI. VII. IX et responsum Praesidis, potissimum sunt attendenda.

---

14. — Secretaria Status

Epistola 17 ap. 1923.

DE STUDIIS CLASSICIS APUD FRATRES SCHOLARUM CHRISTIANARUM

(A. A. S. 1 feb. 1924, XVI, 74)

Memoratis instantiis plurium episcoporum,

Très honoré Supérieur Général. (1) — Souvent des membres de l'Épiscopat, notamment der États-Unis d'Amérique, ont sollicité le Saint-Siège de vouloir bien permettre aux Frères des Écoles Chrétiennes l'enseignement de la langue latine dans leurs écoles, afin que leur œuvre, déjà heureusement répandue, soit plus efficace et plus avantageuse dans les diocèses et dans

(1) Fr. HIMERIUS A IESU, supremus Moderator Instituti, ad quem epistola missa est.

les circonstances où il serait difficile de pourvoir à l'instruction classique des jeunes catholiques, sans les obliger à fréquenter l'école neutre de l'État ou celles des sectes protestantes.

recedens ab hactenus servato tramite,

Néanmoins, afin de maintenir l'Institut dans la plus grande fidelité possible à la Règle de son saint Fondateur, on n'a pas voulu modifier jusqu'ici, sur ce point, sa conduite traditionnelle, à l'exception de quelques cas particuliers et avec des restrictions opportunes.

ob auctas necessitates et mutata adiuncta,

Mais en présence du besoin toujours plus urgent qui se fait sentir dans maints endroits, et en considération du profond changement que les temps nouveaux ont apporté dans les programmes et les statuts scolaires, comme aussi de la plus large participation de toutes les classes de la société à toutes sortes d'études, Sa Sainteté estime que l'Institut des Écoles Chrétiennes doive désormais étendre son enseignement aux études classiques, comme il l'a déjà fait, avec succès, pour les études supérieures techniques, même pour les classes aisées.

S. Sedes existimat operam Fratrum ad humaniora studia extendi debere.

Res prudenter ordinanda committitur Capitulo Generali,

Aussi bien, profitant de l'occasion du prochain Chapitre général de l'Institut, qui se tiendra vers la fin du mois d'avril courant, Sa Sainteté a daigné me charger de vous manifester Son auguste volonté à ce sujet, afin que vous la communiquiez au Chapitre, qui devra pratiquement étudier de quelle manière et dans quelle étendue on pourra réaliser ce dessein et indiquer les précautions qui lui paraîtront nécessaires.

cuius acta dein erunt S. Sedi mittenda et probanda.

Les résolutions de Chapitre devront ensuite être soumises à la Sacrée Congrégation des Religieux, qui, après les avoir examinées attentivement, en référera au Saint-Père.

Nihil tamen de laica Instituti natura, ac sociis, qui omnes laici esse debent, et de fine eius principali, quo pauperibus instituendis et doctrinae christianae devovetur demi potest.

Le Souverain Pontife entend toutefois bien explicitement que, par cette disposition rien ne soit changé dans la nature de l'Institut, qui doit rester laïque, d'après la volonté de son Fondateur, et être composé exclusivement de Frères laïques, et que son but principal, comme sa gloire première, doive être, à l'avenir aussi, l'instruction des enfants pauvres et l'enseignement de la Religion, selon la Bulle d'approbation de S. S. le Pape Benoît XIII, de s. m.: « Fratres... cavere debent ut pue- « ros, praesertim pauperes, ad ea quae ad bene christianeque « vivendum pertinent, erudiant .... ».

Apostolica Benedictio.

Le Saint-Père sait bien qu'il procure ainsi aux dignes Fils de saint Jean-Baptiste de la Salle, déjà si méritants, l'occasion de nouveaux mérites et de nouveaux dévoûments, et à cette fin et pour ce motif aussi, Il accorde d'autant plus cordialement à vous et à toute votre Famille religieuse la bénédiction apostolique.

Veuillez agréer, très honoré Supérieur Général, l'assurance de mon religieux dévoûment en Notre-Seigneur.

Dies (17 apr. 1923). Du Vatican, ce 17 avril 1923. P. Card. GASPARRI

ANNOTATIONES

I. Epistola ista est gravissimi momenti pro bene merito Instituto Fratrum scholarum christianarum. Ab Instituto enim laico virorum quod humaniores litteras tradendas suscipit, triplex periculum sustinendum est: periculum inconstantiae in vocatione non paucorum qui, latinis litteris eruditi, cupidine sacerdotii alliciantur; periculum discordiae interioris, cum privilegiata ratio aliquorum qui his studiis deputabuntur, facile invidias et contentiones adducat; periculum praetermissi proprii finis Instituti. Nonne timendum est ne, propter magna collegia erigenda et alenda, scholae pauperum deserantur vel saltem multo minus curentur?

II. Nihilo minus, tam multis hodie curriculum studiorum humaniorum aperitur, ita ut etiam puellae latinis litteris erudiantur, ut S. Sedes iudicaverit huic temporum necessitati, etiam cum praevisis periculis, esse obtemperandum.

III. Simul tamen prudenter iussit ut de modo et de cautionibus adhibendis fiat capitularis deliberatio, quae dein S. Congregationi de Religiosis submittenda erit et a S. Pontifice probari debebit.

Optandum igitur nobis restat, ut cautelae istae et Pontificia Benedictio mala avertant, et nova officia suscepta laetis fructibus Instit. Fratrum et Ecclesiam adaugeant.

15. — SS. D. N. Pii, Pp. XI

Breve 20 mart. 1924

INDULGENTIA TOTIES QUOTIES, IN FESTO S. IGNATII (1).

PIUS PP. XI

Orator Ad perpetuam rei memoriam. - Cum dilectus filius hodiernus Procurator Generalis Societatis Iesu enixe Nos precibus

(1) Ex monumento authentico transumptum.

rogaverit ut, die festo Divi Fundatoris Ignatii Loyolaei, fidelibus Ecclesias Ordinis celebrantibus, ex singulari gratia, Indulgentiam Plenariam toties quoties lucrandam largiri dignemur; Nos ut religiosa familia Clericorum Regularium Societatis Iesu, tot tantisque nominibus optime de re christiana merita, peculiare ferat Pontificiae voluntatis pignus, optatis his annuendum ultro libenterque existimavimus. Audito itaque dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Poenitentiario Maiore, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, auctoritate confisi, omnibus et singulis ex utroque sexu fidelibus, sacramentali admissorum confessione expiatis (1) et caelestibus epulis refectis (2) qui singulis annis die festo Sancti Ignatii Loyolaei Societatis Iesu legiferi Patris, a medietate diei praecedentis ad mediam usque noctem ipsius festivitatis, quamvis, ubique terrarum sitam, Societatis enunciatae Ecclesiam (3), sive oratorium publicum visitent, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, Indulgentiam Plenariam (4) concedimus, toties lucrandam quoties Ecclesiam ipsam vel oratorium rite visitent. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae (5) munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis martii, anno MXCXXIV, Pontificatus Nostri tertio.

Petitio

Gratia libenter data

Fides transumptis.

Dies (20 mart. 1924).

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status.*

---

(1) Actualis *confessio* non requiritur ab iis qui bis in mense confessionem peragere vel fere cotidie ad s. mensam accedere solent (*Theol. mor.* III, n. 628).

(2) *Communio* utiliter fit pridie festi et etiam infra octavam.

(3) *Ecclesiae Ordinis* sunt: *a*) quae ab Instituto sibi constitutae sunt; *b*) quae, prius saeculares, perfecte in regulares sunt conversae; *c*) quae, servata propria indole, communitati religiosae ad usum precarium sunt concessae; *d*) demum, ni fallimur, ecclesiae in quibus, ut in Missione concredita Ordini religioso, in qua moraliter nullus alius est clerus nisi Ordinis, missae secundum calendarium Ordinis dicuntur.

(4) Vi c. 930, indulgentiae istae sunt defunctis applicabiles.

(5) *Dignitates* sunt tum Ordinarii locorum; tum dignitates Capituli; tum omnes Episcopi; tum Ordinarii proprii, i. e. Superiores maiores.

ACTA SUMMATIM RELATA

16. — *SS. D. N. Pius Pp. XI.*

A. *Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis dismembrandis, erigendis.*

Eshowe, 11 dec. 1923.

1. 11 dec. 1923, praefectura apostolica de Zululand, (Africa merid.) curis commissa Congregationi a S. Ottilia O. S. B., novis aucta territoriis e finitimo vicariatu Apostolico Natalensi, in vicariatum erigitur *Eshowe* (A. A. S., 1 feb. 1924, XVI, 34).

Hankow, Hanyang, Wuchang, Puchi, 12 dec. 1923.

2. 12 dec. 1923, et territoriis dismembratis a vicariatu apostolico de Hupé orientali (in Sinis) exinde de *Hankow* appellando, eriguntur tres novae praefecturae, sc. de *Hanyang*, societati hibernae a S Columbano commissa; de *Wuchang*, Fratribus Minoribus americanis concredita; de *Puchi*, quae a clero saeculari indigena regetur (A. A. S., 1 feb. 1924, XVI, 35).

Kroonstad, 26 nov. 1923.

3. 26 nov. 1923, e territoriis dismembratis a vicariatu apostolico de Kimberley, curis concredito Oblatorum B. M. V., erigitur nova praefectura apostolica de *Kroonstad* Patribus a Spiritu Sancto, gentis germanicae, regenda (A. A. S., 1 mart. 1924, XVI, 81).

Foochow, Funing, Tingchow, 27 dec. 1923.

4. 27 dec. 1923, e vicariatu apostolico de Fo-Kien (in Sinis), qui ipse in posterum nomen habebit de *Foochw*, dismembrantur territoria novi vicariatus apostolici de *Funing* et praefecturae apostolicae de *Tinchow* (A. A. S., 1 mart. 1924, XVI, 82).

Padang, Bengkoelen Banka et Biliton, 27 dec. 1923

5. 27 dec. 1923, dismembrato territorio ex praefectura apostolica Sumatrae (Indiae neerlandicae), quae in posterum nomen geret de *Padang*, et Patribus Capuccinis Prov. Neerland. manet concredita, eriguntur praefecturae apostolicae de *Bengkoelen*, Sacerdotibus SS.mi Cordis a S. Quintino demandata, et de *Bank et Biliton*, Patribus SS. Cordis de Picpus assignata (A. A. S., 1 mart. 1924, XVI, 83).

B. *Litterae de basilicis.*

In basilicam minorem eriguntur :

Zagreb,

Die 4 dec. 1923, ecclesia B. M. V. vulgo *Marija Bistrica*, archidioecesis Zagrabiensis (lugoslavia. — A. A. S., 1 feb. 1924, XVI, 33); — 23 ian. 1924, ecclesia *B. M. V. Gratiarum*, civi-

tatis Este, in dioecesi Patavina (Italia. — A. A. S., 1 mart. 1924, XVI, 85). *Este.*

C. *Litterae de Concilio plenario cogendo.*

Epistola 20 ian. 1924 ad Suum in Sinis Delegatum, edicit R. Pontifex primum concilium plenarium omnium Vicariorum et Praefectorum apostolicorum missionum ditionis Sinensis in urbem *Shangai* convocandum. Concilio praeerit ipse Delegatus apostolicus (A. A. S., 1 mart. 1924, XVI, 92). *Concilium plenarium in Sinis, 20 ian. 1924.*

17. — *S. Congr. Consistorialis*

Mutatio finium.

Decreto 10 ian. 1924, pagi quidam archidioecesis *Panormitanae* (Sicilia) uniuntur archidioecesi *Montisregalensi*, et vice versa (A. A. S., 1924, XVI, 25). *Palermo, Monreale.*

18. — *S. Congr. Concilii.*

Die 10 mart. 1923, data est resolutio in causa *dioecesium N. et X., incardinationis.* Josephus, in dioecesi transalpina N. ortus, minorennis, parentes in Italiam proficiscentes secutus est. Pluribus post annis, de Statu ecclesiastico amplectendo cogitans, ab episcopo N. litteras impetravit sub die 15 ian. 1917, nihil obstare quominus clero cuiuslibet dioecesis ascribi et a quolibet episcopo ordinari posset. In servitium proinde dioecesis X. tonsuratus est 14 iun. 1819, atque successive ad ordines promotus. Sacerdos factus, habitus est tamquam incardinatus dioecesi. X. Nunc autem, orta dissensione cum episcopo, contendit se adhuc pertinere ad dioecesim N. Litterae enim episcopi N., sic ipse, datae ante Codicem cum exsistebat laicorum excardinatio, ex decreto S. C. C. 24 nov. 1906, dandae erant ad incardinationem in determinatam dioecesim. Igitur quales datae sunt erant invalidae ut litterae excardinationis, validae tantum ut mere demissoriales, vi quarum Josephus ordinari potuit ab alio quidem episcopo sed non nisi pro dioecesi N. *Dioecesium N. et X, incardinationis, 10 mart. 1923.*

Sed contra est, etiam iure antiquo, ut constat ex laudato decreto S. C. Conc. 24 nov. 1906, (*Per.*, II-III, p. 198), non exstitisse proprie dictam excardinationem laicorum, sed tantum improprie dictam, in eo consistentem quod episcopus originis in antecessum licentiam faciebat ut laicus per primam tonsuram alii dioecesi incardinaretur, quin vel ratione domicilii vel ratione familiaritatis subditus esset ordinantis. Inde sequitur illam sic dictam excardinationem condicionem fuisse liceitatis

collationis tonsurae, eius autem defectum non potuisse impedire quominus tonsuratus valide dioecesi ordinantis incardinaretur.

Hinc etiamsi dixeris episcopum N. « excardinationem » requisitam concessisse ob defectum formae invalidam, nihilominus Josephus dioecesi X. valide incardinatus est. Sed, cum ille tonsuram acceperit tantum anno 1919, vigente iam Codice, *ex iure Codicis* effectus collationis tonsurae aestimandi sunt. Iamvero: nulla amplius requiritur, etiam ad liceitatem, laicorum excardinatio; Josephus autem, cum domicilio originis amisso, nec proprio alibi acquisito, tempore recipiendae tonsurae vagus esset, ex rescripto quod impetravit a S. C. Consistoriali, debuit episcopum benevolum receptorem invenire ad cuius dioecesis servitium sese offerret; porro, se obtulit episcopo X. qui eum recepit, et per collationem tonsurae incardinavit (c. 111, § 2).

Ideoque resolvit S. C. C. Sacerdotem Josephum pertinere ad dioecesim X. (A.A.S., feb. 1924, XVI, 51.)

19. — *S. Cong. Rituum*

Causae beatificationis, canonizationis.

Maria Teresia de Lamourous 14 nov. 1923.

1. Die 14 nov. 1923, signata est commissio introductionis causae Burdigalen. S. D. *Mariae Teresiae de Lamourous*, fundatricis Instituti sororum a Misericordia, in oppido Bursae prope Burdigalam (Galiia) anno 1754 natae, defunctae a. 1836 (A.A.S., 1 feb. 1924, XVI, 57).

Maria Magdalena Postel, 6 ian 1924.

2. VIII id. ian. (6 ian. 1924), decretum est constare de utroque proposito miraculo in causa Constantien. seu Abrincen. canonizationis B. *Mariae Magdalenae Postel*, Virginis, fundatricis Instituti Scholarum christianarum a Misericordia (A.A.S., 1 feb. 1924, XVI, 61).

20. — *S. Rota Romana*

Elenchus causarum anni 1923.

S. Rota pro more suo texit elenchum causarum anno 1923 actarum, quarum sententia editur tantum in parte dispositiva (1), pariterque causarum quae eodem anno, absque definitiva sententia, finem habuerunt (A. A. S., 1 feb. 1924, XVI, 64).

A. Causae anno 1923 actae, quarum sententia in sola parte dispositiva editur.

---

(1) Quamquam sic habet formula recepta, nonnullae tamen in hoc elencho referuntur causae quarum sententia iam in extenso edita est: cf. v. g. *Per.*, XII, 54, 88, etc. Immo hoc mirum accidit ut causa quae olim, reticito nomine dioecesis, fuerit edita, nunc in elencho, enuntiato nomine, publicetur: cf. *Per.*, XII, 88.

E causis quae sententia definitiva finitae sunt, 31 sunt matrimoniales, 5 varii argumenti.

Causae matrimoniales.

In tribus causis subsidiarie petebatur *dispensatio super rato*: negative responsum est tum de nullitate ob defectum consensus, tum de dispensatione, in causa Montis Albani, 28 feb.; per responsum favens dispensationi provisum in Melevitana, 15 ian. et in Funchalen. 21 dec.

Quattuordecim petitiones nitebantur vitio consensus ex *vi et metu* tantum: in septem casibus responsum est non constare de nullitate, sc. in Insulen. 5 mart.; Varsavien. 5 mart.; Parisien. 18 mart. (1); Panormitana, 11 iun; Bogoten. 2 aug; N. N. 27 oct.; Versalien., 17 dec.; in septem casibus, responsum est constare, sc. in Parisien. 10 iul.; alia Parisien. 28 iul.; Lingonen. 31 iul.; Bituricen. 4 aug.; Varsavien. 10 aug.; Parisien. 21 nov.; Romana 7 dec. Praeterea, in duobus causis vitio ex vi et metu accedebant alia, sc. in Baiocen. et Lexovien. 17 mart., clandestinitas; in Taurinen. 23 apr., defectus consensus: in utraque responsum est non constare.

Duo matrimonia impugnabantur ob *impotentiam viri*, et in utroque decisum est constare sc. (sub secreto) 14 iul. et 16 iun. Duo ob *affinitatem* (sub secreto): alterum irritum declaratum, 3 iul.; de alterius nullitate non constare pronuntiatum est 10 aug.

Ob *condicionem appositam*, ex quattuor petitionibus pro nullitate tres affirmativam retulerunt sententiam, sc. in Bogoten. 5 iul.; in causa Montispessulani, 23 iul.; in Romana, 23 nov.; quarta negativam, in Algerien. 22 dec.

Demum pro nullitate sententiatum est: ob *amentiam* mulieris in causa Chansi septemtrionalis, 30 iun.; ob defectum consensus in Veronen. 18 iul. et Algerien. 6 aug.; ob *clandestinitatem*, in causa Montispessulani 6 nov,

Causae variae argumenti.

Praeter illas quas relatas reperis *Per.* XII, 54. 88, Romana Crediti, *Per.* XII, 168; in Luganen, restitutionis in integrum, diffamationis, 19 ian. decisum est non esse locum restitutioni.

B. *Causae quae anno 1923 transactae, sunt, peremptae, vel aliunde, absque definitiva sententia, finitae.*

Ob *renuntiationem* partis actricis finem habuerunt: Platien, refectionis damnorum, die 2 feb.; Rupellen., nullitatis matrimonii ex capite clandestinitatis, 4 aug.

(1) Ex loco quem haec causa obtinet in elencho, suspicaveris legendum 18 maii?

Elapso termino *peremptae* sunt sequentes causae nullitatis matrimonii: una S. Angeli de Lombardis, ex capite vis et metus, 11 apr.; Rhemen., ex capite condicionis appositae, 13 iul.; Romana, ex capite vis et metus, 16 aug., Patavina, ex capite defectus consensus, 17 oct.

Ob irritam *concordiam*, Pistorien., crediti, 1 iun. exstincta est.

Demum in causis reiectionis libelli, Clodien. 9 maii; Romana 10 nov. et Iacien 12 nov. *decretum* est legitime reiectos fuisse libellos a singulis tribunalibus dioecesanis.

Ob *mortem actricis*, reposita Massilien., nullitatis matrimonii ex capite defectus consensus, 22 oct.

21. — *Signatura Apostolica*

Romana iurium, 15 dec. 1923.

Sententia a Signatura Apostolica data 15 dec. 1923 in *Romana iurium* applicationem constituit notatu dignam principii de potestate episcopi ferendi leges, decreta, praecepta praeter ius commune. In quadam causa coram tribunali dioecesano inter viros ecclesiasticos agitata, recusaverat Curia episcopalis admittere procuratorem vel advocatum laicum, quamquam hic erat ex advocatis consistorialibus. Petiit inde Collegium advocatorum consistorialium ut ius advocatorum Curiae romanae vel saltem consistorialium suscipiendi patrocinium causarum etiam coram tribunalibus dioecesanis, sententia H. S. T. agnosceretur. Porro, Signatura dubia proposita ad hanc formulam reformavit: « An advocati ecclesiastici et laici, approbati ad causas ecclesiasticas defendendas apud Curiam Romanam, non exclusis advocatis consistorialibus, indigeant approbatione Ordinarii loci ut suscipiant in Curiis dioecesanis easdem causas? » Et respondit: *affirmative.*

Ex canone 1658, § 2, advocatus, « ut ad patrocinium admittatur, indiget approbatione Ordinarii »; potestati autem Ordinarii in hac re nulli ponuntur fines praeter eos qui iure communi vel peculiari R. Pontificis provisione statuuntur. Sed, in casu, ius commune, dum c. 1657 qualitates in advocato requisitas describit, non denegat episcopo potestatem alias *praeter illas* exigendi; nec ullum affertur privilegium pontificium advocatorum Curiae romanae quod sit probans. Immo, quod advocati etiam consistoriales assertum ius ipso facto non habent, confirmatur canone 1658, § 4, quo implicite repelluntur a causis dicendi coram tribunalibus religionis clericalis exemptae (A. A. S., 1 mart. 1924, XVI, 105).

PARS ALTERA

MONUMENTA

22. — SS. D. N. PII Pp. XI

Bulla « Infinita Dei », 29 maii 1924

INDICTIO UNIVERSALIS IUBILAEI ANNI SANCTI MILLESIMI NONGENTESIMI VIGESIMI QUINTI

(A. A. S. 2 iun. 1924, 16, p. 209).

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Misericors Ecclesiae propositum Anni Sancti,

Infinitâ Dei misericordiâ sibi ad exemplum propositâ, identidem Ecclesia id consilii persequitur, ut, singulari aliqua via et ratione, ad culpae expiationem vitaeque emendationem homines alliciat ac revocet, qui solent, vel ob voluntatem a fide catholica abalienatam, vel ob segnitatem atque inertiam, usitata salutis adiumenta neglegere, et poenas admissorum vindici Deo pendendas ne cogitant quidem, nedum accurate efficaciterque considerent. Extraordinarium sane eiusmodi ad renovandos animos praesidium vobis, dilecti filii, auspicato afferet *Iubilaeum Magnum*, ex more institutoque maiorum in Alma hac Urbe proximo anno celebrandum; quod nostis nuncupari itidem *Annum Sanctum* consuevisse, quia et sanctissimis initur ducitur absolviturque ritibus et ad sanctitatem morum promovendam tam aptum habetur quam quod maxime.

cuius magna opportunitas ritu iubilaei Hebraeorum figuratur.

Iamvero si unquam alias oportuit, at potissimum hodie oportet, ut vos, illud Pauli iterando, moneamus: *Ecce nunc*

tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; quo quidem tempore nullum profecto opportunius commodiusque comparandis unicuique vestrum reconciliationis gratiaeque thesauris reperiatis. Nec dubitare licet quin divino Ecclesia instinctu piacularem hunc annum vertentibus annis, certo quodam intervallo, interiecerit; quippe quae, ut alios ritus - multo quidem ampliore significatione atque efficentia - ab Antiquo Foedere est mutuata salubriter, ita hunc quoque, ad Anni Sabbatici exemplum, in christianos mores induxerit. Maximis enim beneficiis, quae dominicum illud institutum Hebraeis, quinquagesimo quoque anno, afferebat, nonne gratiae praenuntiabantur et significabantur, quas fidelibus per Anni Sancti decursum impetrandas proponimus? Ratio quidem in utrisque haud absimilis, sed hae illis sic praestant, quemadmodum spirituales res terrenis rebus antecellunt. Quod scilicet Hebraei Anno Sabbatico, bonis recuperatis quae in aliorum ius cessarant, « ad possessionem suam » revertebantur; quod servi « ad familiam pristinam » sese liberi recipiebant et debitoribus aes alienum condonabatur, id omne apud nos felicius piaculari anno contingit atque efficitur. Quicumque enim paenitendo Apostolicae Sedis salutaria iussa, lubilaeo magno vertente, perficiunt, iidem, tum eam, quam peccando amiserant, meritorum donorumque copiam ex integro reparant ac recipiunt, tum de asperrimo Satanae dominatu sic eximuntur ut libertatem repetant *qua Christus nos liberavit,* tum denique poenis omnibus, quas pro culpis vitiisque suis luere debuerant, ob cumulatissima Christi Iesu, B. Mariae Virginis Sanctorumque merita, plene exsolvuntur.

Socialis vis iubilaei.

Verum non huc tantummodo - nempe ad animos singulorum expiandos eorumque morbis medendum - Iubilaei Magni producta per annum celebratio pertinet. Hoc enim *tempore accepto,* praeter locorum visitationem sanctissimorum et multiplicatas privatim publiceque pietatis exercitationes, uberrimarum e caelo gratiarum adiumenta plurimum habebunt momenti in excitandos universa ad altiorem sactitatis gradum animos atque in societatem hominum reparandam. Etenim, ut exlex singulorum licentia in commune vergit detrimentum, ita, singulis ad bonam frugem conversis ad sanctiusque vitae institutum properantibus, consociationem ipsam humanam necesse est emendari arctiusque cum Christo Iesu cohaerere. Quam quidem emendationem utinam eventum hoc, pro praesenti rerum condicione, accelerando afferat. Nam, etiamsi rei catholicae haud exigua accesserint recentiore aetate incrementa, et multitudines - diu multumque expertae, spes melioris status quam sit inanis

Speranda ex emendata consociatione humana.

quamque inquietus exsistat, remoto Deo, animus - religionem ardentius veluti sitire videantur, oportet tamen, et populares et ipsas nationum effrenatas inhumanasque cupiditates, ad evangelicae legis praescripta, cohiberi et homines divina inter se caritate copulari. Est sane intellectu difficile, nisi eiusmodi caritatem - nimium diu, postremi belli causa, consopitam, immo etiam omnino depositam - et cives denuo induant et gubernatorum consilia redoleant, quo pacto fraterna populorum necessitudo et mansura pax redintegretur. Ad hanc profecto singulorum civitatumque pacificationem quantopere annus sacer valeat quantasque habeat opportunitates, vix attingere ac declarare attinet. Quid enim coniungendis inter se hominibus populisque conducibilius, quam ut ingens peregrinorum numerus Romam, in hanc alteram catholicarum gentium patriam, undique confluant, communem Patrem simul conveniant, communem fidem coniunctim profiteantur, ad sanctissimam Eucharistiam, unitatis effectricem, una promiscueque accedant, eumque imbibant augeantque caritatis spiritum, quem praecipuam esse christianorum notam vel sacra Urbis monumenta in memoriam redigant omnium mirificeque suadeant? Qua quidem caritatis perfectione cupimus Nobiscum illae coniungantur Ecclesiae, quas saeculare funestissimumque discidium a Romana Ecclesia distinet: nihil enim Nobis tam gratum tamque suave accidere posset, quam, si non eas quidem universas, at saltem multos ex earum gremio, ad unum Christi ovile redeuntes, peramanter, hac Iubilaei maximi occasione, amplexari filiorumque in numerum carissimorum adscribere. Praeclari optatissimique eiusmodi fructus fore ut ex Anni Sancti celebratione haud postremo loco hauriantur, aliqua profecto spe nitimur. Ad alendam quidem excitandamque popularium pietatem maioremque percipiendam utilitatum copiam summopere utique prodesset, si res ita per Iubilaei cursum peragi ordinarique liceret quemadmodum ante actis aetatibus licuit; at quicquid efficacitatis ex rerum temporumque condicione aut statis ministeriis aut consiliis ad apparanda regundave futura sollemnia initis deesse quoquo modo possit, id benignissimus Deus, rogamus, divitiis copiose suppleat misericordiae suae.

et communibus consiliis quibus Romam, in communem catholicarum gentium patriam, undique confluent, pacificatio animarum.

Velit quoque Pontifex multos ex gremio aliarum ecclesiarum in unum Christi ovile recipere.

Itaque, cum tanta catholicae rei redemptisque pretioso Iesu Christi Sanguine animis lucra atque emolumenta obventura et prospiciamus et fidenter Nobis spondeamus ac polliceamur, auctorem largitoremque bonorum omnium Deum implorantes, ut coepto huic Nostro favere hominumque voluntates ad paenitendum et singulari hac gratia fruendum allicere velit ac permo-

Inde indictio et promulgatio Iubilaei.

vere, Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, universale maximumque Iubilaeum in hac sacra Urbe a prima vespera Natalis Domini anno millesimo nongentesimo vicesimo quarto inchoandum et ad primam vesperam Natalis Domini anno millesimo nongentesimo vicesimo quinto finiendum, auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, ad ipsius Dei gloriam, ad animarum salutem et catholicae Ecclesiae incrementum, indicimus per has Litteras ac promulgamus, ac pro indicto promulgatoque haberi volumus.

Inbilaei conditiones communes.

Hoc igitur Anni Sancti decursu, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui, rite expiati et sacra Synaxi refecti, beatorum et Petri et Pauli et Sancti Ioannis ad Lateranum et Sanctae Mariae Maioris de Urbe Basilicas semel saltem in die, per viginti continuos aut interpolatos dies sive naturales sive ecclesiasticos, idest a primis vesperis unius diei ad integrum subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romae degant cives aut incolae, si vero peregre venerint, per decem saltem eiusmodi dies, pie inviserint et ad mentem Nostram oraverint, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, remissionem ac veniam misericorditer in Domino concedimus atque impertimus.

Quaenam sit Pontificia mens secundum quam orandum sit.

Quaenam autem, dilecti filii, sit in universum mens Romani Pontificis, profecto non ignoratis: at peculiare aliquid hac Iubilaei maximi occasione intendimus, quod vos ipsi Nobiscum impetretis. Pacem dicimus, non tam tabulis inscriptam, quam in animis consignatam, inter populos restituendam, quae, etsi non tam hodie fortasse abest, quam antehac afuit, adhuc tamen remotior, quam pro Nostra et communi exspectatione, videtur. Praecipuum igitur eiusmodi bonum si quidem vos, Urbis incolae advenaeque, solutis a culpa incensisque caritate animis, ad Apostolorum limina imploraveritis, nonne bene sperandum, fore ut Princeps pacis Christus, qui maris Galilaeae fluctus nutu olim sedavit, tandem aliquando suorum misertus, tempestates, quibus tamdiu Europa iactatur, considere sedarique item iubeat? Mens praeterea est Nostra, ut quicumque aut Urbem incolunt aut huc sunt Iubilaei causa peregrinaturi, duplex aliud Dei miserationi negotium instando commendent, quod maximis Nos curis sollicitudinibusque excruciat et religionis interest vehementer: scilicet ut acatholici omnes ad veram Christi Ecclesiam confugiant, et res Palaestinenses sic demum ordinentur et componantur, quemadmodum catholici

Condiciones

nominis iura sanctissima postulant. — Quae autem supra ser-

vanda ediximus ut plenissima Iubilaei venia lucri fiat, pro iis qui aut morbo aliaque legitima causa in Urbe vel ipso in itinere prohibiti aut morte interim praerepti, praefinitum dierum visitationumque numerum nondum compleverint neve inchoaverint quidem, ita temperamus, ut iidem, a culpis rite absoluti ac sacra Communione refecti, indulgentiae remissionisque iubilaris participes perinde sint, ac si quattuor, quas memoravimus, Basilicas reapse invisissent.

pro iis qui morbo sint prohibiti vel morte praerepti.

Iam nihil est reliquum, dilecti filii, nisi ut vos amantissime Romam devocemus invitemusque omnes, ut his tantis divinae clementiae thesauris fruamini, quos Sancta Mater Ecclesia vobis lucrandos proponit. In quo ignavos desidesque vos esse dedeceat, quando, per haec potissimum tempora, tam vehementi aviditate, ne salva quidem fide officiique conscientia, ad quaestum terrenarum opum concurritur. Recolitote praeterea, quam magnus, superioribus aetatibus, peregrinorum ex omni ordine numerus in Almam hanc Urbem per Annum Sanctum, diuturnis, laboriosis infestisque plerumque itineribus, convenerint: quos nimirum ab aeternae beatitudinis studio nulla absterruerunt incommoda. Si quid autem molestiae aut iter eiusmodi aut in Urbe mansio pepererit, non modo castigatio haec, paenitentiae spiritu tolerata, ad veniam uberius promerendam adiumento erit, sed multis quoque, iisdemque omne genus, solaciis compensabitur. Urbem enim petituri estis, quam Servator hominum Iesus Christus delegit, ut suae esset religionis centrum et perpetua Vicarii sui sedes: Urbem, inquimus, unde ad vos et doctrinae sanctae et caelestis veniae securi purissimique latices effluunt. Communis heic omnium vestrum Pater, quem vos diligentem diligitis, bene vobis precabitur: heic ad vetustissima hypogea, ad sepulcra Principum Apostolorum, ad conditas gloriosissimorum Martyrum reliquias facilis pietati vestrae aditus: templa, praeterea, patebunt, tot saeculorum decursu in Dei sanctorumque caelitum honorem erecta, eâ sane magnificentiâ eoque artificio, ut in totius orbis admiratione nullo non tempore fuerint atque in posterum futura sint. Quae quidem christianae religionis monumenta si pie, si orando, ut decet, inviseritis, mirum fide quam experrecta quamque inclinata in melius voluntate in regiones quisque vestras redituri estis. Neque enim versari vos Romae oportet, ut cotidiani viatores hospitesque consuevere; immo etiam, profana quaelibet devitantes, paenitentiae spiritu imbuti, a quo tantum horum naturalismus temporum abhorret, et modestiam in vultu, in incessu, in vestibus potissimum praeferentes, id unice quaeritote

Hortatio Pontificis, ut frequentissimi Romam visitent.

Commendatio piae peregrinationis.

quemadmodum animarum vestrarum negotia gerendo provehatis. In quo pro certo habemus Episcoporum vestrorum curam diligentiamque haud vobis defuturam esse peregrinantibus: aut enim praeibunt praeeruntque ipsimet agminibus vestris, aut sacerdotes honestissimosque laicos viros praeficient, quibus ducibus res et quam optime ordinetur et quam religiosissime perficiatur.

Fides exemplaribus praestanda.

Ut autem Litterae hae Nostrae ad fidelium omnium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vèl ostensae.

Nulli igitur hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, promulgationis, concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Dies (29 maii) 1924.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die undetricesimo mensis maii anno Incarnationis dominicae millesimo nongentesimo vicesimo quarto, Pontificatus Nostri tertio.

O. Card. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

P. Card. GASPARRI,
a Secretis Status.

Iulius Campori, *Protonotarius Apostolicus.*
Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi.

VISA

M. Riggi, *C. A. Not.*

Reg. in Canc. Ap. vol. XXIX, n. 45.

Bullae publicatio.

Anno a Nativitate Domini millesimo nongentesimo vicesimo quarto, die vicesimo nono mensis maii, festo Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Pii divina Providentia Papae XI anno tertio, praesentes Litteras apostolicas in atrio sacrosanctae Basilicae Vaticanae de Urbe, adstante populo, legi et sollemniter publicavi.

Ego IOSEPH WILPERT,
Decanus Protonot. Apost. de numero Participantium.

ANNOTATIONES

Non aliae, ni fallimur, a nobis annotationes de memorabili isto caritatis pontificiae monumento exspectantur quam breve summarium quo principalia Bullae *Infinita Dei* puncta efferamus. Itaque:

I. In primis utilitatem quam pro *singulis* in Anno sancto, per se inesse persuasum habet, S. Pontifex universo Orbi praedicat. Quod ipso symbolico Hebraeorum iubilaeo illustratum commemorat.

II. Dein ad *sociales* considerationes deveniens, bona quae pro societate e celebrato isto iubilaeo exspectari possunt demonstrat. Etenim, *a)* ex emendatis moribus et artiore cum Christo coniunctione, e communi devotione qua ex diversissimis populis Romam confluent, sperare licet maiorem animarum pacificationem et reditum ad gremium communis matris Ecclesiae Romanae, multorum qui ad schismaticorum ecclesias pertinent.

Simul Pontifex constans suum propositum quaerendi pacem Christi in regno Christi nobis iterum inculcat.

III. Tum ipsum iubilaeum indicitur, eiusque condiciones definiuntur.

Primo initium et finis iubilaei accurate indicatur: a primis vesperis Natalis Domini 1924 ad primas vesperas Natalis Domini 1925 locus est iubilaeo lucrando. Cur a die Natali Domini ad diem natalem Domini computatio fiat, haec facilis ratio redditur: annum ecclesiasticum ab illa die initium diu duxisse, ita ut diceretur annus *Nativitatis Domini*, quamvis Bullae ab anno *Incarnationis Domini* diem sumerent, donec PIUS X, C. *Sapienti Consilio*, 29 iunii, 1908, statuerit ut deinceps in omnibus litteris Apostolicis data poneretur modo hodie vulgato, secundum annum

cuius initium est prima dies ianuarii. Quocirca mirari possumus in fine praesentis Bullae annum dici Incarnationis Domini (cuius initium foret 25 martii).

Dein quae praestanda sint ad lucrandam iubilaei indulgentiam explicatur. I. e. Omnes qui iubilaeum participare cupiunt, ad sacramenta paenitentiae et ss. eucharistiae accedere semel debent. Nullus usus communionis, etiam cotidianae, a confessione dispensat. Nec per communionem paschalem praescriptae communionis condicioni satisfieri potest. — Praeterea Urbis incolae et advenae, seu qui in Urbe domicilium vel quasi domicilium habent, debent vigesies quattuor Basilicas maiores visitare.

Quattuor istae Basilicae eadem die visitandae sunt, sed dies sumi potest vel civilis, a media nocte ad mediam noctem, vel ecclesiasticus, a primis vesperis unius diei ad integrum subsequentis diei vespertinum crepusculum. Repetendae autem sunt istae quattuor visitationes in viginti distinctis diebus, qui tamen possunt esse continui vel interpolati. — Qui peregre venerint, non debent nisi per decem dies visitationes istas instituere.

In istis visitationibus, orandum est ad mentem S. Pontificis. Mens ista est sane ea quae communis dici potest, i. e. exaltatio S. Ecclesiae, extirpatio haereseum, propagatio fidei, peccatorum conversio, pax et concordia inter principes christianos. Peculiariter autem Pontifex commendat veram pacis restitutionem inter populos; — conversiones acatholicorum; compositionem rerum Palestinarum. Nullo tamen pacto requiritur ut fideles norint quaenam sit Pontificis mens, dummodo preces offerre velint ad Pontificis intentionem vel ad indulgentias lucrandas (S. C. *Indulg.* 12 iul. 1847).

Qui vero in Urbe aut in itinere prohibiti fuerint (non ergo si extra Urbem et simul extra iter ad Urbem)

aut morte praerepti, indulgentias sine visitationibus per solam absolutionem a culpis et sacram communionem lucrari possunt.

IV. Succedit pia hortatio, in qua, multis rationibus allatis, S. Pontifex optat ut fideles frequentissimi ad Urbem accedant. Simul tamen vult ut non vana curiositate ducti sed ut vere peregrini christiani iter perficiant, ac proin paenitentiae spiritu imbuti, et modestiam in vestibus potissimum preferentes. Quam curam religiosae peregrinationis ab episcoporum sollicitudine exspectat.

23. — SS. D. N. Pii, Pp. XI

Motu Proprio 27 aprii. 1924

DE DISCIPLINAE BIBLICAE MAGISTERIIS

(A. A. S. 1 maii 1924, 16, 180).

PIUS PP. XI

Momentum in se et ex praesentibus impugnationibus scientiae Bibliorum, erudite et incorrupte hauriendae,

Bibliorum scientiam quanti Ecclesia Dei perpetuo fecerit, vel scripta testantur, a christianae religionis primordiis usque adhuc, ad fidem docendam tuendamque edita. Libris enim sacris, altero divinae revelationis fonte, haud secus ac traditis sine scripto doctrinis, quicquid de Deo, de Christo hominum Redemptore, de nativa Ecclesiae constitutione deque morum disciplina scimus, innititur id omne ac fulcitur. Quamobrem rei biblicae studia tanto plus viguerunt, quanto oportuit acrius aut veritatem inlustrare aut errores inimice infesteque in Christi divinitatem inque Ecclesiam prolatos refellere; acatholicis autem et rationalistis eo usque temeritatis audaciaeque progressis, ut ipsam Scripturae Sanctae auctoritatem atque ab errore immunitatem appeterent, iam nostris necesse fuit, magna sanae eruditionis copia instructis, in certamen descendere, ut divinum Caelestis Sapientiae donum a falsae scientiae commentis defenderet. In qua quidem palaestra, si omnes ex utroque clero alumni, per sacrorum studiorum cursum, graviter instituí atque exerceri debent, at plenissimam tamen incorruptamque

Maxime a futuris magistris et scriptoribus.

rei biblicae cognitionem ii percipiant oportet, qui ad eiusmodi disciplinam aut in Seminariis studiorumve Universitatibus tradendam aut scripto tractandam peculiari quadam ingenii sui propensione allici et reservari videantur: qui si tantulum ab Ecclesiae sensu aberrarint, iam apud plures alios integritas fidei in periculum discrimenque vocabitur. Rei huiusce momenta cum proximi decessores Nostri provido intentoque animo ponderassent, Commissione, ut aiunt, Purpuratorum Patrum et Instituto item Biblico conditis, datisque haud semel, ut Sacrae Scripturae studia proveherent, ad universos etiam catholici orbis Antistites, Litteris, inter alia id quoque edixerunt, magistros eius dirciplinae esse caute prudenterque diligendos, et alumnos optimae spei, qui nati apti ad Bibliorum studia viderentur, ad promerenda etiam huius disciplinae insignia excitari adiuvarique debere, quibus aliquando divinarum Litterarum magisteria committerentur. Quae quidem hortamenta et iussa sapientissimorum Pontificum magno sane emolumento fuere; verumtamen ut eadem, additis per Nos praescriptis atque incitamentis, quae temporum condicio postulat, uberiores solidioresque afferant utilitates, placet haec, quae sequuntur, auctoritate Nostra decernere:

Inde Commissio Biblica, Biblicum Institutum, Litterae de prudenti delectu magistrorum et auxilio dando iunioribus optimae spei.

Ut haec perficiantur, S. Pontifex plura decernit.

1. De gradibus academicis.

I. Gradus academici, apud Commissionem Biblicam vel Institutum Biblicum, facto scientiae periculo, impetrati, eadem pariant iura eosdemque canonicos effectus, ac gradus in sacra theologia vel in iure canonico a quibusvis Pontificiis Athenaeis et Catholicis Institutis conlati.

2. De collatione beneficii cum onere S. Script. populo explanandae.

II. Beneficium, in quo canonice insit onus Sacrae Scripturae populo explanandae, ulli ne conferatur, nisi, praeter alia, sit is licentia aut laurea in re biblica potitus.

3. De docentibus S. Scripturam.

III. Nullus item Sacrarum Litterarum disciplinae in Seminariis tradendae doctor esto, nisi, confecto peculiari eiusdem disciplinae curriculo, gradus academicos apud Commissionem Biblicam vel Institutum Biblicum adeptus legitime sit. Volumus autem ut baccalaurei titulus iis ab Instituto Biblico tributus, qui ibidem primum alterumque curriculi annum — graviores, nempe doctrinas percipiendo — peregerint, satis sit cum ad rem biblicam docendam, tum ad beneficium, de quo n. II, assequendum, incolumi tamen iure eos anteferendi qui licentia laureave aucti sint.

Valor tituli baccalaurei ab Instituto Biblico tributi.

4 De religiosis ad studia biblica aptioribus.

IV. Summi Ordinum regularium Sodalitatumque religiosarum moderatores id velle Nos sciant, ut quos ex alumnis suis, aut Romae aut alibi sacrarum disciplinarum curriculum agentibus, ad divinarum Litterarum studia aptiores deprehenderint,

si non omnes at saltem eorum aliquem, post exactum theologiae cursum, Scholas Instituti Biblici frequentare iubeant.

5. Idem de sacerdotibus saecularibus. De alendis Romae sacerdotibus qui Instituti B. scholas frequentent.

V. Id ipsum catholici orbis Episcopis sanctum ac solemne esto, qui, praeterea, rem Nobis pergratam facturi sunt, si annuam pecuniam constituerint, constituendamve aliorum liberalitate curarint, uni vel pluribus e sua cuiusque dioecesi sacerdotibus Romae alendis, ea de causa, ui Instituti Biblici scholas celebrent ibique gradus academicos adipiscantur. Quos autem Episcopi, huius rei gratia, in Urbem miserint, iis excipiendis hospitia profecto non deerunt.

6. Largitio Pontificia.

VI. Ut quod postremo loco hortati sumus, id exemplo confirmemus Nostro, ducenta libellarum italicarum millia largimur, quarum annuum reditum in sacerdotes duos, ut supra, Romae alendos per Sacram Congregationem Seminariis studiorumque Universitatibus praepositam erogaturi sumus: cui quidem Sacrae Congregationi omnia, quae superioribus quinque capitibus decrevimus, ad effectum deducenda ac pro prudenti arbitrio moderanda attribuimus.

Mandatum datum S. C. de Seminariis, etc.

Divinam interea Sapientiam rogamus incepto faveat Nostro, quocum maximum religioni bonum cohaeret profecto ac coniungitur.

Pontificis Votum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis Aprilis anno MDCCCCXXIV, Pontificatus Nostri tertio.

Dies (27 apr. 1924).

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

Id unum nobis in his annotationibus proponimus, ut pauca quaedam, quae dubitari possint de vi vel significatione praesentis Motu Proprio, brevissime declaremus. Notum itaque est exsistere in Urbe *Supremum Consilium Pontificium rei Biblicae provehendae*, quod in Motu Proprio *Commissio Purpuratorum Patrum* vocatur; ac praeterea *Pontificium Institutum Biblicum*, quo studiis Biblicis intenditur. Commissio Biblica creata est a LEONE XIII per Breve *Vigilantiae*, 30 oct. 1902 (*Acta Sanctae Sedis*, 35, 234). Gradus dein prolytae et doctoris S. Scripturae instituti sunt a PIO X per Breve *Scripturae Sanctae*, 23 febr. 1904 (*Acta S. Sedis*, 36, 530), eorumque collatio tunc

Commissioni Biblicae tributa est. *Institutum* autem *Biblicum* originem duxit a Brevi, *Vinea electa*, 7 maii, 1909 (*Per.* 5, p. 4, ss.). In legibus autem Instituti, simul promulgatis, nihil de gradibus dictum est. Rem autem ordinavit BENEDICTUS XV Brevi *Cum Biblia sacra*, 15 aug. 1916, quo Instituto Biblico potestatem fecit conferendi gradum prolytatus in S. Scriptura, nomine tamen Pontificii Consilii Biblici, cui soli ius mansit lauream impertiendi (*A. A. S.* 8, 305, vel *Per.*, 8, 132). Iam de parte dispositiva pauca notanda veniunt.

I. *Gradus academici* hos canonicos effectus pariunt, ut conferant titulum vel exclusivae idoneitatis vel saltem praelationis ad varia officia ecclesiastica assequenda. Id igitur notabile est, gradum istum in Scriptura Sacra, quod ad effectus, in posterum gradibus in theologia vel in iure canonico aequiperari.

II. Beneficium cui onus annectitur explicandi Scripturam Sacram populo est beneficium canonici theologi. Nec refert canonico, ut saepe, permitti, ut, pro publicis lectionibus S. Scripturae scientiam sacram doceat in Seminario: id canonicam beneficii rationem minime mutat.

III. Gradus academici, plurali numero, supponunt saltem gradum licentiati, praeter gradum baccalaurei. Is igitur gradus foret per se necessarius docendis sacris litteris in Seminariis et obtinendis beneficiis in quibus insit canonice onus S. Scripturae populo explanandae. Verum statim conceditur privilegium quo, ad istos effectus, satis est obtinuisse, in Instituto Biblico, post primum alterumque curriculi annum, baccalaureatum.

IV. Tum Superiores Generales, tum episcopi iubentur quempiam aptum subditum seligere qui, post completa studia theologica, scholas Instituti Biblici frequentet.

V. Iussioni succedit hortatio ut episcopi pecuniam

constituendam curent alendis Romae sacerdotibus qui dictum Institutum frequentent.

Atque, exemplo proprio id confirmare volens, S. Pontifex ducenta milia libellarum italicarum, isti fini destinat: quarum administratio S. C. de Seminariis etc. committitur.

24 — SS. D. N. Pii, Pp. XI

Epistola 5 maii 1924

DE ATHENAEO ET SODALICIO GREGORIANO

(A. A. S. 1 iun. 1924, 16, 237)

Qua intentione athenaeum Gregorianum conditum sit, quibusnam fructibus conceptam spem cumulaverit.

Dilecte fili (1), salutem et apostolicam benedictionem. — Ea inter opera, quae superioribus aetatibus, ad studia pietatis optimarumque artium alenda, Romani Pontifices hac in Alma Urbe excitarunt, praecipua quadam cura benevolentiaque Apostolica Sedes Athenaeum illud complexa est, quod fel. rec. decessor Noster Gregorius XIII « molitione ingenti ac magnificentissima » exstrui iusserat. In quo id fuit Pontifici propositum, ut Ignatiana familia, in ipso veluti Vicarii Iesu Christi conspectu, pietate, litteris disciplinisque sacris profanisve lectos adulescentes conformaret, qui in hoc catholici nominis centrum rite excolendi confluxissent. Quot autem inde ab initio inlustre Athenaeum floruerit alumnis sanctitatis doctrinaeque laude praestantissimis, nulli putamus inauditum atque incognitum; in eademque eruditos expolitosque virtutum et altissimarum cognitionum palaestra, si numerare libet beatum Cardinalem Robertum Bellarmino sanctosque caelites Aloysium Gonzaga, Camillum De Lellis, Ioannem Berchmans, Leonardum a Portu Mauritio, Ioannem Baptistam De Rossi, longum tamen est magistros et doctores, Evangelii vel in barbaras gentes praecones, pontificalis Domus Curiaeque Antistites, Episcopos, Purpuratos Patres et Romanos Pontifices recensere Ecclesiae datos, in reique ipsius publicae commodum eductos laicos viros

(1) R.mus P. Wlodimirus Ledochowski, Praepositus Generalis Societatis Iesu.

Quo pacto restitutae Societati Romanum Collegium redditum sit.

quamplurimos, integritate vitae rerumque multiplici scientia mirabiles. Constat quidem, Societate Iesu anno MDCCCXIV restituta, immortalis memoriae decessorem Nostrum Pium VII, cum e praeteritorum temporum experientia persuasum sibi haberet, subversae adhuc recentibus motibus societati hominum reparandae arcendisque incommodis, quae religioni morumqne sanctitati proxime impendere viderentur, summopere profuturum si Ignatianae familiae Conlegium Romanum denuo committeret, hoc ipsum cogitasse vehementerque optavisse, at, quominus effectum daret, inquietis rebus temporibusque prohibitum esse. Verum Leo XII, paulo post quam ad Petri Cathedram evectus erat, id consilii coepit perfecitque, ut magni Lycaei Gregoriani rectionem procurationemque Societati Iesu redderet, quae — congruenter pulcherrimo Athenaei ipsius insigni « Religioni et Bonis Artibus » — in recta sapientique studiosorum institutione tam acriter ibidem tamque utiliter annos plus ducentos elaborasset. Quo ab evento cum plenum saeculum in septimum decimum huius mensis diem feliciter incidat, auctori bonorum omnium Deo grati equidem sumus quod et vobis cunctis, dilecte fili, et Nobismet ipsis novum hunc laetitiae fructum benigne concesserit. Itaque, quemadmodum eadem stat Nobis sententia quam Leonianae Litterae *Cum multa in Urbe* habent —, scilicet Gregorianam studiorum Universitatem *eminere certe* inter cetera Romae a decessoribus Nostris condita instituta, quae *ad salutem et commodum christiani populi maxime pertinent* —, sic horum faustitatem sollemnium praeterire non sinimus, quin vobis, quanti apud Nos sit Pontificium istud bonarum artium domicilium, publice iterum testificemur. Recolentibus enim Nobis res ab Athenaei restitutione gestas, bene multa occurrunt, unde comprobatur, talem illius magistros operam Apostolicae huic Sedi per id temporis spatium praestitisse, quae omnem ipsius exspectationem abunde compleret : ut, exempli causa, gravissimae eorum de sacra doctrina lucubrationes peculiaribus confectae studiis cum decernendum esset de Deipara ab origine labis nescia catholice credenda, cumque deinde Concilium Oecumenicum Vaticanum pararetur atque haberetur ; ut obedienter ardenterque suscepta, Leone XIII Pontifice Maximo, provincia instaurandae Thomae Aquinatis doctrinae, qua quidem cum instauratione summa christianae sapientiae incrementa coniungerentur. Hisce autem extraordinariis promeritis cotidiana accedit laus illa beneficiorum, quae, hoc diuturno intervallo, in Ecclesiam civitatemque ex Athenaeo profluxere. In re iam ante delibata insistere haud attinet ; verumtamen

Pontifex de laeto anno saeculari gratulatur,

Praeclare per saeculum gestis commemoratis de Immaculato Conceptu, de Concilio Vaticano, de instauranda S. Thomae doctrina,

de Antistitibus, Cardinali-

periucunde afficimur cum subit cogitatio animum, non modo ducentos hodie exstare dioecesium per orbem Antistites, Patresque Cardinales ad tertiam Sacri Conlegii partem numerari, qui solidae ibidem perceptae doctrinae debent, si suae lumina sapientiae ad populi christiani gubernationem afferre salubriter possunt, sed etiam Nosmet ipsos istam studiorum aedem, cum magna voluptate atque utilitate, olim celebrasse.

bus et de propria sua Persona.

Gratae sane paternaeque voluntatis multiplicia, inde ab inito Pontificatu, testimonia a Nobis Athenaeo non defuere vestro; at testimonium prorsus singulare daturi sumus, a fundamentis aedificium excitando magnificum, quod, cum ingenti alumnorum numero auctisque magisteriis, tum rei munerisque dignitati aptius respondeat: cuius quidem consilii Nostri monumento esse voluimus nomisma ipsum, quod tertio huic Pontificatus anno commemorando cudi signarisque iussimus. Sed aliud est, quod tibi, dilecte fili, et Gregoriano praeceptorum coetui gratulemur. Nosti ipsemet quam iucunde audierimus, *ex veteribus alumnis Sodalicium*, per haec saecularia sollemnia, conflari velle, titulo itemque caelesti patrocinio fretum inlustris illius, in Athenaeo olim discipuli et magistri et rectoris, Cardinalis Roberti Bellarmino, quem Nosmet haud ita pridem in beatorum caelitum numerum tam libenter adscripsimus Vixdum enim certiores ea de re facti sumus, et consilium probavimus et Sodalicii ita, pro vetere condiscipulatu Nostro, participes fieri deliberavimus, ut id ipsum in tutela esset Nostra, partium quidem Nostrarum perfunctione in praesens demandata dilecto filio Nostro Caietano S. R. E. Card. Bisleti, Praefecto Sacrae Congregationis Seminariis studiorumque Universitatibus praepositae. Legem praeterea eidem Sodalicio regundo perlegimus ratamque habuimus: cuius exemplum, in novam peculiaremque benevolentiae significationem, Epistulae huic subiicimus, ut cum ipsa quasi cohaereat et in omnem memoriam prodatur. Coeptis interea vestris divinam opem conciliet apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili, et universis Gregoriani Athenaei doctoribus atque alumnis, peramanter in Domino impertimus.

Testimonium singulare affectus, esse vuet navum aedificium magnifice excitandum, cuius consilii sit monumento ipsmus Poniificatus nomisma

Demum probat Sodalicium et veteribus alumnis, ei nomen dat, eiusque legem ratam habet et epistolae subicit.

Ap.ca Benedictio

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die V mensis maii anno MDCCCCXXIV, Pontificatus Nostri tertio.

Dies (5 maii 1924).

PIUS PP. XI

Lex Sodalicii

LEX SODALICII GREGORIANI

I

Patronus

Sodalicium veterum Pontificii Athenaei Gregoriani alumnorum, patrono et auspice B. Roberto Bellarmino, constitutum est.

II

Finis

Sodalicium eo spectat, ut quicumque in sodalium numerum adscripti sunt, iam inter se cumque Athenaeo ipso coniunctiores exsistant, et, quos ex communi fonte sanos hauserint spiritus, eos facilius tueantur uberiusque alant.

III

Media

Huius propositi assequendi causâ, sodales sanctarum precum officio et sacro cotidiano inter se apud Deum adiuvanto ; pro sodalibus vitâ functis singuli, semel in anno, si quidem potestas adsit, perlitanto ; quae Athenaei et Sodalicii interesse intellexerint, item suae fructus doctrinae, vel per commentariolum Sodalicii vel per Athenaei annales vel per ephemeridem titulo « Gregorianum », sodales cum sodalibus communicanto.

IV

Sodales

Sodales ne sunto nisi sacerdotio initiati, modo per annum saltem Athenaeum celebrarint et, postulato ad Sodalicium aditu, cooptatione digni habiti sint : qui sacerdotio carent, eos, nisi peculiari aliqua de causa, adscisci ne liceat. - Doctores autem disciplinis in Athenaeo tradendis, etiamsi nunquam ibi auditores fuerint, Sodalicium participanto.

V

Eorum privilegia

Sodalibus ius esto indulgentiis privilegiisque perfruendi, quae Romani Pontifices Sodalicio largiti erunt. - Ad singulos commentariolum Sodalicii proprium stato quoque tempore perferantur.

VI

Sodalicii dies natalis. Annua iusta funebria

Dies tertius decimus mensis maii, quo die B. Roberti Bellarmini festum agitur, Sodalicii natalis habeatur. - Quotannis, ineunte mense novembri, sodalibus, qui de vita decesserint, ad S. Ignatii iusta funebria sollemni ritu solvantur.

VII

Regimen.

Sodalicio unus e Purparatis Patribus Protector, ex Pontificis Maximi auctoritate, praeesto. Ab eo alter sit, in Sodalicio regundo, Moderator : huic quattuordecim adsunto sodales Consiliarii, quorum unus ab actis, alter arcarius curatorque esto.

VIII

Cardinalis Protector Moderatorem e sodalibus in Urbe consistentibus eligito. - Athenaei Rector et studiis Praefectus, nativo iure, e Consilio sunto ; praeterea duodecim sodales in Consilium cooptantor, alius ex alia natione, qui tamen Urbem incolant. - Consiliarii duodecim in officio sexennium permanento ; eos iterum eligi fas esto. Si quis e Consiliariis quavis de causa defecerit, alter a Consilio sufficitor. Tertio quoque anno dimidia eorum pars loco cedito, atque in sodalium coetu numerus suppletor.

IX

Moderator Consilium bis in anno, mensibus novembri et maio, convocato ; totiens praeterea, quotiens profuturum id esse existimarit. - Ut Consilii decreta valeant, octo saltem Consiliarii adfuerint, oportebit.

X

Conventus annuus.

Consilii est, annuum sodalium conventum indicere in ipsum, quoad fieri poterit, natalem Sodalicii diem. Legitimus erit conventus, quotcumque socii coiverint. Quo in annuo conventu, iis ante propositis, quae medio tempore Sodalicio incrementa omne genus contigerint, quaeque tum necessitates incumbant, ea communiter disceptando sodales consilia capiunto, quae magis opportuna videantur. - Eodem in conventu, tertio quoque anno, Consiliarii, ad praescriptum capitis VIII, deliguntor.

XI

Reditus.

Pecunia sodalibus nulla imperatur ; verum, cum ad suppeditandum sumptibus nulli Sodalicio adsint reditus, sodales omnes rogantur, annuam stipem pro sua quisque facultate, quantumvis modicam, in commune conferre velint.

XII

Sedes.

Sodalicii sedes esto apud Pontificium Athenaeum Gregorianum.

25. — S. Rituum Congr.

Instructio 15 dec. 1922.

DE VEXILLIS IN ECCLESIA ADMITTENDIS VEL BENEDICENDIS.

(A. A. S. 1 april. 1924, 16, 171)

Instructionis occasio

Plurium Dioecesium. — Postulantibus nonnullis locorum R.mis Ordinariis a Sacra Rituum Congregatione aliquam normam seu Instructionem circa vexilla in ecclesiis admittenda vel benedicenda, Sacra Rituum Congregatio, audito etiam specialis Commissionis suffragio, rescribendum censuit: « Ad mentem ».

Instructio

Mens est: « Quando insignia seu vexilla non pertineant ad « societates religioni catholicae manifeste contrarias, nec re- « probata sint harum statuta, neque ipsa insignia seu vexilla « aliquod emblema de se vetitum ac reprobatum praeseferant, « in ecclesiis admitti possunt. Quum vero in favorem et obse- « quium eiusdem religionis catholicae pacifice postuletur supra- « dictorum insignium seu vexillorum benedictio, haec concedi « potest, adhibita formula *Ritualis Romani* ». Atque ita rescripsit. Die 15 decembris 1922.

Dies (15 dec. 1922).

Evulgatio, 26 mart. 1924.

Hanc peculiarem Instructionem, ut ipsa cunctis locorum Ordinariis innotescat, Sacra eadem Congregatio evulgandam duxit, die 26 martii 1924.

† A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Praefectus*

L. ✠ S.

Alexander Verde, Secretarius

Annotationes

I. De vexillis in Ecclesiam introducendis, viguit disciplina severior quam, his verbis, exponebat S. R. C. in Patavina, 14 iul. 1887: « Non licere admittere nisi vexilla religiosa et pro quibus habetur formula benedictionis in Rituali Romano ». Interrogata autem eadem occasione de vexillis societatum quae partem haberent in anticatholicis demonstrationibus, vel ipsi sectae massonicae adhaerere viderentur, S. R. C. regulam suam iteravit. Demum rogata quid parocho faciendum esset

si facta inhibitio ingressus videretur perturbationes peiores adductura, vel si eius inhibitioni non obtemperaretur : deberetne tunc sacras actiones abrumpere ac sese subducere, S. R. C. ad III et ad IV respondit: « Intimatione facta antecedenter, iuxta mentem S. Congregationis, parochus se abstineat » (Decr. auth. n. 3679). Quae posteriora verba, satis obscura, hanc interpretationem obtinuerunt in Indice alphabetico, verbo *Vexillum* : « Parochus, intimatione facta antecedenter, iuxta mentem S. Congregationis, se abstineat : sacras actiones abrumpens ac sese subducens, quatenus non obtemperetur ». Cf. quoque resp. S. Officii 31 aug. 1887, in *Coll. de Prop. Fide*, n. 1681, cum adiuncta nota de S. Paenitentiariae responso.

II. Severitas ista hoc commodum habebat, ut permitteret regula generali, ac proin, sine peculiari offensione, excludere vexilla societatum suspectarum. Rursus autem, cum in dies multiplicarentur vexilla societatum laicarum quae, cum nihil religiosum haberent, benedictione necessario carerent ; et cum ipsa religionis utilitas, praesertim post ultimum bellum, maiorem tolerantiam suaderet, ne Ecclesia nimis a patriis demonstrationibus existimaretur aliena, S. R. C. iam fere a duobus annis valde disciplinam suam temperarat, ita ut sola iam vexilla excluderet quae vel ipsa emblema de se vetitum ferrent, vel pertinerent ad societates religioni catholicae manifesto contrarias. Ac praeterea permisit ut formula Ritualis benedicerentur, si benedictio in favorem et obsequium religionis catholicae pacifice postuletur.

III. Instructio tamen ista latebat, extra loca pro quibus ita responsum fuerat. Ut veri simile est, boni effectus istius dispositionis moverunt S. Congregationem ut sponte sua eam ad usum omnium Ordinariorum locorum evulgaret.

IV. Specialis formula benedictionis in Rituali sup-

ponit vexilla imagine Sancti cuiuspiam ornata. Quae nullam praeferunt benedictione pro re quacumque benedici poterunt.

26. — S. C. Rituum

Resp. Sanctissimi, 26 mart. 1924

DE FESTO BONI PASTORRIS

(A. A. S. 1 mali 1924, XVI, 199)

DE FESTO CUM OFFICIO ET MISSA IN HONOREM D. N. I. C. SUB TITULO BONI PASTORIS.

Orator.

Petitionis occasio et obiectum.

Hodiernus parochus ad " Boni Pastoris „, in loco de Wassenaar, prope Hagam-Comitis, Hollandiae, dioecesis Harlemensis, Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI humiliter exposuit quod in fundatione novae paroeciae in praedicto loco Wassenaar, ecclesiae titulus impositus est *Boni Pastoris;* sed, deficiente peculiari Officio festivo cum Missa sub hoc titulo, atque ut Boni Pastoris misericordia et benignitas magis magisque moveat ac sibi conciliet animas fidelium, speciali modo sibi dicatas, maxime praestabit devotionem erga Bonum Pastorem fovere festo speciali. Quapropter idem parochus ipsum sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam XI suppliciter exoravit, ut concedere dignaretur facultatem celebrandi festum titulare praedictae ecclesiae Boni Pastoris in Wassenaar, die Dominica secunda post Pascha, iam a saeculo antiquo Boni Pastoris propria, atque usque hunc diem populo fideli uti talis notissima. Sanctitas porro Sua his precibus, amplissimo R.mi Episcopi Harlemensis dioecesis commendationis officio communitis et ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatis, libentissime indulgens, statuit ac declaravit Festum titulare memoratae Ecclesiae Boni Pastoris esse qnotannis recolendum Dominica secunda post Pascha, sub ritu duplici primae classis et octava communi, cum Officio et Missa propriis, quae de dicta Dominica leguntur in Breviario et Missali Romano; servatis Rubricis, etiam quoad Commemorationem

Gratia.

diei Octavae in Dominica ipsum Festum proxime sequenti. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 26 martii 1924. *Dies (26 mart. 1924)*

† A Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae,*
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Ad celebrandum festum Boni Pastoris certe nulla datur dies magis conveniens quam haec dominica II post Pascha, quae passim iam sub nomine *Dominicae Boni Pastoris* designatur, et in qua videtur antiquitus celebrata statio ad honorandum divinum Pastorem. Nec minus conveniunt ipsius dominicae officium et missa, cum, praeter evangelium in quo legitur pericopes de Bono Pastore, plura alia in eis contenta divino Pastori recte adaptentur.

Nihilominus in iure hodierno liturgico prorsus novum est aliquo festum celebrari adhibitis officio et missa de dominica.

Pro ipso tamen festo, in quo praescribitur adhibendum officium de dominica, nulla habetur difficultas, cum post reformatum psalterium, officium dominicale, praesertim temporis paschalis, vix discrepet ab officio festivo. Verum in ordinando officio octavae aliqua potest occurrere difficultas; feriis II et III (1) enim, nisi occurrat festum 9 lectionum, officium peragendum erit de die infra octavam ritu semiduplici. In hoc officio profecto, secundum rubricas, adhibenda sunt antiphonae et psalmi ad omnes horas et versus nocturnorum de occurrenti hebdomadae die; lectiones 2 et 3 nocturnorum, cum neque ex Communi, neque ex Octavario desumi possint, repeti debent de domi-

(1) Cum feria IV celebratur Sollemnitas s. Ioseph sub ritu duplici 1 cl. cum octava communi, exinde haec praevalet octava.

nica cum responsoriis ibi indicatis; lectiones vero 1 nocturni de Scriptura occurrenti, quae tamen dicendae videntur cum responsoriis de dominica, cum responsoria iis feriis assignata desumpta sint ex 2 vel 3 nocturno dominicae ac proin in illo nocturno sint dicenda. Reliqua dicuntur ut in festo, scilicet de dominica; attamen, cum ad *Benedictus* et ad *Magnificat*, indicetur in psalterio singulis diebus (1) antiphona propria, quae immo in vesperis desumpta est ex evangelio de Bono Pastore, haec, utpote magis propria, videtur adhibenda, sive in ipso officio de die infra octavam, sive pro commemoratione octavae in officio praevalente; feria VI tamen ad vesperas et sabbato ad laudes in quibus antiphona propria non datur, sumenda erit de dominica.

Sequenti dominica, in officio de dominica III post Pascha, de occurrenti die octava fiet commemoratio in utrisque vesperis, laudibus et missa, adhibitis antiphonis ut in festo de dominica II post Pascha; cum vero versus iam sint adhibiti pro ipso officio de dominica III, pro commemoratione diei octavae ita erunt mutandi ut ad vesperas sumatur versus *In resurrectione*, ad laudes vero *Mane nobiscum*, etsi ille minus huic horae convenit.

IOS. PAUWELS. S. I.

27. — S. C. Rituum

Responsa 2 maii 1924

DE MISSIS CONVENTUALIBUS ET OFF. PARV. B. M. V.

Sacrae Rituum Congregationi, pro opportuna declaratione proposita sunt sequentia dubia; nimirum:

Dubium I « I. An in novis rubricis generalibus Missalis Romani tit.

(1) Exceptis feria VI ad Vesperas et Sabbato ad laudes, cum pro officio de feria tunc persolvendum sit officium de S. Maria in Sabbato.

« I, n. 1, ubi agitur de pluribus Missis Conventualibus sive « in choro sive extra chorum celebrandis, comprehendantur « etiam ecclesiae Religiosorum in quibus adest obligatio chori?

« II. An post editionem typicam Breviarii Romani, adhuc *Dubium II* « in suo robore maneat decretum S. R. C. 3572 Rhedonen. « 27 Februarii 1883, ad I, quo Hymnus *Te Deum* in Officio « parvo B. Mariae V., dici debet a Nativitate Domini usque « ad Adventum; in Adventu autem et a Septuagesima usque « ad Pascha, tantummodo in festis B. Mariae Virginis? »

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis, respondendum censuit:

Ad I. *Negative;* seu non comprehendi, nec teneri Religiosos, iuxta Rubricas generales Missalis, tit. III, n. 2 et canones 413, §§ 1, 2 et 610, § 2 Cod. iur. can. et Decreta (1331-1332) 13 Februarii 1666 ad 6; (2514) 27 Martii 1779 ad 5; et Decretum generale (3757) 2 Decembris 1891; seclusis legitima consuetudine aut eorum constitutionibus. *Ad I.*

Ad II. *Affirmative.* *Ad II.*

Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 2 maii 1924. *Dies (2 maii 1924).*

✠ A. Card. Vico, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Ad. I. — Responso ad 1 confirmatur quod dicebamus in his Periodica t. XIII p. (20), de Missa conventuali imposita religiosis. Et, cum praesens responsum pro religiosis ratum habeat decr. 3757, ipsis manet facultas plures missas conventuales celebrandi ubi id a rubricis praescribitur, quarum tamen in casu ad normam novarum rubricarum, non obstante hoc decreto, una tantum in choro cum assistentia choralium, reliquae vero extra chorum et sine assistentia choralium celebrandae erunt.

Porro, sive una tantum celebretur missa conventualis, sive plures celebrentur, semper id fiat hora a rubricis praescripta:

a) Post *tertiam*, missa de occurrenti dominica, etiam anticipata, vel quod ad officium translata et de vigilia Epiphaniae ; missa de occurrenti duplici vel semiduplici, de die octava privilegiata vel communi et de die infra octavam privileggiatam vel communem, exceptis tantum missis de quattuor temporibus infra octavam Pentecostes.

b) Post *sextam*, missa de die octava simplici, de officio sanctae Mariae in sabbato et de festo simplici; missa de vigilia Ascensionis et de feria temporis paschalis, excepta tamen missa de rogationibus, missa de feria communi per annum et de dominica infra hebdomadam resumenda.

c) Post *nonam*, missa de feria adventus, quadragesimae, et passionis, missa de rogationibus, missa de quattuor temporibus, etiam infra octavam Pentecostes, missa de vigilia privilegiata Nativitatis Domini et Pentecostes, et de vigilia communi, excepta vigilia Ascensionis; missa votiva celebranda pro missa feriali.

Missa pro defunctis in commemoratione omnium Fidelium Defunctorum dicitur pariter post *nonam*; missae vero pro defunctis prima die libera mensis et feria II libera dicenda est post *primam*.

Ad II. De solutione hic data dubitari poterat eo quod post reformationem rubricarum hoc officium parvum B. M. V. iam numquam addi debeat officio diei, ideoque, suppressis omnibus rubricis in quibus de hac iunctione agebatur, in novo breviario videbatur ordinatum hoc officium qualiter dicendum est independenter ab officio diei; iam vero de addendo aliquando post tertiam lectionem Hymno Ambrosiano nulla fit mentio, sed simpliciter indicatur dicendum tertium responsorium.

IOS. PAUWELS, S. I.

28. — Pont. Commissio Interpretando Codici

Responsa Em. Praesidis Commiss., 22 maii 1923

De iudiciis (cann. 1552-1601)

Dubium 1. 1. Utrum ad normam cann. 1552-1601 institui possit actio iudicialis contra Ordinariorum decreta, actus, dispositiones, quae ad regimen seu administrationem dioecesis spectent, ex gr. provisionem beneficiorum, officiorum, etc., aut recusationem seu denegationem collationis beneficii, officii, etc.

Et quatenus negative,

Dubium 2. 2. Utrum ob eiusmodi decreta, actus, dispositiones, actio iudicialis institui possit saltem ratione *refectionis damnorum;* et proinde Ordinarius conveniri possit, ad normam can. 1557, § 2 et 1559, § 2, penes Tribunal Sacrae Romanae Rotae.

Resp. Mens. Resp.: *Negative ad utrumque* et ad mentem. Mens est: exclusive competere Sacris Congregationibus cognitionem tum huiusmodi decretorum, actuum dispositionum, tum damnorum, quae quis praetendat ex iis sibi illata esse.

Dies (22 mai 1923). 22 maii 1923.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

A. Sincero, Secretarius.

ANNOTATIONES

I. Lex propria S. Romanae Rotae, una cum Constitutione *Sapienti consilio* 29 iun. 1908 promulgata, canone suo 16 haec habet: « Contra dispositiones Ordinariorum, quae non sint sententiae forma iudiciali latae, non datur appellatio seu recursus ad S. Rotam; sed eorum cognitio Sacris Congregationibus reservatur.» Codicis vero canon 1601: « Contra Ordinariorum decreta non datur appellatio seu recursus ad S. Rotam; sed de eiusmodi recursibus exclusive cognoscunt S. Congregationes ».

II. Notissimum est a tempore Constitutionis *Sapienti consilio*, negotia apud sacras Congregationes

pertractari via disciplinari seu administrativa tantum, apud Tribunalia vero, servato ordine processus iudiciarii. Verum inter auctores controvertebatur utrum formaliter ex obiecto pertractando, an ex modo tractationis determinanda esset competentia Congregationum et Tribunalium. Alius quidem sentiebat potius ex obiecto: negotia sc. quibus ageretur de *iure* controverso, ad Tribunalia; ea quibus de mero *interesse*, ad Congregationes spectare (1). Alius autem contendebat negotia quidem in quibus de mero interesse, cum tractationem modo iudiciario non admitterent, semper spectare ad Congregationes; ea tamen in quibus de iure proprie dicto ageretur, posse deferri ad Congregationes aut ad Tribunalia, pro eo quod sine sollemnitatibus ordinis processualis, seu in linea disciplinari, aut contra in linea iudiciaria definirentur (2).

Inde dissensus circa competentiam de recursibus contra decreta Ordinarii. Ordinarius si quidem duplici pollet auctoritate, *iudiciaria* et *administrativa*. Sententiae quas tamquam *iudex* ipse tulit, si casus ferat, apud *tribunal* superius, ut patet, impugnandae sunt. De decretis autem quae vi auctoritatis suae administrativae tulisset, non ita constabat. Alter ex allatis auctoribus tenebat, a dispositione Ordinarii quae fuerit *in linea disciplinari* seu extra formam sententiae iudiciariae lata, recursum tantum patere ad Congregationes, numquam autem appellationem ad S. Rotam (3). Prior vero distinguebat: si Ordinarius, eo quod limites suae potestatis excessisset, *ius* quoddam violasset, ab eius decreto appellandum esse ad *Tribunal* superius; si autem, abutendo tantum potestate qua re vera polleret, *interesse* quoddam absque iusta causa laesis-

(1) Cf. Oietti, *De Romana Curia*, 1910, pp. 23. 24.
(2) Cf. Cappello, *De Curia Romana*, I, 1911, pp. 48-53.
(3) Cappello, *op. cit.*, pp. 52. 390.

set, non concedi nisi recursum ad Congregationes (1). In hac sententia sic intellegi poterat canon 16 laudatae Legis propriae: de ipso decreto administrativo non datur appellatio ad S. Rotam, sed tantum recursus ad Congregationes; verum si per illegitimum decretum ius quoddam violatum fuisset, potest contra Ordinarium actio iudiciaria institui, et quidem penes S. Rotam, ut obtineatur restitutio iuris laesi, vel saltem refectio dannorum. Aliis verbis: sicut viro privato licet, ob violatum ab altero viro privato ius suum, actionem iudiciariam contra violantem experiri, pariter viro privato liceret, ob violatum a Superiore qua tali ius suum, contra Superiorem in iudicio contendere.

Notum est in iure civili non paucarum nationum, propter sic dictam « separationem potestatum », potestati iudiciariae ordinariae ius non esse cognoscendi de actibus potestatis administrativae. Simile quid iam nitide obtinet in iure ecclesiastico. Praesenti solutione Emi Praesidis Commissionis, perpolitur distinctio Constitutione *Sapienti consilio* instaurata, et in Codice servata, inter potestatem administrativam et iudiciariam: prior ab altera in exercitio suae potestatis nullatenus pendet. Quod negotium linea disciplinari agi coeptum est, de hoc sola administrativa potestas ulterius cognoscit. Logice inde deducit praesens responsum, minime, etiam ob violatum per decretum Ordinarii ius quoddam strictum, actionem iudiciariam institui posse, ne ad refectionem quidem damnorum. Hoc enim si liceret, deferretur ad S. Rotam iudicium de *legitimitate* ipsius *decreti* Ordinarii: si enim S. Rota violatum iudicet ius privati viri cuiusdam, eo ipso iudicat illegitimum decretum, cum qui legitime agit utatur iure suo, ac proinde nemini faciat iniuriam.

---

(1) Oietti, *op. cit.*, pp. 23. 24.

III. Ordinariorum « decreta, actus, dispositiones, quae ad regimen seu administrationem dioecesis spectent », ea omnia sunt « quae non sint sententiae forma iudiciali latae ». Proinde si cui per decretum Ordinarii *ius* quoddam *etiam controversum* concessum seu adiudicatum, ademptum seu abiudicatum sit, modo hoc ne acciderit per sententiam in forma iudiciali latam, recursus non patet nisi ad S. Congregationes. Hinc non tantum de denegato officio vel beneficio quod sit liberae collationis, sed etiam de denegata collatione necessaria; de praetensa iniuria in collatione paroeciae ex concursu; de inflicta aliter ac per sententiam iudiciariam poena quadam canonica, et aliis eiusmodi, de quibus hucusque non consentiebant, disciplinaris tantum recursus admittitur.

IV. **Quaeret** quis: quid de *contractu* inito inter Ordinarium qua administratorem bonorum Ecclesiae, et personam privatam, physicam vel moralem? Casus nuper delatus est ad S. Rotam in Tranen. conventionis, 30 ian. 1923 (AAS, XV, 3 mart. 1923. *Per.*, XII, 54). Contractus, qua talis, non est actus administrativus Ordinarii, sed actus bilateralis, qui privato contrahenti minime imponitur auctoritate administrativa, sed ab eo libere ponitur. Actum continet administrativum, quatenus Ordinarius disponit de bonis vel iuribus Ecclesiae. Atque, qua talis, competentiam intrat Congregationum quae v. g. de validitate alienationis per contractum bonorum ecclesiasticorum cognoscere poterunt; simul tamen qua contractus, mutua iura et obligationes cedens atque imponens, competentiam intrat Tribunalium.

JOHN IANSSENS, S. I.

29. — S. C. de Prop. Fide

Decretum 16 ian. 1924

REVOCANS PRIVILEGIUM PRAECEDENTIAE TITULO MISSIONARII APOSTOLICI ADNEXUM.

(A. A. S. 2 iun. 1924, 16, 243)

Motiva. **Sacra Congregatio** de Propaganda Fide, ob mutata temporum adiuncta, prae oculis habens auctum in Missionibus sacerdotum sive exterorum sive indigenarum numerum, ad mutuam inter eos caritatem magis fovendam, firmis manentibus ceteris privilegiis titulo Missionarii Apostolici adnexis, illud quod respicit praecedentiam eorundem Missionariorum Apostolicorum relate ad eos qui hoc titulo non sunt insigniti, omnibus rite perpensis, revocandum esse censuit ac per praesens decretum revocat. *Decretum.*

Corollarium. Igitur unicuique sacerdoti, sive extero sive indigenae, ceteris paribus, in posterum secundum prioritatem sacrae presbyteralis ordinationis locus competet, ad normam can. 106 Codicis iuris canonici.

Dies (16 ian 1924). Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 16 ianuarii 1924.

G. M. Card. VAN ROSSUM, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† *F. Marchetti-Selvaggiani, Archiep. Seleucien., Secretarius*

ANNOTATIONES

Nomen *missionarius apostolicus* ex abusu nonnumquam cuilibet missionario inter infideles degenti tribuitur. Titulus ille iis tantum competit qui ad missiones deputati sunt per speciale decretum S. Congregationis de Propag. Fide, vel alumni fuerunt collegii cuiusdam pontificii (1); potest quoque S. Cong. de Prop. Fide sibi subditis titulum conferre *missio-*

(1) S. Congr. de Prop. Fide, 19 aug. 1743: *Coll. P. F.* 2 ed., 344.

narii apostolici ad honorem (1); immo, in locis S. Congregationi de Prop. Fide non subiectis, titulus missionarii apostolici confertur a S. Officio (2). Iam vero isti tituli varia, eaque non spernenda secumferunt privilegia (3); atque ab ipsa S. Sede sanciebatur praecedentia missionariis apostolicis conferri solita supra ceteros qui eo titulo non gaudebant.

Urguit quidem S. Congr. de Prop. Fide in sua celebri Instructione 23 nov. 1845 de clero indigena (4) « ut inter evangelicos operarios, sive indigenae ii sint sive europaei, ceteris paribus, praelationis ordo ex antiquiori missionis exercitio servetur » ; verum, ut ipsa respondit Vicario Apostolico Pondicheriensi 7 iun. 1853 (5), atque apertius 12 iun. 1858 (6), hac Instructione derogatum non erat praeeminentiae missionariorum apostolicorum. Sed titulus ille, licet et indigenis sacerdotibus concedi posset (7), de facto tamen, ni fallimur, rarius ab aliis atque missionariis europaeis gerebatur. Hinc, in certis locis, missionarii ex indigenis oriundi, etiamsi aetate, missione, rerum agendarum peritia praestantiores, propter privilegium praecedentiae missionariorum apostolicorum, iuniori cuilibet e clero europaeo locum cedere tenebantur (8).

---

(1) Cf. S. Congr. Consist., resp. 12 nov. 1908, ad III; *Per.*, IV, 316. 318.

(2) S. Congr. S. Off., decr. 21 apr. 1909; *Per.*, V, 1-3.

(3) Privilegia missionarii apostolici *ad honorem* a S. Congr. de Prop. Fide nominati reperies *Per.*, IV, 318; missionarii apostolici a S. Officio nominati, *Per.*, V, 3; tamquam exemplum privilegiorum quae a S. Congr. de Prop. Fide conceduntur missionariis apostolicis veris seu localibus, v. Formulam facultatum missionariis apostolicis Societatis (Parisiensis) missionum ad exteros, anno 1877 concessarum, in *Collectanea Constitutionum... S. Sedis ad usum.... Societatis missionum*, Parisiis, 1880, 119.

(4) *Coll. P. F.*, 2 ed., 1052, n. 4.

(5) Ib , 1092.

(6) Ib. in nota ad 1052, vol. I, p. 544.

(7) Cf. Instr. S. Congr. de Prop. Fide 8 sept. 1869 ad Vicarios Apostolicos Indiarum Orientalium; *Coll. P. F.*, 2 ed., 1346, n. 5.

(8) Cf. v. g. ANT. HUONDER, S. I., *Der einheimische Klerus in den Heidenländern*, Freiburg i. B., 1907, p. 307. 308. Plura in eiusdem opusculo *Der Europäismus im Missionsbetrieb*, Aachen, 1921.

Secundum ea quae postremis hisce annis de clero indigena ordinavit, S. Sedes praesenti decreto maiorem omni ex parte promovet aequalitatem inter omnes sacerdotes in missionibus degentes. Salvis ceteris privilegiis titulo missionarii apostolici annexis (haec enim directe in bonum animarum vel ipsius missionarii vergunt), revocatur solum privilegium praecedentiae. Haec proinde in terris missionum iam ordinabitur ad normas Codicis, c. 106. In pari ordine et gradu, parique gradus antiquitate, ille praecedet qui senior est ordinatione; in pari antiquitate ordinationis, senior aetate.

I. JANSSENS, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

30. — *SS. D. N. Pius Pp. XI.*

A. *Consistorium secretum 24 martii 1924.*

Allocutio consistorialis.

Postquam Camerarius S. R. E. pro hoc anno institutus est E. Card. Scapinelli di Léguigno, Cardinales alloquens Pontifex, gratum animum pandit ob eximiam orbis catholici beneficentiam in levanda undique miserorum egestate impensam ; atque prae caeteris memorat Foederatarum Civitatum Americae fideles. Gaudet de restituto in aulas scholarum Italiae imagine Crucifixi, de instaurata inibi doctrina christiana; dolens de civium simultatibus et de vi illata non nullis sodalitatibus catholicis eiusdem regionis, rursus tamen laetatur de decretis quibus vis legum spoliationis interim emollitur. — Inter instantia sollemnia animum praesertim attentum habent Concilium plenarium mox futurum in Sinis; atque in Urbe, praeter alia, Annus Sanctus et « expositio » quae dicitur Missionum.

Expleta allocutione, Cardinales creantur Georg. Guil. Mundelein, Archiep. Chicagien., et Patric. Ios. Hayes, archiep. Neo-Eboracen. (A. A. S., 1 april. 1924, 121.)

B. *Litterae de dioecesi erigenda.*

Petrolino, 30 nov. 1923.

Litteris 30 nov. 1923, a dioecesi Pesqueiren. (Brasilia) seiungitur nova dioecesis *Petrolinen.*, quae suffraganea constituitur metropolitanae ecclesiae Olinden. Recifen. (A. A. S., XVI, 2 iun. 1924, 216).

C. *Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis dismembrandis, erigendis.*

Léopoldville 29 ian. 1924.

1. Litteris 29 ian. 1924, territoria de *Kinshasa* et de *Ndolo* (in Congo belgico), a respectivis Praefecturis de Matadi et de Kwango dismembrata, Vicariatui apostolico Leopoldopolitano uniuntur (A. A. S. XVI, 1, apr. 1924, 149).

Kong-Moon 31 ian. 1924.

2. Litteris 31 ian. 1924, dismembrato territorio e Vicariatu apostolico de Canton (in Sinis), efformatur nova Praefectura de *Kong-Moon*, Sodalibus Societatis pro missionibus de Mary-Knoll committenda (A. A. S., XVI, 1, apr. 1924, 150).

3. Litteris 11 feb. 1924, territorio separato a Vicariatu apostolico Novae Antverpiae (in Congo belgico), efformatur Praefectura de *Thsuapa*, Missionariis a Sacro Corde concredita (A. A. S. XVI, 1 apr. 1924, 153). *Thsuapa, 11 feb. 1924.*

D. *Litterae de ecclesiis.*

Titulus Basilicae minoris confertur: 28 iul. 1923, ecclesiae *S. Vincentii a Paulo* Matritensi (Hispania - A. A. S., XVI, 1 apr. 1924, 148); — 1 feb. 1924, *B. M. V. Consolatricis afflictorum* de Verdelais (Gallia - A. A. S., XVI, 1 apr. 1924, 152). 4 dec. 1923, *metropolitanae ecclesiae* Bambergensi (Germania. - A. A. S., XVI, 1 maii 1924, 182). *Madrid, Verdelais, Bamberg.*

E. *Litterae de privilegiis, indulgentiis.*

1. Litteris 20 feb. 1924, indulta conceduntur oratorii privati, et quidem: 1) sacerdotibus, membris Consilii *generalis* Operis a propagatione Fidei, indultum personale oratorii privati, singulis anni diebus, nullo excluso, de sui tamen Ordinarii licentia, pariterque indultum celebrandi in mari, servatis servandis; 2) sacerdotibus, membris Consiliorum *nationalium* vel *dioecesanorum* eiusdem Operis, si forte detineantur infirmitate quae ultra dimidium mensis perduret, indultum celebrandi intra domesticos parietes, vel iubendi ut in sua praesentia ibidem celebretur, de consensu Ordinarii et servatis servandis. Quae tamen missa diebus festis ad implendum ecclesiasticum praeceptum proderit tantum sacerdoti aegroto qui a Sacro faciendo abstinuerit, missae inservienti et *uni* personae quae aegrotanti assistat (A. A. S., 2 iun. 1924, 219). *Indultum oratorii privati pro Consiliis a propaganda Fide, 20 feb. 1924.*

2. Litteris 25 mart. 1924 indulgentiae variae, privilegia altaris privilegiati, facultates amplissimae benedicendi coronas, scapularia, numismata, aliaque huiusmodi conceduntur tum membris tum moderatoribus Operis a propagatione fidei (A A. S., XVI, 2 iun. 1924, 220). *Indulgentiae, facultates pro Opere a propaganda Fide, 25 mart. 1924.*

3. Litteris 7 mart. 1924, conceduntur indulgentiae variae, privilegia, dispensationes iis qui Congressibus eucharisticis intersint vel operam navent. Ex privilegiis et dispensationibus concessis, nonnulla, utpote a iure communi satis exorbitantia, notatu digniora sunt. Si nocturna instituatur, durante Congressu, adoratio Sanctissimi, venia fit unam celebrandi missam a media nocte ceteras autem statim ab illa expleta, vel transacta prima hora post mediam noctem; item recitandi, perdurante eadem adoratione, Officium de SS. Sacramento loco officii proprii. Canonici vel beneficiarii qui de consensu Ordinarii Con- *Congressus eucharistici, 7 mart. 1924.*

ventui intersunt, ita excusantur a choro ut distributiones etiam cotidianas, immo et illas quas *inter praesentes* vocant, percipiant. Possunt Ordinarii non tantum, permittere ut sacerdotes qui vices supplent confratrum conventus causa absentium, duo sacra faciant non tantum diebus festis de praecepto, sed etiam diebus ferialibus. Cuius privilegii usui nulla apponitur restrictio nisi prudentis iudicii Ordinarii, qui, si id expedire iudicaverit, veniam binandi facere poterit. Demum, quicumque conventum quemdam eucharisticum adiverint, lege abstinentiae et ieiunii, etiam durante itinere, non astriguntur. — Atque notetur has aliasque vix non omnes quae conceduntur facultates, prodesse occasione conventus eucharistici cuiuslibet, sive internationalis ille sit, sive regionalis, vel dioecesanus, immo et localis in decanatu vel paroecia (A. A. S., XVI, 1 apr. 1924, 154).

31. — *S. Congr. Consistorialis*

Decretum de processu inquisitionis circa promovendos ad episcopatum.

Inquisitio de promovendis ad episcopatum, 15 maii 1924

Pluribus in locis iam abolita erat, ob mutata temporum adiuncta, sollemnis duorum testium interrogatio de idoneitate promovendorum instructione Urbani VIII 15 maii 1591 requisita, atque in eius locum suffecta erat inquisitio secreta. Ut autem in hac re uniformis fieret disciplina, hoc praesenti decreto statuitur ut in posterum, firma inquisitione secreta secundum leges particulares, vetus illa interrogatio duorum testium ubique omittatur (A. A. S., XVI, 1 apr. 1924, 160).

32. — *S. Congr. Concilii.*

Romana et aliarum, de fatalibus ad recurrendum, 12 ian. 1924.

1. Die 12 ian. 1924, datum est responsum, die 14 ian. a SS. approbatum, in *Romana et aliarum, de fatalibus ad recurrendum.* Vi canonis 2153, § 1, contra decretum Ordinarii eum a paroecia amoventis, potest parochus inamovibilis " intra decem dies recursum interponere apud eundem Ordinarium „ ; qui recursus si reiciatur, " unicum datur iuris remedium, idest recursus ad Sedem Apostolicam „ (c. 2146, § 1). Pendente vero hoc altero recursu, Ordinarius paroeciam alii stabiliter conferre valide nequit (c. 2146, § 3). Quaerebatur autem a S. C. C., num facultas haec recurrendi ad S. Sedem in casu, intra aliquod temporis Stutium concludatur, quo elapso iam utiliter exerceri nequeat, an contra nullus ei terminus fatalis affigatur ?

Quidam enim parochi amoti, postquam Ordinario significaverunt se recursum ad S. Sedem interposituros, per menses et annos dein illud exsequi distulerunt. Quo fit ut interim paroecia stabiliter nulli conferri queat.

Distinguebatur in veteri iure *appellatio* quae, sive iudicialis sive extra iudicialis, intra decem tantum dies poterat interponi, a *recursu* seu expostulatione ad Apostolicam Sedem: recursus autem ad Principem numquam censetur interdictus. Codex pariter distinguens appellationem a recursu, huic alteri interdum terminum fatalem praefigit, alias vero minime. Et consideranti apparet tunc affigi terminum, decem sc. dierum, quando recursus conceditur non in devolutivo tantum sed et *in suspensivo:* videas cc. 1465, § 1; 1709, § 3; 2153, § 1. Ratio patet: si enim recursus, nullo termino praefixo, in suspensivo quoque pateret, valeret privatus quisque exercitium potestatis ecclesiasticae pro lubitu suspendere. In casu autem similis adest ratio recursui parochi amoti terminum praefigendi: est enim suspensivus non quidem collationis cuiuslibet, sed tamen collationis stabilis quam ius commune requirit.

Respondit S. C. C.: " Tempus utile ad recursum interponendum a definitivo decreto remotionis, ad effectum § 3 can. 2146 Codicis, esse decendium ab intimatione eiusdem decreti, supputandum ad normam can. 34, § 3, 3º, et can. 35 „ (sc. decem dies integros, die lati decreti non computato): " certiore facto Ordinario loci ab ipso recurrente de legitimo interposito recursu ad Apostolicam Sedem „. (A. A. S., XVI, 1 apr. 1925, 162.)

Sancti Severi funerum, 12 ian. 1924.

2. Die 12 ian. 1924 responsum dedit S. C. C. in causa *Sancti Severi funerum.* Vincentius quidam, in paroecia S. Ioannis Baptistae, civitatis S. Severi domicilium habens, in recenti bello obiit atque in acie sepultus est. Eius vidua, divendita domo coniugali, ad suorum aedes remeavit in paroecia ecclesiae cathedralis sitas. Cum anno 1923 ex acie relatae fuerint exuviae Vincentii, funus, sic rogante vidua, celebratum est *in ecclesia cathedrali.* Orta de iure funerandi controversia, quaesivit episcopus a S. C. C., an funus defuncti Vincentii spectaret *ad parochum S. Ioannis Baptistae in casu?*

Advertit consultor in suo *voto,* aliud esse funus proprie dictum, aliud translatio cadaveris iam humati in aliam sepulturam. De funere proprie dicto valent cc. 1215 ss. " de cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione „; non item de translatione cadaveris iam humati. Haec de iure communi, a quocumque sacerdote legitime requisito fieri potest.

Possunt quidem hac occasione fieri eaedem functiones funebres quae in prima tumulatione fieri solent, sed non requiruntur; versamur ergo extra casum a canonibus de sepultura contemplatum. Iamvero in casu, iusta funebria in acie de more persoluta fuerant, sicque agebatur tantum translatio cadaveris iam humati. - Ad quaestionem propositam respondit S. C. C. *Negative* (A. A. S., XVI, 1 maii 1924, 188).

33. — *S. Cong. Rituum*

A. *Concessiones Missae, officii.*

Missa de SS. Apostolis in carcere Mamertino, 26 mart. 1924.

Die 26 mart. 1924, in *Romana*, indulgetur ut in sacello carceris Mamertini celebrari possit Missa de SS. Apostolis Petro et Paulo, quae in Missali legitur sub die 6 iulii, idque cum *Gloria* et *Credo*, singulis per annum diebus, exceptis festis duplicibus I et II classis; Dominicis aliisque festis de praecepto; Feriis, Vigiliis et Octavis I et II ordinis privilegiatis. - Talis quidem missa iam ab immemorabili tempore solebat inibi celebrari, sed concessionis documentum nullum reperiebatur (A. A. S. XVI, 1 maii 1924, 198).

Annotatio

Missa certe non est celebranda ritu simplici, ut patet ex eo quod addendum sit *Credo;* ex alia parte tamen, cum prohibeatur in duplicibus 2 classis et in omnibus dominicis, non conceditur ad instar missae votivae sollemnis pro re gravi, ideoque applicanda videtur regula data pro missa privilegiata de Fidei propagatione (1), scilicet addendae sunt omnes commemorationes et orationes ritui duplici maiori et minori congruentes. Diebus autem quibus missa votiva prohibeatur, putamus fieri posse eius commemorationem sub unica conclusione cum prima oratione iuxta novas rubricas II, 3, et prout declaratum est pro missa votiva de *Fidei propagatione* (2).

Ios Pauwels, S. I.

(1) *S. R. C.* decr. 17 nov. 1922: Cf. *Periodica*, t. XI, n. 68. A., 3. p. 196.
(2) Ibid.

B. *Causae beatificationis et canonizationis.*

Paulus Ginhac, 27 feb. 1924.

1. Die 27 feb. 1924, signata est commissio introductionis causae S. D. *Pauli Ginhac,* sacerdotis professi Societatis Iesu, nati in oppido Serverette, Mimatensis dioecesis (Gallia), 31 maii 1824, defuncti in Castres, 10 ian. 1895 (A. A. S., XVI, 1 apr. 1924, 167).

Maria Pelletier, 24 feb. 1924.

2. VI cal. mart. (54 feb.) 1924, pronuntiatum est constare de virtutibus heroicis S. D. Sororis *Mariae Assuncta Euphrasia Pelletier,* fundatricis Congregationis Sororum a Bono Pastore (A. A. S., XVI, 2 iun. 1924, 245).

BIBLIOGRAPHIA

Ex libris

Cocchi, G., C. M. *Commentarium in Codicem iuris canonici ad usum scholarum.* Lib. III. De rebus. — Pars IV. De magisterio ecclesiastico. — Pars V. De beneficiis aliisque institatis ecclesiasticis non collegialibus. — Pars VI. De bonis Ecclesiae temporalibus. Taurini - Romae, Marietti, 1924. In-8, 444 p. Lire ital. 13,50.

Brousolle J. C. *L'esthetique da Stabat par S. E. le Card. N. Marini.* Traduit de l'italien avec un Avant-Propos et des Notes. 1 vol. in-8, XXII-181 p. (50 gravures). Paris, Téqui, 1924. - Avant-propos. Introduction. Les vingt strophes du Stabat Mater.

F. Claeys Boúúaert, I. C. M. (R. D.) *Tractatus de legibus. de virtutibus et de peccatis in genere.* Ed. 2. in-8, 120 p. Gandae, Van Fleteren 1914. Introductio ad theologiam moralem. - De legibus - De virtutibus in genere - De peccatis in genere.

Decorne (S. Chanoine) *Dans la chambre du malade.* Consolations et Conseils. Délassements et souvenirs. Préface de Mgr. **Baunard.** 3 ed. 1 vol. in-12 XII-354 p. Prix, 7 fr. Maladie - Insomnie. - Isolement, temple, autel. - Solitude. - Crucifix. - Eau bénite. - Saintes Images. - Lit. - Pendule. - Horloge de la Passion - Miroir. - Veilleuse. - Fanteuil. - Remèdes. - Livres. - Visites. - Famille - Médecin. - Amis - Notaire - Prêtre - Confesseur. - N. S. J C. - Église et Extr. Onction. Mort. Souverain Juge. - Clergé.

Fanfani, L. O. P., *Le " Droit des religieuses „ selon le code de droit canonique.* Traduction française par le Rév. P. L. Misserey, O. P. Turin - Rome, Marietti, 1924. In-8. XX-312 p. Prix : 14 fr.

Gaell René. *Les grandes guérisons de Lourdes. Celle qui ressuscita.* 7. mille 1 vol. in-12, VIII-241 p. Paris. Téqui, 1924, Prix, 5 fr. Introduction : une page de la divine histoire. I. L'agonie de Cécile. - II. L'éveil d'un coeur. - III. La vie retrouvée.

L. Garriguet (R. D.). *La vierge Marie,* 1 vol. in-8, 480 p. 5 éd. Paris, Téqui, 1924. Prix : 10 fr. Sa prédestination. -

Sa dignité. - Ses priviléges. - Son rôle. - Ses vertus. - Ses mérites. - Sa gloire. - Son intercession. - Son culte.

Ch. Grimaud (Abbé) *Aux grands jeunes gens. Futurs époux*, 7. éd. 1, in-16, 312 p. Paris, Téqui, 1923. - I, AU SEUIL DU COLLÈGE : liberté, pureté, piété, état de vie : II LA VIE LIBRE : ennemis intérieurs, extérieurs. Règlement de vie, apostolat. III. *Le Mariage*. Amour, Instruction, choix de la Fiancée.

— *Aux Mères et à leurs grandes jeunes filles. Futures épouses*, 6. ed. 1 in-16, VI-326. Paris, Téqui, 1923, I. *L'éveil moral :* caractéristiques du vouloir ; chasteté ; piété ; formation intellectuelle, vocations particuliéres. - II. LA VIE DE JEUNE FILLE : écueils intimes, vie dans le monde ; vie d'intérieur, vie intérieure ; vie sociale. - III. LA FIANCÉE : Amour. Initiation. choix du parti.

Lanier Henri (abbé). *Sur les pas de l'Immaculée*. 1 vol. in-32, 94 p. Paris, Téqui, 1924. Prix, 1 fr. L'idéal. — La toute-pieuse. — La toute-pure. — La toute-humble. — La toute-obéissante. — La toute-bonne.

Legrand G. (Professeur). *Le Rôle de Mgr. Pottier dans le mouvement social contemporain*, 1 vol. in-12, 24 p. Gembloux. Duculot, 1924.

Maignen Maurice (des Frères de S. Vincent de Paul). *Le prêtre du pleuple ou la vie d' Henri Planchat*, 9 éd. 1 vol. in-12, VIII-290 p. Paris, Téqui, 1924, Prix, 6 fr. Avertissement. - Enfance et jeunesse. - Vocation. - L'apôtre du peuple. - Épreunes diverses. - L'intérieur de l'apôtre. - L'oeuvre de S.te Anne. - Pendant le siége de Paris. - La captivité, - L'agonie. - L'appel des Victimes. - La voie douloureuse. - Le massaere. - La sépulture.

A. Marchand Dr. *Les faits de Lourdes. Trente guérisons enregistrées au bureau médical*. 1919-1922. Préface de René Gaell. 1 vol. in-12, XX-296 p. I. La tuberculose. - II. Les plaies, les fistules, les ulcères. III. Affections des centres nerveux. - IV. Conclusions. Paris, Téqui, 1924. Prix, 7 fr.

Mattheus Conte O. M. C. - *Ius publicum ecclesiasticum*. Introductio ad institutiones canonicas ad usum scholarum. 1 vol. in-8, XX-268 p. Taurini, Marietti, 1924. Praefatio. Bibliographia. Praenotiones. *Ius publicum internum* seu de Ecclesiae catholicae perfectione iuridica. - *Ius publicum externum*, seu relationes Ecclesiam inter et alias societates. - *Ius publicum speciale*, seu Quaestiones variae speciales. - Appendix (Lex praesidiorum : delle guarentigie).

Schäfer (P. Timotheus Dr.), O. M. C. *Das Ordensrecht*

nach dem Codex Iuris canonici, 1 vol. in-16, XVI-406 p. Münster in W. Aschendorff, 1923. I. Post generalem expositionem originis, evolutionis, finis, condicionis iuridicae status religiosi; post traditam naturam et divisionem institutorum religiosorum, auctor, a c. 492, in ordine et divisione libri ordinem Codicis sequitur.

— *Das Eherecht nach dem Codex Iuris canonici*, 8. und 9. verbesserte und vermehrte Auflage, 1 vol. in-12, XVI-344 p. Münster in W. Aschendorff. 1924. I. Wesen der Ehe; II. Vorbereitung; III. Ehehindernisse; IV. Ehelicher Wille; V. Kirchliche Form; VI. Rechtsfolgen; VII Lösung des Ehebandes und Aufhebung der ehelichen Gemeinschaft; VIII. Konvalidation; IX. Eheprozess.

Valuy B. S. J. Le *Directoire du prêtre dans sa vie privée et dans sa vie publique*, 1 vol. in-16, 254 p. Paris. Téqui 1923. I. Règlement. Exercices religieux. Quatre sanctions. Admoniteur. Combat spirituel. Dévotions. Vertus. Écueils. Soins corporels. Affaires domestiques. Conclusion. - II. Entente cordiale au presbytère. Débuts dans une paroisse. Culte divin. Conseil de fabrique. Instruction. Sacrements. Ames à diriger. Moyens de réforme. Défauts à éviter. Contradictions. Déclin de l'âge. Conclusion. Appendices.

Maurice Vaussard. *Enquête sur le nationalisme*, 1 vol. in-33 de 420 p. Paris. Éditions Spes 1924, Prix, 12 francs.

A. **Vermeersch S. I.** *Theologiae moralis Principia - Responsa - Consilia*, Tomus II, *De virtutum exercitatione*, 1 vol. in-8, XVI-636 p. Romae - Brugis 1924, Venit 27 lib. ital. De virtutibus theologicis. De prudentia. De religione. De pietate. De observantia. De Iustitia. De temperantia, et humilitate. De fortitudine et virtutibus annexis.

PARS ALTERA

MONUMENTA

34. — SS. D. N. PII Pp. XI

Bulla " Ex quo primum „ 5 iul. 1924

INDULGENTIAS ET FACULTATES PER ANNUM IUBILAEI SUSPENDENS

(A. A. S. 1 aug. 1924, 16, 305)

Excepta Bulla indictionis iubilaei, quae supra, p. 97 ss. reperitur, cetera Iubilaei monumenta hic colligimus. Pro annotationibus vero dissertationem de Iubilaeo conscripsimus, p. 101 et ss.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SEPVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Utilitas confluendi Romam per annum sanctum.

Ex quo primum, non sine afflatu divino, constitutum est ut Iubilaeum maximum hac Alma in Urbe, certo quodam annorum intervallo, haberetur, nulla unquam temporum, rerum itinerumque condicio multitudines hominum prohibuit, quominus huc per Annum Sanctum confluerent. Christifidelibus enim cuiusvis ordinis, vel ipsa imperatoria regiaque dignitate ornatis, ut litterarum monumenta testantur, religioni fuit ad hanc convenire Apostolicam Sedem, ut ab Episcopo Romano Petrique successore, qui germanus doctrinae sanctae custos interpresque esset, idemque vitae supernaturalis fons purus atque integer, haurirent coram, unde in fidei communione confirmarentur et mores in vinculo perfectionis — quod est caritas — ad altiorem sanctitatem componerent. Ut igitur fideles quam plurimi

et heic quaererent, quae una in Urbe invenirentur, copiosiora pietatis expiationisque adiumenta, et principem inviolatamque Romanae Ecclesiae auctoritatem praesentes agnoscerent, decessor Noster Sixtus IV, anno MCCCCLXXIII, decrevit, ut, promulgata Iubilaei Indulgentia, iam ceterae omnes poenarum relaxationes, aut concessae aut concedendae, itemque facultates cuivis factae, extra Urbem, Apostolicae Sedis Nomine atque auctoritate dispensandi absolvendique in utroque foro, per Annum piacularem conquiescerent ac suspenderentur. Ab eiusmodi quidem disciplina, quam deinceps, pro temporum rerumque varietate, decessores Nostri haud modice temperaverunt, eo minus Nobis deflectendum hodie esse censemus, quo facilius commodiusque itinera, vel creberrimorum agminum, apparari atque haberi contingit, et quo pluris religionis et societatis ipsius humanae interest, frequentissimos ad Apostolorum limina convolare peregrinos, ut arctius cum hoc unitatis catholicae centro cohaereant nobilissimosque caritatis pacisque sensus ac spiritus inter se alant ac foveant. Huc praeterea accedit, quod pium tot Romam coeuntium filiorum Nostrorum spectaculum, etsi tanto disiunguntur a Nobis terrae marisque intervallo, fieri non poterit quin acatholicos bene animatos percellat et acriore afficiat desiderio religiosae unitatis.

Inde a Sixto IV decreta suspensio indulg. et facultatum.

Peculiaris ratio disciplinam istam temperate servandi.

Suspensio decernitur.

Itaque, auctoritate Nostra apostolica, usitatas indulgentias et facultates Nostro nomine extra Urbem exercendas, ut decessores Nostri simili in causa decreverunt, sic Nosmet per totum Anni Sancti decursum intermitti suspendique decernimus, iis tamen exceptis quas enumeraturi sumus.

Exceptae indulgentiae.

Etenim ex indulgentiis, quae pro vivis concessae sunt, has, quae sequuntur, integras atque immutatas permanere volumus:

I. Indulgentias *in articulo mortis* lucrandas.

II. Eam, qua frui omnibus licet, quotquot, ad sacri aeris pulsum, *Salutationem angelicam*, aliamve pro temporis ratione precationem, recitaverint.

III. Indulgentias iis tributas qui pie templa inviserint, ubi Sacramentum augustum *quadraginta horarum* spatio adorandum proponitur.

IV. Indulgentias, quas eos lucrari decretum est, qui Sacramentum augustum, cum ad aegrotos defertur, comitentur, aut cereum vel facem per alios ferendam ea occasione mittant.

V. Indulgentiam, toties quoties lucrandam, iis concessam, qui Sacellum Portiunculae in templo S. Mariae Angelorum, prope Assisium, pietatis causa, adierint.

VI. Indulgentias, quas S. R. E. Cardinales, Apostolicae Sedis Nuntii, itemque Archiepiscopi et Episcopi in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma usitata largiri solent.

Suspensionis indulgentiarum pro vivis universalitas et prohibitio alias publicandi.

Ceteras omnes indulgentias plenarias et partiales, aut ab Apostolica Sede directe concessas, aut ab aliis quoquo pacto concessas, concedendasque ex facultate iure ipso vel peculiari indulto sibi facta, decernimus, per totum Annum Sanctum vivis nequaquam prodesse, sed tantummodo vita functis. Praesentium interea auctoritate Litterarum praecipimus ac mandamus, ut, praeter Indulgentias lubilaei easque, quas superius singillatim excepimus, nullae praeterea aliae uspiam, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae aliisque poenis arbitrio Ordinariorum infligendis, publicentur, indicantur vel in usum demandentur.

Generalis extra Urbem facultatum suspensio.

Ad illud idem propositum, ad quod indulgentiarum intermissio spectat, facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Nobis et Apostolicae Sedi reservatis, relaxandi censuras, dispensandi a votis eademque commutandi, dispensandi praeterea ab irregularitatibus et impedimentis, cuilibet quoquo modo concessa, extra Urbem eiusque suburbium, per lubilaei Maximi decursum, suspendimus nullique suffragari volumus.

Ne tamen ab innovata praesentis temporis disciplina recedamus, haec per exceptionem decernimus:

Facultates exceptae.

I. Ratae sint facultates omnes per Codicem iuris canonici quovis modo concessae, exceptis facultatibus ex privilegio provenientibus, per Codicem non revocato, ut ad canones 4 et 613.

II. Ratae item firmaeque sunto facultates pro foro externo ab Apostolica Sede tum Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis factae, tum Ordinariis locorum et Antistitibus religiosorum Ordinum quoquo modo in subditos suos tributae.

III. Quas denique facultates S. Poenitentiaria Nostra impertire solet Ordinariis aut confessariis pro foro interno, easdem ne extra Urbem quidem suspendimus, sed ita ut erga eos dumtaxat poenitentes exerceantur, qui, quo tempore confessionem peragunt, iudicio Ordinarii aut confessarii nequeant sine gravi incommodo Urbem adire.

Clausulae.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Earum vero exemplis aut excerptis, etiam impressis, notarii publici cuiusvis manu subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat hanc paginam Nostrae suspensionis, declarationis, voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Dies (5 iul. 1924). Datum Romae apud Sanctum Petrum, die V mensis iulii anno MDCCCCXXIV, Pontificatus Nostri tertio.

O. Card. CAGIANO, *S. R. E. Cancellarius*

O. Card. GIORGI *Poenitentiarius Maior*

Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus*
Ioannes Zani Caprelli, *Protonotarius Apostolicus*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXX, n. 4.

35. — SS. D. N. Pii Pp. XI

Bulla « Si umquam », 15 iul. 1924.

EXTRAORDINARIAS FACULTATES PER IUBILAEUM CONCEDENS

(A. A. S. 1 aug. 1924, 16, 309)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Liberalitatis spiritualis opportunitas. **Si umquam** alias decuit Romanum Pontificem boni Pastoris partes agere, at hodie in primis decet, cum, Iubilaeo Maximo indicto, fideles eos omnes, qui proximo anno in Almam hanc Urbem convenient, romanosque item cives, ad admissa eluenda, ad vitiorum emendationem et ad Christi Iesu spiritum denuo copiosiusque sumendum excitari oportet atque adiuvari.

Etenim animatae melius parataeque filiorum voluntati congruit ut largior respondeat communis omnium Patris misericordia, atque ut idem, Samaritani hominis more, vulneribus, quae animis peccatum misere inflixerit, Apostolicae potestatis caritatisque remedia studiosissime adhibeat. Ne quis igitur ad removendas a conscientia sua labes seque in gratiam amicitiamque Dei reconciliandum ullam a Nobis providentiam desideret, Confessariorum in Urbe per Annum Sanctum, quemadmodum Decessores Nostros simili in causa fecisse constat, amplificandam dilatandamque muneris potestatem censemus. Ut autem caveamus ne qua de limitibus usuque facultatum dubitatio incidat, has perspicuitate describi ordinarique quam maxima per praesentes Litteras volumus. Itaque motu proprio certaque scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, ea quae sequuntur de confessariis in Urbe et suburbio, anno Iubilaei vertente, deputandis deque extraordinaria potestate iisdem attribuenda praescribimus ac decernimus.

I. Facultas designandi paenitentiarios facta Card. Paen. Maiori.

Dilecto filio Nostro Cardinali Poenitentiario Maiori committimus ac demandamus, ut, praeter eos, qui nunc sunt, trium Basilicarum Lateranensis, Vaticanae et Liberianae poenitentiarios minores ordinarios atque extraordinarios, pro Basilica etiam S. Pauli, Via Ostiensi, ad totum Annum Sanctum similes poenitentiarios designet, praetereaque alios, tam in memoratis quattuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive saecularium sive regularium ac praesertim in variarum nationum per Urbem ecclesiis, novos similiter poenitentiarios deputet et abunde multiplicet.

II. Paenitentiariis facultas de censuris.

Quibus poenitentiariis minoribus, sive ordinariis sive extraordinariis, sive iam exsistentibus sive a dilecto filio Nostro Cardinali Poenitentiario Maiore deligendis, concedimus, ut per Annum Sanctum possint, pro foro conscientiae in actu sacramentalis confessionis et per se ipsi tantum, absolvere quoslibet poenitentes non solum a quibusvis censuris et peccatis Romano Pontifici aut Ordinario a iure reservatis, sed etiam a censura ab homine seu a quovis iudice lata, cuius tamen absolutio in foro externo non suffragabitur.

Modus utendi facultatibus.

At hisce amplissimis facultatibus non utantur nisi normis exceptionibusque servatis, quae sequuntur:

1. Si censurae sunt specialissime reservatae.

I. Ne absolvant, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 Codicis iuris canonici, illos, qui irretiti sint aliqua censura Romano Pontifici specialissimo modo reservata, aut secretum S. Officii, alterumve secretum simile in quavis alia

S. Congregatione, Tribunali vel Officio Curiae Romanae impositum, violaverint, aut in censuram aliquam inciderint, quam Pius X, Constitutione *Vacante Sede Apostolica*, ipso facto incurrendam decrevit. Possint tamen absolvere confessarium, reum absolutionis proprii complicis in peccato turpi semel aut bis tantummodo attentatae contra vetitum canonum 884 et 2367, impositis tum remotione occasionis relapsus, tum obligatione non audiendi neque absolvendi, in posterum, proprium complicem nisi secus periculum immineat infamiae aut scandali, tum denique onere eum ipsum monendi, si redierit, attentatas absolutiones invalidas fuisse.

2. Si publice rei sunt Praelati Ordinarii exc. specialiter S. Pontifici reservatae.

II. Similiter ne absolvant, nisi ad praescriptum can. 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione in foro externo praeditos, superioresque maiores Religionis exemptae, qui in excommunicationem speciali modo Romano Pontifici reservatam publice inciderint.

3. Si agitur de haereticis et schismaticis.

III. Haereticos vel schismaticos, qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvant, nisi ii, abiuratis saltem coram ipso confessario haeresi vel schismate, scandalum, ut par est, reparaverint. Ad natos in haeresi quod attinet, si dubitetur de facto vel validitate baptismi in secta collati, eiusmodi acatholici, ante absolutionem, ad E.mum Cardinalem Vicarium remittantur.

4. Si paenitentes sectis vetitis nomen dederint;

IV. Pariter ne absolvant eos, qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336 § 2, denuntiaverint; libros, manu scripta et signa, quae eandem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retinent, absolventi tradiderint, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si iustae gravesque causae id postulent, destruenda; impositis, praeterea, pro modo culparum, gravi poenitentia salutari et frequenti sacramentali confessione.

5. Si bona vel iura eccla sine venia acquisierint;

V. Qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvantur nisi aut iis restitutis, aut compositione quam primum ab Ordinario vel ab Apostolica Sede postulata, aut saltem promissione sincere facta eandem compositionem postulandi.

6. Si censurae sunt publicae, nominatim declaratae vel ad forum externum deductae.

VI. Si autem censurae, quibus poenitentes adstringuntur, publicae in locis, ubi ii commorati sunt, vel nominatim declaratae sint, aut delictum ad iudicem fori externi iam sit deductum, rei a poenitentiariis eiusmodi minoribus absolvi poterunt

in foro conscientiae et sacramentali tantum, dummodo sint sincere parati quodvis mandatum demisse accipere fideliterque implere, itemque reparare scandalum; admoneantur tamen de libello S. Poenitentiariae Apostolicae omnino submittendo. Scilicet confessarii post absolutionem conficiant libellum supplicem, expressis nomine, cognomine ac dioecesi poenitentis et casu eiusmodi censurae publicae subiecto, et subtus scribant testimonium absolutionis ab eadem censura concessae, eundemque poenitentem dirigant ad Officium S. Poenitentiariae Apostolicae, ut recipere possit Rescriptum in forma *missi*, vel *remissi* absoluti, secundum praxim eiusdem Officii.

III. Facultas de votis. Modus utendi.

VII. Possint iidem poenitentiarii omnia et singula vota *privata*, etiam Sedi Apostolicae reservata, iurata quoque, dispensando commutare in alia pia opera, ex iusta ac probabili causa. Votum autem castitatis perfectae et perpetuae, etsi ab origine publice emissum sit in professione religiosa tam simplici quam solemni, subinde tamen, aliis huius professionis votis dispensatis, firmum atque integrum manserit, similiter possint, gravi et probabili de causa, in alia pia opera commutando dispensare. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensent, qui vi Ordinis Sacri ad legem caelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint. A commutandis vero votis cum praeiudicio tertii, se abstineant, nisi is, cuius interest, libenter expresseque consenserit. Votum denique non peccandi, aliave poenalia vota ne commutent, nisi in opus, quod, non minus quam votum ipsum, a peccato refrenet atque arceat.

IV. Facultas de irregularitatibus.

VIII. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, a quavis irregularitate ex delicto prorsus occulto; item ab irregularitate ex homicidio voluntario aut abortu, de qua in can. 985, 4º; sed ad hoc unice, ut poenitens Ordines iam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exercere queat.

V. Facultas dispensandi ab impedimento consanguinitatis;

IX. Dispensare item possint, pro foro conscientiae et sacramentali tantum, ab occultissime dissimulato impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium sanandum, non ad contrahendum.

et criminis.

X. Sive autem de matrimonio contracto agatur sive de contrahendo, dispensare possint ab occulto criminis impedimento, neutro tamen machinante; iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum can. 1135; imposita, in utroque, salutari, gravi diuturnaque poenitentia.

VI. Facultas commutandi visitationes,

XI. Ad visitationem quod attinet quattuor Patriarchalium

Basilicarum, poenitentiarii, cum singulis exteris, qui vel ob paupertatem vel ob aliam gravem causam in Urbe consistere tamdiu nequeant, dispensare possint vel contrahendo et reducendo ad tres saltem dies visitationes, alioquin decies repetendas, vel has, pro suo prudenti arbitrio, in alia pia opera commutando. Cum singulis autem civibus incolisque Urbis et suburbii, qui, morbo aliove legitimo impedimento detenti, memoratas Basilicas invisere nequeant, viginti praescriptas visitationes in alia pia opera, quae ab ipsis impleri possint, dispensando commutent. Poenitentiarii tamen sciant, se conscientiam suam oneraturos, si inconsulto et sine iusta causa tam exteros quam romanos cives incolasve ex eiusmodi visitationibus exemerint. Quos vero recte a visitationibus dispensaverint, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem Nostram fundendas, quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant; in aegrotantium tantum commodum liceat eas imminuere aut commutare.

Reservatis precibus ad mentem Pontificis.

Excipitur confessio.

XII. Ab obligatione praescriptae confessionis, quam ad adimplendam nec invalida nec annua ex praecepto confessio sufficit, nullum ne exsolvant, etiamsi hunc materiam necessariam non esse allaturum aut praevideant aut sciant.

Quaedam de communione statuuntur.

XIII. Ad S. Communionem quod attinet, nefas esto eiusmodi praescriptum in alia pia opera commutare, nisi de aegrotis agatur qui ab ea suscipienda prorsus impediantur. Volumus autem, Iubilaei causa, eam sufficere, quae per modum viatici ministratur; minime vero eam, quae in Paschate peragenda praecipitur. Qui tamen Paschale praeceptum misere neglexerit, possit is deinde una Communione utrique obligationi satisfacere.

Participatio facultatum a variis Praelatis, Officialibus et Confessariis.

XIV. Hisce omnibus, quas memoravimus, facultatibus volumus uti non modo poenitentiarios, de quibus in harum Litterarum exordio diximus, sed etiam singulos S. Poenitentiariae Praelatos, atque Officiales ex utraque sectione, modo sint in Urbe ad audiendas fidelium confessiones habitualiter adprobati; singulos Urbis suburbiique parochos; rectores et confessarios, a Vicariatu adprobatos, ecclesiarum nationalium, praetereaque nonnullos confessarios pro praecipuis celebrioribusque Urbis templis designandos, quorum omnium sedi confessionali tabella affigatur, in qua verba inscripta sint POENITENTIARIUS SANCTI IUBILAEI. Praeterea ut religiosorum virorum utilitati uberius consulamus, easdem facultates tribuimus, pro Ordinibus Congregationibusque exemptis, aliquibus ex iis confessariis, quos Superiores pro subditis tantum adprobaverint ad formam can.

518 et secundum extensionem in can. 514 § 1 descriptam; Superioris quidem erit, in unaquaque domo unum alterumve in individuo deputare: qui tamen ex hac sola deputatione non poterunt facultatibus, de quibus supra, uti erga fideles domui ac Religioni extraneos.

Facultatum subiectum passivum

XV. Poenitentiarii ac confessarii, ut supra deputati, sciant, posse se descriptis facultatibus uti cum omnibus fidelibus Ecclesiae tam Occidentalis quam orientalis, qui ad confitendum apud ipsos accedant ea mente et voluntate, sincera quidem et firma, ut Iubilaei veniam lucrentur; at non posse uti denuo cum iis poenitentibus, qui indulgentiam - quam acquiri pluries licet in defunctorum suffragium, iteratis operibus praescriptis - iam semel lucrati sint.

Locus utendi facultatibus.

XVI. Uti iisdem facultatibus poterunt etiam extra ecclesiam cui addicti sunt, si quando contingat eos alibi confessiones excipere, servatis can. 908-910 et de consensu rectorum ecclesiarum. Caveant tamen — in quo graviter eorum conscientiam oneramus — ne ecclesiam propriam neglegant, ut aliis inserviant.

Confessariis communes facultates

Cum autem, ad maiora animarum lucra anno isto salutaris expiationis comparanda, intersit operarios multiplicari, omnibus quoque confessariis adprobatis ad annum ab E.mo Cardinali Vicario Nostro in spiritualibus generali, itemque reliquis omnibus confessariis regularibus exemptis, quos Superior tantummodo suus pro sodalibus Religionis omnibusque extraneis in religiosa domo diem noctemque commorantibus adprobaverit — intra fines tamen temporis, loci ac personarum in concessione adprobationis designatos — has, quae sequuntur, tribuimus extraordinarias facultates:

1. Absolvendi a censuris,

1º Absolvere possint, per se ipsi tantum et in foro dumtaxat conscientiae et sacramentali, eos, qui apud ipsos confiteantur, a quibusvis ecclesiasticis censuris, etiam speciali modo a iure Romano Pontifici reservatis, aut Ordinario reservatis, dummodo publicae non sint, itemque ab omnibus peccatis excessibusque quantumlibet gravibus, etiam Apostolicae Sedi reservatis, iniunctis tamen salutaribus poenitentiis aliisque de iure iniungendis, servatisque potissimum in hac absolutione impertienda normis atque exceptionibus, quae supra, sub nn. I-V, pro poenitentiariis minoribus praescripta sunt.

2. Dispensandi commutando vota,

2º Omnia et singula vota privata, etiam iurata, dispensare possint, commutando in alia pia opera, ex iusta et probabili saltem causa, exceptis iis privatis votis quae can. 1309 Apo-

stolicae Sedi reservantur, itemque exceptis votis publice emissis in susceptione Ordinis sacri aut in professione religiosa tam solemni quam simplici, et iis, quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

3. Commutandi visitationes.

3º Dispensare possint circa visitationes quattuor Basilicarum easque commutare eodem modo ac poenitentiariis conceditur sub n. XI.

Confirmantur aliae facultates.

4º Si quas autem facultates ab Apostolica Sede per S. Poenitentiariam aut alio legitimo modo impetraverint aut per Annum Sanctum impetrabunt, eae firmae atque immutatae sunto.

Regulae utendi specialibus facultatibus.

5º De usu facultatum, quas supra sub nn. 1-3 concessimus, ea valeant ac serventur, quae pro poenitentiariis minoribus n. XV constituimus.

Hortatio ad paenitentiarios et confessarios.

Nihil reliquum est, nisi ut poenitentiarios et confessarios quibus extraordinarias facultates istas de Apostolica benignitate largiti sumus, vehementer moneamus, patienti animo caritatisque pleno eos omnes excipiant, qui Domino reconciliari cupient et caelestibus frui thesauris, quos Sancta Mater Ecclesia per totum Iubilaei annum cuivis reserat.

Clausulae.

Praesentes autem Litteras volumus firmas exsistere et fore, earumque exemplis atque excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem adhiberi fidem, quae hisce Litteris adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Nulli igitur liceat paginam hanc Nostrae concessionis, declarationis et voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Dies (15 iul. 1924).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis iulii, anno MDCCCCXXIV, Pontificatus Nostri tertio.

O. Card. CAGIANO
S. R. E. Cancellarius

O. Card. GIORGI
Poenitentiarius Maior

Raphael Virili, *Protonotarius Apostolicus*
Ioannes Zani Caprelli, *Protonotarius Apostolicus*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXX, n. 5.

36. — SS. D. N. PII Pp. XI

Bulla « Apostolico Muneri » 30 iul. 1924.

BENIGNE MONIALIBUS ET STABILITER IMPEDITIS PROSPICIENS

(A. A. S. 1 aug. 1924, 16, 316)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolico muneri, quo divinitus fungimur, flagrantissimaeque caritati, qua universum dominicum gregem, Nobis commissum, complectimur, consentaneum profecto est, idemque cum more institutoque decessorum Nostrorum apprime congruens, ut — postquam, per Constitutiones ante editas, praesentissima expiationis remedia salutisque adiumenta iis omnibus paravimus ac providimus, quibus aut Romae incolis aut advenis facultas non deerit statutis condicionibus parendi, ut propositam sibi plenissimam Iubilaei veniam assequantur — iam ceteris longe plurimis prospiciamus, qui non una de causa impedientur quominus aut Romanam peregrinationem suscipiant aut praescriptas quattuor Basilicarum visitationes instituant. Eos intellegi volumus, qui cum intra claustralia saepta vivant vel in hostium potestate versentur custodiaque publica detineantur vel corporis infirmitate laborent, prohibentur prorsus ne imperata, Iubilaei causa, expiandis animis opera adgrediantur ac perficiant. Quorum condicioni aut calamitati officium benignitatis Nostrae deesse nolumus, eo vel magis quod Nobis spondemus futurum, ut coniunctis eorundem precibus, quibus promerita accedant sive innocentis vitae in divinis rebus contemplandis virtutibusque religiosis exercendis traductae, sive castigationis aegrotationisque, poenitentiae spiritu, toleratae, illa a Deo bona catholico nomini obveniant, quae ut ab omnibus flagitarentur, indicendo Iubilaeo maximo mentem esse Nostram aperte declaravimus.

Causa prospiciendi impeditis.

Eorum quibus prospicitur brevis descriptio

Itaque concessionis huius Nostrae, ex qua Iubilaei veniam lucrari — ita, quemadmodum mox dicemus, — ii etiam possint, quibus sepulcra Apostolorum et Patriarchales Urbis Basilicas adire non liceat, participes dumtaxat sunto:

Numerantur limitative:

1. Moniales cum postulantibus, educandis et contubernalibus.

I. In primis moniales omnes, quae in coenobiis degunt sub claustri perpetui disciplina; item quae in iisdem monasteriis aut probandae et postulantes sunt aut tirocinium exercent aut educationis aliave legitima de causa etsi per maiorem tantummodo anni partem, commorantur. Neque excipi volumus mulieres earum contubernales, quae, famulatus vel stipis colligendae gratia, saepta religiosa egrediuntur.

2. Religiosae Sorores cum coniunctis victu et tecto personis

II. Omnes religiosae Sorores, scilicet votorum simplicium, quae ad Congregationem pertineant iuris sive pontificii sive dioecesani, quamquam severiore claustri lege non adstringuntur, una cum suis novitiis, probandis, atque educandis puellis — semiconvictricibus quoque, ut aiunt, non tamen externis —, aliisque communi cum ipsis mensa utentibus, domicilio vel quasi domicilio.

3. Piae feminae sine votis sed vitae societate coniunctae in Instituto probato, cum contubernalibus.

III. Pariter Oblatae, seu piae feminae, vitae societate coniunctae, etiamsi vota non emittant, quarum tamen Instituta ab Ecclesiastica auctoritate vel ratione stabili vel ad experimentum probata sint, una cum suis novitiis, probandis, puellis educandis aliisque communi cum ipsis contubernio utentibus, ut de Congregationibus religiosibus n. II diximus.

4. Feminae Tertii Ordinis regularis cum contubernalibus

IV. Omnes feminae ad quemvis Tertium Ordinem Regularem pertinentes quae sub uno eodemque tecto, cum approbatione ecclesiastica, communiter vivunt, itemque, ut supra, omnes earum contubernales.

5. Puellae et et mulieres in gynecaeis et conservatoriis degentes.

V. Puellae et mulieres in gynaeceis seu Conservatoriis degentes, quamvis non sint Monialibus, Sororibus religiosis, Oblatis Tertiariisve concreditae.

6. Anachoretae et eremitae regularem Ordinem profitentes.

VI. Anachoretae et Eremitae, non ii quidem, qui nullis adstricti clausurae legibus vel communiter vel solitarii sub Ordinariorum regimine certisque legibus obtemperantes vivunt; sed ii, qui in continua — licet non omnino perpetua — clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agunt et monasticum aut regularem Ordinem profitentur, ut Cistercienses Reformati B. M. V. de Trappa, Eremitae Camaldulenses et Carthusiani.

7. Captivi aut detenti poenae vel emendationis gratia.

VII. Christifideles utriusque sexus, qui captivi in hostium potestate versantur, aut in carcere custodiuntur aut exilii poenas deportationisve luunt aut apud poenales domos ad opus damnati reperiuntur; item ecclesiastici vel religiosi viri, qui in coenobiis aliisve domibus, emendationis gratia, detinentur.

8. Morbo vel imbecilla valetudine prohibiti; addicti nosoco-

VIII. Christifideles utriusque sexus, qui morbo vel imbecilla valetudine prohibentur, quominus, intra lubilaei annum, aut Urbem adeant aut in Urbe praescriptas Patriarchalium

Basilicarum visitationes instituant; qui in nosocomiis, conducti vel sponte ipsi sua, aegrotantibus, continuatâ operâ, adsunt; item operarii, qui, cotidiano sibi victum labore comparantes, nequeunt se ab eo per tot dies atque horas abstinere; senes denique, qui septuagesimum aetatis suae annum excesserint.

miis; operarii; senes septuaginta annorum.

Istos igitur omnes et singulos monemus vehementerque hortamur, ut quam Christus Redemptor, qui delere vult iniquitates nostras, per Ecclesiam ipsis occasionem opportunitatemque misericorditer offert animi, piaculari anno, expiandi atque ad sanctiorem vitam provehendi, eam ne neglegant neve praetermittant. Sua quisque admissa sincere perscrutantes et non sine gemitu ploratuque dolentes saluberrimo Poenitentiae Sacramento eluant congruisque castigationibus expient; tum caeleste participent epulum, ea quidem reverentia et fide et caritate, ut ad vivendum angelorum more inde prompti redeant ac parati. Interea Dominum Iesum Christum, quem pectore exceperint, ad mentem Nostram enixe orent; idque potissimum flagitent, ut, depulsis dissensionum discidiorumque causis, mansuram pacem inter populos conciliet, itemque cum ad Ecclesiam suam, caelestium effusione gratiarum, avulsos revocet filios, tum sanctissimam eam regionem, quam Ipse sudoribus suis excoluit et sanguine suo consecravit, ne sinat violari ac contaminari atque in Crucis suae inimicorum dominatum incidere. Visitationi autem quattuor Urbis Basilicarum alia religionis, pietatis caritatisque opera iidem sufficiant, quae Ordinarius per se ipse vel per prudentes confessarios, pro condicione et valetudine singulorum ac pro loci temporisque rationibus, iniunxerit.

Ipsis ad lucrandum iubilaeum praescriptae condiciones.

Itaque omnipotentis Dei misericordia et beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, iis omnibus et singulis, quos supra memoravimus, vere poenitentibus et intra Annum Sanctum rite confessis ac sacra synaxi refectis, Deumque, ut supra diximus, ad mentem Nostram orantibus, omnia denique implentibus alia iniungenda opera in locum visitationum, ac, vel inchoatis tantum iisdem operibus si morbus periculosus oppresserit, plenissimam omnium peccatorum indulgentiam, veniam et remissionem, etiam bis intra Anni sancti decursum si iniuncta opera iteraverint, haud secus ac si praescripta communiter ceteris omnibus explevissent, de Apostolicae liberalitatis amplitudine largimur atque concedimus.

Indulgentiae plenissimae concessio

Porro liceat unicuique eorum, quos supra memoravimus, sibi confessarium eligere a suo Ordinario ad praescripta Co-

Optio confessarii

dicis approbatum, cui, vi praesentis Constitutionis, pro confessione dumtaxat ad lucrandum Iubilaeum instituta, concedimus, ut, sine detrimento earum facultatum, quas forte alio titulo exercere possit, personas supra dictas in foro sacramentali tantum absolvere queat a quibusvis censuris et peccatis etiam Apostolicae Sedi speciali modo, non tamen specialissimo modo reservatis, excepto casu haeresis formalis et externae, impositis salutari paenitentia aliisque secundum canonicas sanctiones rectaeque disciplinae regulas iniungendis. Praeterea confessario, quem monialis sibi elegerit, potestatem facimus dispensandi a vot's privatis quibuslibet, quae ea ipsa post professionem sollemnem nuncupaverit quaeque regulari observantiae minime adversentur. Confessarios autem supra memoratos volumus etiam dispensando commutare posse omnia vota privata, quibus Sorores in Congregatione votorum simplicium, Oblatae, Tertiariae regulares, puellae et mulieres communibus domibus vitam agentes, sese obstrinxerint, iis votis exceptis quae Nobis et Apostolicae Sedi reservata sint: factaque commutatione, a votorum etiam iuratorum observatione absolvere.

Potestas confessariis facta circa censuras,

circa vota Monialium et Sororum

Hortamur autem venerabiles fratres Episcopos aliosque locorum Ordinarios, ut, ad apostolicae Nostrae benignitatis exemplum, eligendis ad praesentium effectum confessariis impertiri ne recusent facultatem absolvendi a casibus qui ipsis Ordinariis reservati sint.

Hortatio ut locorum Ordinarii benignitatem Pontificis imitentur

Harum interea decreta et iussa Litterarum rata, valida, firma in omnes partes esse et fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuslibet. Volumus denique ut harum Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus adiungatur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae

Nulli igitur hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, concessionis, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXX mensis Iulii anno MDCCCCXXIV, Pontificatus Nostri tertio.

Dies (30 iul. 1924).

O. Card. CAGIANO,
S. R. Cancellarius

O. Card. GIORGI,
Poenitentiarius Maior.

Loco ✠ Plumbi.

Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus*
Ioannes Zani Caprelli, *Protonot. Apost.*

Reg. in Canc. Ap., vol. XXX, n. 6.

37. — S. Poenitentiaria Apostolica

Monita 31 iul. 1924.

De usu facultatum confessariis per Annum Sanctum tributarum deque ratione indulgentiae Iubilaei lucrandae, ad normas constitutionum Benedicti XIV et Leonis XIII exarata, auctoritate SS.mi D. N. Pii Pp. XI ad hodiernam disciplinam accommodata eiusque iussu edita.

(A. A. S. 1 aug. 1924, 16, 337)

Monitorum causa et

Constitutione Apostolica *Si unquam*, die XV huius mensis lata, poenitentiariis minoribus aliisque in Urbe et suburbio confessariis facultates tribuuntur sane amplissimae, quibus adeptio iubilaris veniae facilior tuticrque reddatur. Summopere autem interest ut iidem poenitentiarii et confessarii facta sibi potestate prudenter utantur, ne tantarum largitio gratiarum eâ vi eoque careat effectu, quem Sancta Mater Ecclesia indicendo piaculari anno sibi misericorditer proposuit.

Propositum.

Vestigia igitur decessorum suorum persecutus, qui huic necessitati sapientissime superiore aetate consuluerant, SS. D. N. Pius Papa XI decrevit, eorum monita, ad praesentem disciplinam accommodata, prouti infra exponuntur, retinenda esse et singulis, sive Ordinariis sive confessariis ecclesiarumque rectoribus, accurate servanda.

1. De casibus qui facultates excedunt;

I. Confessarii praediscant ac memoriâ teneant indicem peccatorum, censurarum, poenarum impedimentorumque omnium, quorum absolutio vel dispensatio in facultatibus sibi concessis non comprehenditur; si qua autem eiusmodi occurrerint, meminisse eos oportet, non aliter posse se poenitenti providere, quam iis religiose servatis quae Codex praescribit can. 2254, 2290, 1045 § 3; servato praeterea — si confessarii non sint ex poenitentiariis pro Iubilaeo deputatis — can. 990 § 2.

2. De subiecto passivo facultatum et loco eas exercendi;

II. Attendant praecipue, facultates extraordinarias sibi tributas exercere se valide posse tantummodo erga poenitentes qui confessionem peragant ad iubilaeum lucrandum praescriptam, atque unice in confessione sacramentali, nisi aliud concessio ipsa ferat. Ad locum autem quod attinet, quo licite vel etiam valide iubilarem confessionem audiant, servent tum Codicis praescripta, tum Ordinarii loci mandata, tum denique ea quae in ipso facultatum suarum indice statuta sunt.

3. De iniungenda paenitentia;

III. Sua cuique, iubilaei causâ confitenti, sacramentalis poenitentia imponatur ad normas a theologis communiter traditas; nec ab ea imponenda, ut quae sacramenti integritatem compleat, idcirco confessarii se abstineant, quia poenitentem tam bene dispositum animatumque invenerint, ut coniicere sibi iure liceat, eum plenissimam iubilaei veniam esse consecuturum. Nec in sacramentalem satisfactionem opera aliunde iniuncta, etiam pro ipso iubilaeo, poenitenti imperent, nisi quo casu, spectata eius fragilitate, aliter provideri omnino nequeat.

4. De occultis censuris absolvendis;

IV. Si quis in occultas censuras ob partem quoquo modo laesam inciderit, eum ne ante absolvant, quam parti laesae, etiam scandalum reparando damnumque sarciendo, satisfecerit: aut saltem, si eiusmodi satisfactionem praestare ante non possit, vere graviterqne promiserit se, cum primum licuerit, satisfacturum.

5. De absolutione a publicis censuris;

V. Si quando agatur de publicis censuris, quarum absolutio est poenitentiariis minoribus commissa, hi iniungendae satisfactioni haud aliter consulant, quam secundum praxim Poenitentiariae Apostolicae; ad huius vero Officium poenitentem dirigant cum suo de impertita a se censurae absolutione testimonio, in quo quidem poenitentis nomen, cognomen, dioecesim et censuram, in quam inciderat, publicam, cum plena eius venia, conscripserint. Officium autem S. Poenitentiariae poenitentem ad Ordinarium remittet, tradito Rescripto, quo testificabitur illum fuisse a publica eiusmodi censura in foro sacramentali absolutum, ut possit, ad can. 2251, haberi tamquam absolutus in foro externo. Teneatur tamen poenitens, sub poena reincidentiae, parere reliquis Ordinarii mandatis: cui religioni esto clementius mitiusque cum reo agere, quem publice in romana peregrinatione poenituit.

6. De violantibus ad finem malum monialium clausuram;

VI. Eos qui, ad finem quoquo modo malum, monialium clausuram violaverint, in casibus etiam occultis, prohibeant nomine Apostolicae Sedis quominus in posterum ad illud monasterium eiusque ecclesiam accedant, moneantque praeterea, eos ita a censuris absolutos esse, ut, si prohibitionem neglexerint, in easdem eo ipso relabantur. Quodsi, pro poenitentis et rerum locorumque adiunctis, imponi ac servari ea prohibitio nequeat, consulatur E.mus Cardinalis Poenitentiarius Maior, qui, pro sua prudentia, quotiescumque necessitas id postulare videbitur, ea in re dispensabit.

7. De introducentibus ad finem malum mulieres in clausu-

VII. Religiosos vero, qui suam, mulieres introducendo, clausuram, similiter ad finem graviter malum, violaverint, ita a censuris, in quas iidem inciderint, absolvant, ut firma atque

integra consistat officii et vocis activae ac passivae privatio, qua forte, ad can. 2342, 2°, in poenam mulctati iam sint.

ram religiosorum;

VIII. A lectione librorum prohibitorum, eorum praesertim qui in can. 2318 § 1 sub excommunicationis poena vetantur, ne quemquam absolvant, nisi is libros, quos penes se retinet, Ordinario aut confessario ipsi aut alii, qui facultatem eosdem retinendi habeat, ante absolutionem tradiderit; sin minus, se eos, cum primum potuerit, destructurum aut traditurum, serio promiserit.

8. De legentibus libros prohibitos;

IX. Religiosos, apostatas a religione, ab excommunicatione can. 2385 lata ne absolvant, quamdiu extra Ordinem permanserint; attamen, si ii firmum habeant propositum ad religionem suam redeundi, congruo iisdem praefinito ad id exsequendum tempore, in foro interno absolvant, ea condicione ut in censuram recidant si intra praefinitum tempus ad religionem non redierint. At ii moneantur, se, quamdiu extra suae religionis domum commorentur, ab actibus legitimis ecclesiasticis excludi, privilegiis omnibus suae religionis privari, Ordinario loci commorationis subiici, atque obnoxios esse, etiam postquam redierint, aliis poenis in can. 2385 statutis. Quotiescumque vero agitur de illo egressu, de quo in can. 646, si poenitens, rite dispositus, in foro interno absolvi potuit, remittatur, eo prorsus modo qui n. V describitur, ad Officium S. Poenitentiariae, a quo, ob opportuna remedia, ad Supremam Congregationem S. Officii deferendus erit. — Religiosus autem fugitivus, etiamsi ex Constitutionibus suae religionis in excommunicationem inciderit, absolvi, rite dispositus, in foro interno poterit, imposita obligatione ad religionem quam primum redeundi, eadem ratione eademque sub reincidentiae poena, ac pro apostatis a religione cautum est: praeterea, si sit in sacris, ea lege, ut suspensionem observet can. 2386 statutam.

9. De religiosis apostatis,

et fugitivis.

X. Quodsi eiusmodi vel a religione apostatae vel fugitivi dixerint, velle se, ante quam ad religionem suam revertantur, poenarum mitigationem a Superioribus impetrare, in hoc quidem casu ne absolvantur, sed ad Superiores suos remittantur.

10. Quid si hi velint prius poenarum mitigationem impetrare?

XI. Clerici in sacris Ordinibus constituti, qui delictum patraverint de quo in can. 2388, quotiescumque rite dispositi et scandalum reparare parati animo sunt, poterunt quidem absolvi, sed per S. Poenitentiariam, ut n. IX dicitur, ad S. Officium, tamquam irregulares, remittendi sunt.

11. De clericis in sacris matrimonium attentantibus?

XII. Etiamsi omnes Christi fideles, cuiusvis ordinis et gradus, ad Almam hanc Urbem, lucrandi iubilaei causa, advocentur atque invitentur, nulli tamen putent sibi datam, eorum,

12. De accessu ad Urbem.

quorum interest; venia vel consensu posthabitis, adeundae Urbis libertatem. Itaque uxores et viri caveant, ne sua peregrinatio gravia familiae incommoda afferat; invitos, vicissim, parentes filii ne deserant. Episcopi ab dioecesi sua ne discedant, si qua gregi detrimenta metuant; sacerdotes ac reliqui de clero ne romanum iter ingrediantur, nisi Curia eos sua litteris munierit; religiosis, denique, peregrinari non licebit, nisi venia legitime a Superioribus impetrata, quos tamen dedeceat nimium se morosos praestare ac difficiles, et hortationem Benedicti XIV neglegere, qui in Litt. Enc. *Apost. Const.*, die 26 mensis iunii anni 1749 datis, § 7, " hac in re benigniores „ eos futuros fuisse confidere se declarabat.

13. De Confessione et communione;

XIII. Confessio et Communio ad lucrandam piacularis Anni veniam imperatae nihil refert utrum visitationibus quattuor Basilicarum antecedant, an interponantur vel succedant; unum refert et necesse est, ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae, ad can. 925 §. 1, compleatur. Si quis igitur post confessionem peractam, ultimo nondum completo opere, in letale rursus inciderit, iteret confessionem oportet, si sacram synaxim debet adhuc suscipere, secus, satis erit, ut, actu contritionis perfectae elicito, cum Deo reconcilietur.

14. De visitationum numero.

XIV. Visitationes quattuor Basilicarum iis, qui, e sententia canonis 91, *incolae* sunt vel *advenae* intra Urbem aut intra fines paroeciarum quae in suburbio comprehenduntur, *vicies* peragendae sunt; *decies*, contra, omnibus, qui partes agri romani iis paroeciarum terminis finitimas incolunt, ut ceteris peregrinis.

15. De visitanum utili tempore et modo.

XV. Ex decreto a Suprema Congregatione S. Officii lato die 26 mensis ianuarii anni 1911, quod can. 923 confirmatum est, praescriptae quattuor Basilicarum visitationes — nec refert quo ordine fiant — peragi queunt « a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem quae statutum diem claudit », licet concessionis documentum aliud sonare videatur, facta horarum supputatione secundum can. 33 § 1. Completa igitur quartae Basilicae visitatione, licebit, ut patet, a meridie et deinceps eiusdem Basilicae visitationem iterare, ad inchoandam seriem visitationum insequentis diei. Necesse, ceteroqui, non est invisentibus, ut per Portam Sanctam in Basilicas ingrediantur aut de iis exeant; immo etiam, Basilicis clausis vel aditu ad eas quavis de causa impedito, satis erit ad earundem fores vel gradus Deum exorare. At visitatio pia ac devota sit oportet, idest facta animo Deum colendi; quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat.

XVI. Praeter Basilicarum visitationes, ad Indulgentiam Iubilaei lucrandam preces quoque praescribuntur pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione et ad mentem Summi Pontificis, scilicet ad eos fines, quos Romanus Pontifex edixit, praecipue in Bulla Indictionis, velle se a Christi fidelibus Deo commendari. Quae quidem preces, quamvis in singulis visitationibus iterari pie soleant, ab his tamen seiungi possunt; neque hoc precum officio atque onere exsolvitur quisquis ex peculiari indulto aut ex commissa Ordinariis confessariisve facultate a complendo statuto visitationum numero sit legitime dispensatus, etsi non cogitur toties preces iterare quot numero fuerint condonatae visitationes. Sufficit, ceteroqui, implicite et generatim ad mentem Romani Pontificis orare, oratione non quidem mentali, sed vocali, pro fidelium arbitrio deligenda, ut can. 934, § 1 edicitur, vel alternis cum socio; ex communi autem sententia officio huic satisfacit quicumque orationem dominicam, salutionem angelicam et doxologiam quinquies recitaverit. Mutis canone 936 consulitur.

16. De precibus ad mentem Pontificis.

XVII. Cum Ss.mus D. N. Pius Pp. XI benigne concesserit, ut in Urbe et suburbio quicumque semel Iubilaei indulgentiam sibi acquisiverit, is possit deinde animis defunctorum expiandis toties eam lucrari quoties iniuncta opera perfecerit, eam iterum iterumque profecto lucrabitur quisquis iterum iterumque opera praestiterit aut in Bulla Indictionis imperata aut, vi supervenientis Indulti vel dispensationis commutationisve legitimae, iis ipsis suffecta, sive praestare ante ad Bullae Indictionis praescriptum coeperit, deinde ad indulti formam perrexerit, sive ante ad unius indulti, deinde ad posterioris indulti, etiam diversi, formam praestiterit. Si quod autem supervenerit indultum, quo visitationum numerus, ab initio praescriptus, ad minorem redigatur, qui hunc nondum attigerit, visitationes ante peractas ad complendum numerum imputet; qui, contra, numerum ita imminutum iam attigerit aut excesserit, unam saltem novam quattuor Basilicarum visitationem, ut indulto fruatur, adiungat. — Qui autem, iustis de causis aut deminutione praescripti visitationum numeri aut commutatione, pluries quoque, a confessario impetrata, semel Iubilaeum acquisiverit, eum alias exinde deminutiones aut commutationes impetrare nefas esto, ita ut prioribus tantummodo concessionibus toties postea uti frui possit quoties velit Iubilaei indulgentiam defunctorum animis applicandam lucrari. — Quod vero attinet ad absolutionem a censuris ad aliasque dispensationis vel commutationis gratias, si cui forte harum necessitas occurrerit post-

17. De iterata indulgentiae acquisitione.

De obtentis mitioribus conditionibus.

De iterata absolutione a censuris, et obtenta dispensatione vel commutatione.

quam omnia praescripta ad lucrandum Iubilaeum opera implevit, concessu Sanctitatis Suae possit is semel iisdem gratiis uti frui. Verumtamen quicumque absolutionem a censuris aliasve dispensationis vel commutationis gratias tum impetravit, cum, primum, Iubilaei veniam lucratus est, si quidem denuo in censuram inciderit et reservatum casum admiserit aut novis votorum dispensationibus commutationibusve indigeat, a facultate is decidat Iubilaei iterum acquirendi atque a confessario ad usitatas Codicis normas tractetur. Integrum interea inviolatumque esto, quibus, a romana peregrinatione stabili impedimento prohibitis, Constitutione *Apostolico muneri,* pridie huius diei, data, concessum est, ut extra Urbem possint, operibus iteratis, quae ab Ordinario vel a confessario suffecta sint, semel et bis tantum Iubilaei indulgentiae frui, iis omnibus haud licere praeterea — quod, contra, iis licet qui in Urbe aut suburbio, item impedimento detenti, commorantur — toties in defunctorum suffragium eandem indulgentiam acquirere, quoties opera suffecta repetant.

Quid de iis qui extra Urbem Iubilaeum lucrari possunt.

18. Quid si post obtentas absolutiones vel dispensationes quis Iubilaeum lucrari non pergat.

XVIII. Absolutiones a censuris, si eas excipias quae datae sint ad reincidentiam, itemque commutationes votorum et dispensationes, ex facultatibus extraordinariis, per piacularem Annum, confitentibus Iubilaei causâ, semel concessae, in suo robore permanent et consistunt, etiamsi qui eas, sincero animo Iubilaeum lucrandi, impetravit, deinde, mutato proposito, cetera opera imperata intermiserit atque ab eo acquirendo destiterit.

19. Facultatum suspensio Urbem non attingit.

XIX. Suspensio facultatum, per Constitutionem *Ex quo primum*, die quinto huius mensis latam, indicta ac denuntiata, ad Urbem eiusque suburbium minime pertinet, cum summopere intersit, per Annum Sanctum heic sacrorum operariorum copiam et auxilia poenitentibus e culparum caeno ad divinam gratiam revocandis nec imminui nec deficere. Quisquis igitur Romae eiusmodi facultatibus sit legitime munitus, eas per piacularem annum in Urbe et suburbio, intra fines concessionis sibi factae et temporis sibi praestituti, libere exerceat. — Ad indulgentiarum suspensionem quod attinet, eadem Constitutione *Ex quo primum* indictam, cum Apostolica Sedes iam dudum decreverit, nonnullas indulgentias ab usitata per Annum Sanctum suspensione eximi, SS. D. N. eiusmodi indulta seu privilegia, etsi de iis in memorata Constitutione siletur, non revocat, modo authentice constet, ea ipsa fuisse et revera et in perpetuum concessa, ad can. 70, 71 et 60 § 2.

Indulgentiae suspensione exceptae.

XX. Cum quattuor Basilicarum visitatio non sit opus per se praeceptum, sed tantummodo iis impositum qui libere velint Iubilaei veniae participes fieri, id visitationis onus, quotiescumque a confessariis privilegiatis debet, ex rationabili causa, totum vel ex parte poenitentibus remitti, ne commutetur in alia opera, quae ad peragenda poenitens sit alio obligationis proprie dictae titulo adstrictus. *20 In quaenam opera visitationes sint commutandae.*

XXI. Confessarii extra Urbem, qui facultatibus extraordinariis, Iubilaei causâ, per Constitutionem *Apostolico muneri* donati sunt, sciant, sibi licere hisce Monitis eatenus uti, quatenus ipsis applicari possint. *21. Usus monitorum extra Urbem.*

Haec igitur sunt *Monita*, quae ad praesentis disciplinae condicionem innovari atque in lucem edi iussit Ss.mus Dominus Noster Pius Pp. XI, ut constans et tuta omnibus praesto sit interpretatio et facultatum, quae vigebunt, et operum, quae praestanda sunt ad veniam Iubilaei consequendam, per proximum piacularem Annum. *Vis monitorum.*

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Poenitentiariae, die XXXI mensis iulii, anno MDCCCCXXIV. *Dies (31 iul. 1924).*

O. Card. GIORGI *Poenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

Silvius Fagiolo, S. Poenitentiariae a Secretis.

38. — Suprema S. C. Officii

Monitum 24 iul. 1924 et decretum 1 aug. 1924.

I

MONITUM DE R. P. PIO A PETRALCINA

(A. A. S. 1 sept. 1924, 16, 368).

Declaratione die 31 maii anni elapsi per *Acta Apostolicae Sedis* (vol. XV, pag. 456) evulgata, (1) Suprema haec Sacra Congregatio Sancti Officii fidei morumque integritati tutandae praeposita, fideles monitos voluit, ex inquisitione peracta super factis quae Patri Pio a Petralcina, Ordinis Minorum Capuccinorum, in conventu loci vulgi *San Giovanni Rotondo*, Fodianae dioecesis commoranti, communiter tribuebantur, nihil de praetensa eorum supernaturalitate colligi potuisse; ac fideles ipsos *Hortatio 31 maii 1923.*

(1) Cf. *Periodica*, XII, 82.

hortabatur ut in propria agendi ratione huic declarationi se conformarent.

gravioribus verbis confirmatur.

Haustis nunc, ex pluribus ac tutis fontibus, aliis informationibus, eadem Suprema Sacra Congregatio muneris sui esse ducit gravioribus verbis fideles denuo adhortari, ut a praedicto Patre, devotionis causa, invisendo et a quavis cum eo, etiam epistolari, relatione fovenda prorsus abstineant.

Dies (24 iul. 1924).

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 24 iulii 1924.

Aloisius Castellano,
Supremae S. C. S. Off. Notarius.

II

DECRETUM OPUS PROSCRIBENS.
(A. A. S. 1 sept. 1924, 16, 168).

Mandatum de inserendo in Indicem opus praedamnatum c. 1399.

E.mi ac R.mi D.ni Cardinales fidei et moribus tutandis praepositi, in ordinario consessu habito Feria IV, die 30 iulii 1924, ad praescriptum canonis 1399, praedamnatum esse declararunt et in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt opus cui titulus: *L'esperienza etica dell'Evangelio (Brani scelti dal Nuovo Testamento) — Introduzione, traduzione e note di Adolfo Omodeo, Bari, Laterza.*

Approbatio Pontificis

Et insequenti feria V. die 31 eiusdem mensis et anni, SS. D. N. D. Pius, Divina Providentia Papa XI, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, relatam Sibi E.rum Patrum resolutionem approbavit et publicandam iussit.

Dies (1 aug. 1924).

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 1 augusti 1924.

Aloisius Castellano,
Supremae S. C. S. Off. Notarius

39. — S. C. de disciplina Sacramentorum.

Litterae 26 iul. 1924.

DE FACULTATE CELEBRANDI MISSAM SUB DIO
(A. A. S. 1 sept. 1924, 16, 370)

Dubium quo Italiae Ordinarii prenuntur.

Ill.mo e Rev.mo Signore (1), — Molti Ordinari d'Italia si trovano in gravi difficoltà circa la risoluzione da prendere

(1) Litterae ad Ordinarios Italiae missae sunt. Eas sic latine reddimus. Ill.me e Rev.me Domine. — Non pauci Italiae Ordinarii animo gra-

quando loro si presentano domande dirette a permettere la celebrazione dei santi misteri fuori delle chiese, cioè dei luoghi destinati all'esercizio del culto.

Considerand proponitur

La Santa Sede, interpellata in proposito, dopo accurato studio e matura deliberazione, richiama loro le seguenti considerazioni.

antiqua disciplina,

È notissima la tradizionale disciplina che abbiamo ricevuto dai Santi Padri, essere cioè la chiesa il luogo destinato alla celebrazione della santa Messa. E anzi vi fu tempo in cui non si permetteva la celebrazione se non nelle chiese o negli oratori consacrati. Con l'andare del tempo, per varie ragioni, che non è qui il caso di ricordare minutamente, la disciplina ecclesiastica in questa materia si rese un pò più benigna. Ma a chi la studia nella sua evoluzione, apparisce chiaramente che, se alcune volte fu concessa la celebrazione del divin Sacrificio fuori delle chiese, ciò fu sempre ristretto ai casi di necessità o per motivi esclusivamente religiosi.

recens Codic sancita.

Questa tradizionale discipline, confermata da tanti Pontefici e da tanti Concilii, antichissima ed universale, ebbe ultimamente una nuova sanzione dal *Codice di diritto canonico,* dove, al can. 822 § 1, si stabilisce che: « Missa celebranda est « super altare consecratum et in ecclesia vel oratorio », ecc., e poi, al § 4: « Loci Ordinarius... licentiam celebrandi extra « ecclesiam et oratorium... concedere potest iusta tantum ac « rationabili causa, in aliquo extraordinario casu et per modum « actus ». Di qui è facile inferire che le facoltà degli Ordinari al riguardo sono assai limitate, non potendosi esercitare se non in qualche caso straordinario, nè senza giusta e ragione-

Interpretatio c. 822, § 1 et

---

viter perplexi sunt quid decernendum habeant cum ipsis preces offeruntur ut sanctorum mysteriorum celebrationem extra ecclesias, i. e. extra loca celebrando cultui destinata permittant.

S. Sedes, de re interrogata, post accuratum examen et maturam deliberationem, ipsis haec varia consideranda proponit.

Notissima traditione disciplinari a SS. Patribus accepta, constat ecclesiam esse locum celebrandae s. Missae destinatum. Immo, per aliquod tempus, celebratio in solis ecclesiis vel consecratis oratoriis permittebatur. Labentibus annis, ob varias causas quas particulatim memorare non iuvat, ecclesiastica de hac re disciplina paulo benignior facta est. Eam tamen in eius evolutione scrutanti, manifestum fit, sola cogente necessitate vel impellentibus rationibus mere religiosis, celebrationem divini Sacrificii extra ecclesias interdum concessam esse.

Disciplina ista traditionalis, a tot Pontificibus et tot Conciliis confirmata, antiquissima et universalis, recens denuo *Codice iuris canonici* sancita est, cum eius canon 822, § 1 statuat: « Missa celebranda est super altare consecratum et in ecclesia vel oratorio » et ac dein. § 4: « Loci Ordinarius...

vole causa, la quale deve essere unicamente ispirata alle altissime regioni del culto divino e al bene spirituale dei fedeli. Giova poi inculcare e praticare con la debita severità queste norme disciplinari per elevare e purificare il sentimento religioso del popolo.

Corollarium seu applicatio.

È quindi fuor di dubbio che non si avrebbe la causa giusta e ragionevole, voluta dal citato can. 822, se la celebrazione della Messa fuori della chiesa fosse richiesta in occasione di commemorazioni profane o per dare risalto a feste di carattere politico: in tali circostanze la celebrazione della Messa fuori della chiesa resta vietata in modo assoluto dal citato can. 822. Molto più poi questo vale se si trattasse di celebrazioni, nelle quali, per la loro stessa natura, si insinui alcunchè di superstizioso o di pericoloso al retto sentimento religioso o alla purezza della fede nel popolo cristiano. Nè solo, in questi casi, non si darebbe la causa giusta del Codice, ma assai facilmente si potrebbe dare occasione a deviazioni della sana disciplina del culto cattolico. In questi casi l'Ordinario del luogo avvisi gli interessati che non è nelle sue facoltà di aderire alla domanda, ma, se i richiedenti insistessero invocando speciali ragioni di luogo, di tempo o di persone, egli avrà cura di trasmettere la petizione a questa Sacra Congre-

Norma practice sequenda

---

licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium... concedere potest iusta tantum ac rationabili causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus ».

Inde facile colligitur facultates Ordinariorum in hac re esse satis angustas, cum non possint exerceri nisi in aliquo extraordinario casu, nec sine iusta ac rationabili causa, quae solis altissimis rationibus divini cultus et spirituali fidelium bono dictata esse debet. Expedit autem ut disciplinares istae normae cum debito rigore inculcentur et serventur, ut religiosus populi sensus sublimior et purior fiat

Itaque ambigendum non est postulatam citato C. 822 iustam et rationabilem causam non affuturam esse, si Missae celebratio extra ecclesiam petatur per occasionem profanae commemorationis vel ad festa politicae indolis honestanda: in huiusmodi adiunctis celebratio Missae extra Ecclesiam prorsus citato can. 822 prohibita est. Id fortiori ratione dicendum est si celebrationes de quibus agatur, natura sua insinuatum habeant quidquam superstitiosum vel periculosum pro recto sensu religioso, vel fidei puritate in populo christiano. In istis casibus iusta Codicis causa non solum abesset, sed derogationis a sana catholici cultus disciplina valde facilis occasio daretur. Loci Ordinarius eos quorum interest tum moneat ipsi facultatem deesse petitioni annuendi; si autem oratores peculiares loci, temporis vel personarum rationes allegarint ad instandum, curet ut petitio Huic S. Congregationi de Sacramentis, ad quam spectat de re statuere, transmittatur.

gazione dei Sacramenti, alla quale spetta la decisione in proposito.

Tanto si partecipa alla S. V. per sua intelligenza e norma. Dalla Sacra Congregazione dei Sacramenti, 26 luglio 1924. *Dies (26 iul. 1924)*

M. Card. LEGA, *Prefetto*

L. ✠ S.

† *L. Capotosti. Vescovo di Terme, Segretario.*

ANNOTATIO

Quamvis ad solos Italiae Ordinarios directae sint, litteras istas exscribendas duximus quia canonum interpreti subsidia afferunt atque etiam aliis Ordinariis utilem normam indicant.

40. — S. C. Concilii

Epistola 24 iun. 1924

DE RELIGIOSA PUERORUM ET ADOLESCENTIUM INSTITUTIONE
(A. A. S. 1 aug. 1924, 16, 332)

EPISTOLA

Rev.me Domine, (1) — Ad urgendam toto orbe terrarum religiosam populi institutionem et sacrorum Pastorum operam diligentiamque adiuvandam et roborandam in re, qua nihil sane pluris, Ss.mus D. N. Pius PP. XI, Motu proprio *Orbem catholicum*, diei 29 iunii anni praeterlapsi, apud hanc Sacram Congregationem Officium instituit peculiare. *Memorata institutione peculiaris Officii,*

Quod autem Pontifex vigilantissimus futurum auspicabatur, id feliciter contigit, ut ad Apostolicae Sedis auctoritatem promptior et alacrior Episcoporum ceterique cleri bonorumque laicorum opera ubique accesserit. *et laeto zeli incremento,*

Quo vero melius ac facilius Officium finem assequatur suum, qui est, *universam in Ecclesia actionem catechisticam moderari* *S. C. Concilii proposuit inquirere de ratione*

Hactenus quae pro suo intellectu et directione cum B. V. communicantur.

E S. Congregatione Sacramentorum, 26 iul. 1921.

(1) Epistola ad omnes locorum Ordinarios directa est.

et condicione religiosae institutionis apud singulas gentes. Varia istius inquisitionis utilitas.

ac provehere, huic Sacrae Congregationi peropportunum visum est probe cognoscere, quae sit apud singulas nationes institutionis religionis pueris adolescentibusque tradendae peculiaris ratio ac conditio. Ex perspecto enim universo catechisticae institutionis statu facile fiet, ut et quae ab hac Sacra Congregatione ad moderandum forte fuerint praestanda, diversarum nationum necessitatibus congruentius praescribantur, et quae alicubi in re catechistica sint feliciter instituta, ea in aliorum locorum opportune deriventur utilitatem.

Quare plura interrogat:

Placeat igitur Amplitudini Tuae, pro Tua diligentia et studio, respondere ad interrogata quae equuntur,

I. De ista institutione in paroecis;

I. — *De institutione doctrinae christianae in paroeciis.*

1. Quot paroeciae sunt in dioecesi?

2. Quot pueri quotque puellae in qualibet paroecia institutionem christianam frequentare tenentur?

3. Quot ex his revera eam frequentant?

4. Quanam methodo et quanam utilitate institutio haec traditur?

5. Quanam diligentia curatores paroeciarum hoc munus adimplent?

6. An et quinam in re abusus irrepserint?

7. Quaenam remedia opportune adhibenda existimaveris?

II in collegiis;

II. — *De institutione doctrinae christianae in collegiis.*

8. Quot sunt in dioecesi collegia ex utroque sexu sub moderatione cleri saecularis seu regularis, aut sororum religiosarum?

9. Quot sunt alumni externi vel interni eorumdem Collegiorum?

10. An in iisdem collegiis institutio doctrinae christianae habeatur?

11. Quoties in unaquaque hebdomada?

12. Quanam methodo et quanam utilitate?

13. Quosnam defectus deprehendisti?

14. Quomodo in casu provideri potest?

III. in publicis scholis.

III. — *De institutione doctrinae christianae in publicis scholis.*

15. An in publicis scholis doctrina christiana tradatur?

16. Quibusnam in scholis?

17. Quaenam leges, de hac re, a civili gubernio conditae, existunt?

18. Si in publicis scholis deest institutio doctrinae christianae, quanam ratione puerorum religiosae educationi provideatur?

19. Quosnam defectus deprehendisti?

20. Quomodo in casu provideri potest?

Hanc nactus occasionem, me profiteor,

Romae, 24 iunii 1924.

Dies (24 iun 1924).

Amplitudini Tuae addictissimum uti Fratrem

DONATUM Card. SBARRETTI

L. ✠ S.

† Iulius, Ep. tit. Lampsacen., *Secretarius.*

ANNOTATIO

Officii de catechesi institutio relata est in *Periodica*, XII p. 122, B. - Observes quae sit in Urbe vocis *collegii* significatio.

---

41 — Poenitentiaria Apostolica *(sectio de indulg.)*

Decretum 10 iul. 1924.

NORMAE CONCEDENDAE ET LUCRANDAE INDULG. PORTIUNCULAE

(A. A. S. 1 aug. 1924, 16, 345)

Ut septimi pleni saeculi ab condito feliciter amplissimo Minorum Ordine et memoria et fructus quam diutissime permanerent, fel. rec. Pius Pp. X, Litteris motu proprio die IX mensis iunii anni MDCCCCX datis, benigne concessit, ut eo ipso dumtaxat saeculari anno, Portiunculae Indulgentia, quam vocant, ad alias proferri posset ecclesias atque oratoria, quae de Ordine Minorum non essent, necessarias atque opportunas ad rem facultates singulis locorum Ordinariis tribuendo.

Repetitis superioribus actis Pii X.

Verum, id per insequentem annum, cum eiusdem indulgentiae lucrandae dies haud longe abesset, evenit, ut ad Supremam S. Officii Congregationem, cui tum munus moderandarum indulgentiarum incumberet, innumerabiles undique perferrentur libelli, quibus postulabatur, placeret Apostolicae Sedi, aut Indulta ante a quovis data prorogare aut nova eius generis largiri, ut, quo praestantissimo ecclesiis sane multis frui licuerat beneficio, id deinde postea fruendum consisteret. Iamvero E.mi ac R.mi

et S. Officii,

PP. Inquisitores Generales, cum sibi visum esset Christi fidelium vota posse utiliter admitti atque expleri, censuerunt certas quasdam leges praestitui oportere, ad quas Indulgentia Portiunculae in posterum concederetur. Ne tamen Ecclesiae filii, usquedum eiusmodi leges conderentur, tam insigni beneficio carerent, iidem E.mi Patres, decreto die XXVI mensis maii anni MDCCCCXI lato, quod tamdiu valeret quoad aliquid aliud decerneretur, concessiones antea factas facultatesque Ordinariis locorum tributas sine die prorogarunt.

S. Paenitentiaria quod S. Officium sibi proposuerat iam exsequitur.

Opus a S. Congregatione S. Officii inchoatum Sacra Poenitentiaria Apostolica, cuius nunc est indulgentiarum concessionem usumque moderari, perficiendum cum sibi pro munere suo sumpsisset, re accurate perpensa, haec, quae sequuntur, ad Indulgentiam Portiunculae quod attinet, in posterum servanda esse decrevit:

I. Privilegium exclusivae Portiunculae infra certos fines concessum.

I. Ut veneratio, qua Assisiense de Portiuncula Sacellum fideles prosequuntur, nihil unquam capiat detrimenti, immo etiam cotidie magis augeatur, in nulla ecclesia nulloque oratorio, vel Franciscalis cuiuslibet Instituti, quod a memorato Sacello minus distet quam infra n. V praescribitur, haec Indulgentia altero die mensis augusti lucrifieri in posterum queat, etsi id antehac licuit, nisi ab iis tantum qui domum ecclesiae vel oratorio continentem incolant, modo tamen aut physice aut moraliter impediantur quominus ad idem Portiunculae Sacellum se conferant.

II. Condicionata confirmatio concessionum perpetuarum

II. Perpetuae huius Indulgentiae concessiones, adhuc quoquo modo factae, integrae in posterum sunto, ea tamen condicione, ut normae, hoc decreto futuris concessionibus moderandis statutae, omnino serventur, si eam unice excipias quae ad distantiam pertinet.

III. Generalis abrogatio indultorum non perpetuorum.

III. Indulta omnia temporaria, scilicet aut ad certum tempus aut sine die aut ad beneplacitum a quovis legitime concessa, inde a die XXXI mensis decembris vertente anno abrogata habeantur ac cessent. Quodsi nova in futurum indulta alicunde postulari contingat, libelli, ad Sacram Poenitentariam mittendi, ratio non habebitur, nisi Ordinarius loci preces commendet omnibusque perpensis de vera concessionis opportunitate atque utilitate testificetur.

Commendatio et testificatio Ordinarii loci, novis libellis necessaria.

IV. Quaenam aedes sacrae praeferendae sint.

IV. Si quando privilegium huius Indulgentiae largiendum sit, aedes sacrae praeferantur, quae B. Mariae Virgini Angelorum vel Francisco Assisiensi dicatae sint aut in quibus aliqua sedem habeat e Confraternitatibus seraphicis; quae aedes

sicubi desint, templa cathedralia vel parochialia ceteris plerumque anteponantur.

V. Lex distantiae servanda.

V. Ecclesiae vel publica oratoria ut privilegio hoc locupletentur, distent oportet tria, ut vocant, chilometra ab aliis ecclesiis vel oratoriis quae ad aliquem Franciscalem Ordinem pertineant aut eodem privilegio fruantur.

VI. Quo pacto oratorio semi publico concedi queat.

VI. Si qua peculiari de causa haec Indulgentia semipublicis oratoriis concedenda videatur, eadem unquam ne faveat nisi communitati vel coetui fidelium, in cuius commodum oratoria illa erecta sint.

VII. Facultas transferendi diem Ordinariis et rectoribus facta.

VII. Ordinariis locorum, parochis et ipsis rectoribus aedium sacrarum, in quibus privilegium insit, facultas esto, si quidem iustis de causis id expedire iudicarint, pro altero mensis augusti die, qui dominicus non sit, substituendi, ad Indulgentiam lucrandam, diem dominicum proxime insequentem.

VIII. Sacrae caerimoniae praescriptae.

VIII. In iisdem ecclesiis vel oratoriis quamdiu, ex praescripto, invisentibus, Indulgentiae acquirendae causa, fidelibus patebunt, tamdiu Reliquiae S. Francisci Assisiensis vel B. Mariae Virginis, aut saltem Imago vel statua eiusdem Sancti vel B. Mariae Virginis Angelorum, venerationi fidelium propositae maneant. Publicae praeterea preces ibidem pro Summo Pontifice universaque militanti Ecclesia, pro haeresum exstirpatione peccatorumque conversione, pro pace et concordia omnium populornm, Deo adhibeantur, quo tempore id fieri opportunius videbitur; sacerque iste ritus, praemissis tum B. Mariae Virginis Angelorum et Seraphici Patriarchae invocatione, tum Litaniis Sanctorum, Eucharistica benedictione absolvatur.

IX. Praescriptae preces privatae.

IX. Qui indulgentiam Portiunculae lucrari cupiat, is admissa sua confiteatur, ab iisque, si opus sit, absolutus, sacra de altari libet; ecclesiam vel oratorium, privilegio ditata, invisat, precesque ad mentem Summi Pontificis de more fundat, idest saltem sexies *Pater, Ave* et *Gloria* in unaquaque earum visitationum, quas ad indulgentiam iterum iterumque impetrandam rite peragat.

X. Peculiaris dispositio de iis qui Portiunculae indulgentiam recitatis sex Pater, Ave, Gloria lucrantur.

X. Altero mensis augusti die vel die dominico proxime insequenti, condicionibus superiore n. IX statutis eos quoque stare oportet, si velint Indulgentiae compotes fieri, qui reliquis per annum diebus eo fruuntur indulto, ut sola sex *Pater, Ave* et *Gloria* recitatione, praeter alias, etiam Portiunculae Indulgentiam lucrari queant.

Approbatio SS.

Quae quidem omnia S.smus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, in audientia die XVI mensis maii subscrip-

Amplissima clausula derogatoria

to Cardinali Poenitentiario Maiori impertita, adprobavit promulgarique iussit. Contrariis quibuslibet, etiam specialissima atque individua mentione dignis, minime obstantibus.

Dies (10 iul. 1924).

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Poenitentiariae, die x mensis iulii, anno MDCCCCXXIV.

O. Card. GIORGI, *Poenitentiarius Maior.*

Silvius Fagiolo, S. Poenit. Apost. a Secretis.

ANNOTATIONES

I. — **Decreti momentum et partitio.** Cum celebratissima sit haec Portiunculae Franciscanae indulgentia, decretum modo promulgatum, sed ab anno 1911 promissum, quo indulgentia Portiunculae stabili ratione ordinatur, non modici momenti esse comprobatur. Ipsa verba quibus in *Acta Apostolicae Sedis* inscribitur « *De Normis in concedenda et lucranda indulgentia Portiunculae* », demonstrant binas partes in quas decretum dividitur: prior leges *concessionis;* altera leges *acquisitionis* exhibet. Quid utraque statuat breviter, subiunctis non nullis observationibus, nobis dicendum est.

II. — **De Concessionibus.** 1. In primis omnino cessat regimen, sine die sed temporarium, quod decreto 26 maii 1911 sancitum est (Cf. *Acta Ap. Sedis*, III (1911) 233 vel *Periodica*, VI, 257 ss.).

2. Praeterea supprimitur potestas Ordinariis facta concedendi istam indulgentiam ecclesiis et sacellis piarum communitatum in quibus SS. Eucharistia asservatur. Omnis futura concessio reservatur S. *Paenitentiariae*, quae requirit commendationem Ordinarii loci, attestantis concessionis opportunitatem (Decr. III).

3. Quod ad concessiones antea factas, sunt vel perpetuae vel temporariae: sive ad certum tempus, sive sine die, sive ad beneplacitum concedentis exsistant. *Temporariae* omnes abrogantur a 31 die mensis decembris huius anni (Decr. III).

Quaeres, quid interesse possit abrogationem ad diem 31 decembris differre, cum indulgentia Portiunculae 2 die augusti lucranda sit? Verum fieri potest ut concessio in sollemnem diem mensis decembris, ut puta Natalem Domini, indulgentiam transtulerit.

Perpetuae integrae manent; immo a nova observandae distantiae lege eximuntur. Ceterae normae praesentis decreti etiam ab utentibus antiqua concessione observandae sunt; immo sunt condicio ipsi earum confirmationi apposita (Decr. II).

Maior concessionum abrogatio in gratiam sacelli Portiunculae statuta est. In qualibet ecclesia vel oratorio quae minus quam tribus chilometris a memorato sacello distent, indulgentia Portiunculae iam non potest lucrifieri nisi ab iis qui domum ecclesiae vel sacello continentem incolant, et quidem tantum si physice vel moraliter impediantur quo minus ad idem Portiunculae sacellum se conferant (Decr. I).

4. Quod ad *futuras concessiones*, praeferentur ecclesiae B. Mariae Virgini Angelorum vel S. Francisco Assisiensi dicatae, aut in qua confraternitas Seraphica sedem habeat, dein cathedrales vel parochiales.

De ecclesiis Ordinis S. Francisci tacetur, cum hae perpetua concessione iam ditatae sint.

Condicio additur distantiae trium chilometrorum a templo vel oratorio ubi lucranda indulgentia prostat (Decr. V).

Quomodo computanda est ista distantia: per directum, an per exsistentes vias? Res in decreto non magis definitur. Sed, cum hic non addatur « per aerem » seu per directum, quod monemur cum agitur de distantia cannarum (olim) observanda inter plures conventus (1) computatio obvia et communis, quae considerat iter faciendum, videtur servari

(1) Cf. nostrum *De religiosis*, I, 110.

posse. Ceterum *S. Paenitentiaria*, quae sola deinceps veniam concedit, rem practice solvet.

Porro distantia sumenda est a *publico* oratorio quod indulgentia ista sit honestatum. In oratorio enim semi-publico non potest a plerisque fidelibus indulgentia lucrifieri.

5. Ex n. VI enim concessio oratorio semi-publico facta non proderit nisi communitati vel coetui fidelium in cuius commodum oratorium erectum sit (vel, ni fallimur, nunc subsistat).

III. — **De Indulgentiarum acquisitione.** 1. Quod ad *diem*. Ampla facultas fit qua, non soli Ordinarii locorum, sed etiam parochi vel rectores aedium sacrarum in quibus privilegium insit, ob iustas causas, pro die secunda augusti (nisi incidat in dominicam) proxime sequentem dominicam substituere possunt.

Nomine *aedium sacrarum* veniunt etiam oratoria semi-publica quibus indulgentia concessa sit.

Ut per se liquet, voluntas Ordinarii voluntati parochi praeferenda erit, nec parochus vel rector diem definient nisi Ordinarius ea determinanda abstinuerit.

Verum hic **quaestio** suboritur. Vigetne adhuc decretum 9 iun. 1910 (*Periodica*, V, 159) quatenus statuit neminem bis gratia ista frui posse, ita ut qui secunda augusti die indulgentiam Portiunculae in una ecclesia lucratus sit, frustra vellet indulgentiam istam iterum, in sequenti dominica, lucrari visitando ecclesiam ubi die dominica indulgentia offertur? Cum, ex generali regula c. 22, « lex posterior obroget priori... si totam de integro ordinet prioris legis materiam »; cum in decreto *Ut septimi* clausulae decreti 9 iun. 1910 non iam praeserventur, respondemus restrictionem istam ipso silentio novi decreti suppressam videri.

2. *Nova quaedam observanda praescribuntur.* a) Ex parte ipsius *ecclesiae* vel *oratorii*, praecipitur

(quam diu pateat) expositio reliquiae aut saltem imaginis vel statuae B. M. V. vel S. Francisci; - et sacer ritus, sub quo publicae preces fundantur « pro Summo Pontifice universaque militanti Ecclesia, pro haeresum exstirpatione peccatorumque conversione, pro pace et concordia omnium populorum ». Ritus, praemissis tum B. M. Virginis Angelorum et Seraphici Patriarchae invocatione, tum Litaniis Sanctorum, Eucharistica Benedictione absolvendus est. (Decr. VIII.)

b) Ex parte *fidelium*, praeter communes condiciones confessionis et communionis, exigitur visitatio ecclesiae, et in unaquaque visitatione, recitatio *Pater*, *Ave* et *Gloria*, sexies repetita.

Modo quo confessio exigitur confirmatur, quod ceterum receptum est, ipsa sacramentali accusatione condicionem impleri. Absolutio enim non dicitur danda, nisi paenitens ea opus habeat (Decr. IX).

Visitatio ecclesiae, si clausa sit, etiam ad valvas et gradus fieri potest, ut ipsa *S. Paenitentiariae* Instructio de iubilaeo, nos docet.

Plerumque preces arbitrio fidelium eligi possunt, dum hic definite postulantur sex *Pater*, *Ave* et *Gloria*.

3. Specialis clausula additur pro iis qui privilegio fruuntur lucrandi sola recitatione sex *Pater Ave* et *Gloria* indulgentiam Portiunculae. Huiusmodi sunt rite induti scapulari Immaculatae Conceptionis (1). Itaque altero die mensis augusti vel insequenti dominico die (pro die quo in loco commorationis Portiuncula celebratur), condicionibus omnium fidelium stare debent (Decr. X).

Ne praetextu specialis indulti quis vim praesentis decreti effugere velit, ampla clausula derogatoria decreto apponitur.

N. B. Sola Indulgentia Portiunculae, non aliae similes, v. g. Commemorationis B. M. V. de monte Carmeli, his normis obnoxia est.

(1) De interpretatione tamen privilegii subsistit dubitatio relata apud BERINGER-STEINEN, *Die Ablässe*, n. 948, p. 492.

ACTA SUMMATIM RELATA

42. — *SS. D. N. Pius Pp. XI.*

A. *Erectio hierarchiae.*

Erigitur hierarchia ritus syro-malabarici 21 dec. 1923.

Die festo S. Thomae, 21 dec. 1923, constituta est in Indiis hierarchia ritus syro-malabarici. Leo XIII, anno 1887 duos, anno dein 1896 tertium erexerat Vicariatus Apostolicos, a latinis dioecesibus distinctos, pro fidelibus ritus syro-malabarici; quibus Pius X, anno 1911, quartum adiunxit. Hi Vicariatus, inde ab anno 1896 committebantur antistibus ritus malabarici. Eosdem nunc in sedes residentiales erigit Summus Pontifex, et quidem *Ernaculamensem* in metropolitanam; ceteras, *Changanacherensem* sc., *Trichuriensem* et *Kottayamensem* in suffraganeas (A. A. S. XVI, 1 iul. 1924, 257).

B. *Litterae de provincia ecclesiastica erigenda, de sede transferenda.*

Bellohorizonte 1 feb. 1924.

Die 1 feb. 1924, erigitur in Brasilia nova provincia ecclesiastica, *Bellohorizontana* sc., e Mariannensi seiuncta (A. A. S., XVI, 1 iul. 1924, 264).

Marsi 16 ian. 1924.

Die 16 ian. 1924 episcopalis sedes *Marsorum* (Italia) transfertur e civitate Piscina in civitatem Aveanum (A. A. S., XVI, 1 iul. 1924, 262).

C. *Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis.*

Lih-sien, 15 apr. 1924.

Die 15 apr. 1924, dismembratis Vicariatibus Apostolicis de Ce-li centrali et de Ce-li meridio-occidentali (in Sinis), erigitur nova praefectura Apostolica de *Lih-sien* (A. A. S., XVI, 1. iul. 1924, 267).

S. Michael de Socumbios, 16 apr. 1924.

Die 16 apr. 1924, dismembrato territorio et Vicariatu Apostolico Napensi (Aequator-Columbia), erigitur Praefectura Apostolica *S. Michaelis de Sucumbios* (A. A. S., XVI, 1 iul. 1924, 269).

Uelle occid., 15 apr. 1924.

Die 15 apr. 1924, Praefectura Apostolica de *Uelle occidentali* (in Congo belgico), curae Canonicorum regularium Praemonstratensium commissa, erigitur in Vicariatum Apostolicum (A. A. S., XVI, 1 iul. 1524, 268).

D. *Litterae de abbatia.*

Die 19 iun. 1924. restituitur abbatia *Grissoviensis,* O. S. B., in dioecesi Wratislaviensi, sub veteri titulo Domus gratiae sanctae Mariae, atque unitur Congregationi Beuronensi (A. A. S., XVI, 1 aug. 1924, 323).

Grissovien. O. S. B., 19 iun. 1924.

E. *Litterae de ecclesiis.*

Ad dignitatem *basilicae minoris* evehuntur ecclesiae sequentes:

Basilicae minores:

17 mart. 1924, B. M. Virginis, vulgo *de l'Osier* in dioecesi Gratianopolitana (Gallia A. A. S., XVI, 1 iul. 1924, 266).

l' Osier,

4 iun. 1924, B. M. Virginis in loco *Oostacker* dioecesis Gandavensis (Belgium, A. A. S., XVI, 1 aug. 1924, 322).

Oostacker,

6 iun. 1924, B. M. Virginis in *Mariaschein,* dioecesis Litomericensis (Tceco Slovachia. A. A. S., XVI, 1 aug. 1924, 322).

Mariaschein,

25 iun. 1924, B. M. Virginis a salute, in Pazcuaro, archidioecesis *Mechoacanensis* (Mexico. A. A. S., XVI, 1 sept. 1924. 353).

Mechoacan.

43. — *S. Congr. Concilii.*

A. *Monitum de doctrina christiana.*

Die 23 apr. 1924, occasionem nacta instaurationis institutionis catechisticae in scholis publicis Italiae, insistit S. C. C. penes Ordinarios huius regionis, ut a parochis diligenter impleatur officium tradendae doctrinae christianae pueris in paroecia (A. A. S., XVI, 1 iul. 1924, 287).

Monitum de catechesi, 23 apr. 1924.

B. *Causa.*

Die 15 dec. 1923, in *Lucerina praecedentiae,* quaesito: " An Vicario generali, qui non sit canonicus, competat, etiam in choro et in actibus capitularibus, locus cum praecedentia super omnibus canonicis et dignitatibus », responsum est *affirmative.* Namque c. 370, § 1, hoc expresse statuit, nulla facta distinctione inter Vicarium generalem qui sit canonicus illumque qui non sit canonicus. Quae est applicatio principii generalioris canonis 106, 1° et 2°: Vicarius enim gerit personam episcopi (A. A. S., XVI, 1 sept. 1924, 371).

Lucerina, praecedentiae 15 dec. 1923.

44. — *S. Congr. Rituum*

Causae Beatificationis et Canonizationis.

Die 20 maii 1924, signata est commissio introductionis causae S. D. *Conradi a Parzham,* laici professi Ordinis Mino-

Conradus a Parzham, 20 maii 1924.

rum sancti Francisci capuccinorum, nati 22 dec. 1818, in dioecesi Passaviensi, defuncti 21 apr. 1894 (A. A. S., XVI, 1 iul. 1924, 290).

B. Maria Magdalena Postel 8 iun. 1924.

Sexto idus iunii (8 iunii) 1924, decretum est tuto procedi posse ad canonizationem Beatae *Mariae Magdalenae Postel*, fundatricis Instituti scholarum christianarum a misericordia (A. A. S., XVI, 1 iul. 1924, 294).

Antonius Maria Gianelli, 8 iun. et 20 iul. 1924.

VI idus iunii (8 iunii) 1924, decretum est constare de miraculis in causa S. D. *Antonii Mariae Gianelli*, episcopi Bobiensis (A. A. S., XVI, 1 iul. 1924, 296). Atque XIII Kal. augusti (20 iul.) 1924, edicitur tuto procedi posse ad eiusdem beatificationem (A. A. S., XVI, 1 aug. 1924, 334).

Iosephus Cafasso, 20 iul. 1924.

Pariter XIII Kal. augusti (20 iul.) 1924, decretum est constare de miraculis in causa S. D. *Josephi Cafasso*, sacerdotis, collegii ecclesiastici Taurinensis quondam moderatoris (A. A. S. XVI, 1 sept. 1924, 378).

45. — *Provisio ecclesiarum*

A. Archiepiscopi et episcopi residentiales, decretis *S. Congr. Consistorialis*, nominati sunt:

Ugento

15 dec. 1923, R. P. D. Antonius Lippolis, ep. Uxentinus (Italia), ex episcopo Larinensi.

Limerick

29 dec. 1923, R. D. David Keane, ep. Limericiensis (Anglia).

Petrolina

3 ian. 1924, R. P. D. Antonius Malan, ep. Petrolinensis, (Brasilia) exepiscopo titulari Amiseno et Abbate *Nullius* de Registro de Araguaya.

Tournai

30 ian. 1924, R. D. Vedastus Rasneur, ep. Tornacensis (Belgium).

S. Iean de Maurienne

3 feb. 1924, R. D. Augustus Grumel, ep. Maurianensis (Gallia).

Napoli

7 mart. 1924, Em. P. D. Alexius S. R. E. Card. Ascalesi, arch. Neapolitanus, exarch. Beneventano (Italia)

Monaco

26 apr. 1924, R. D. Mauritius Clement, ep. Monoecensis (Principatus)

Garzón

10 apr. 1924, R. D. Josephus Lopez, ep. Garzonensis (Columbia).

Ibagué

10 apr. 1924, R. D. Petrus Rodriguez, ep. Ibaguensis (Columbia).

Nola

11 apr, 1924, R. D. Aegistus Melchiori, ep. Nolanus (Italia).

Sant' Angelo dei Lombardi

2 maii 1924, R. D. Petrus Vera, ep. Angelopolitanus (Italia).

9 maii 1924, R. P. D. Paulus Albera, ep. Mileten. (Italia), ex titulari Flaviopolitano. *Mileto*

10 maii 1924, R. P. Abel Antezana, e Cong. Mission. Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. ep. Cochabambensis (Bolivia). *Cochabanba*

27 maii 1924, R. P, Michael Builes, ep. S. Rosae de Osos (Columb'a). *Santa Rosa de Osos.*

13 iun. 1924, R. D. Michael Gonzi, ep. Gaudisien (Malta). *Gozo*

23 iun. 1924, R. D. Franc. Kelly, ep. Oklahomen. (Stat. foed. Amer. sept.) *Oklaoma*

23 iun. 1924, R. D. Rich. O' Gerow, ep. Natcheten. (Stat. foed. Amer. sept.). *Natchez*

30 apr. 1924, R. P. D. Alb. Costa, iam ep. Melphien. et Rapollen., ep. praeterea Venusin. (Italia) *Venosa*

2 aug. 1924, R. D. Maxim. Rinaldi, ep. Rheatin. (Italia). *Rieti*

1 maii 1924, R. P. D. Roger. Bovelli, iam ep. Faventin, praeterea ep. Mutilen. (Italia) *Modigliana*

16 iul. 1924, R. P. D. Alois. Lavitrano, archiep. Beneventan., ex ep. Caven. et Sarnen. (Italia). *Benevento*

26 iul. 1924, R. D. Ios. Ballerini, ep. Papien. (Italia). *Pavia*

10 mart. 1924, R. P. D. Ios. Tupinambà de Frota, ep. Sobralen., ex ep. de Uberaba (Brasilia). *Sobral.*

4 iul. 1424, R. P. D. Anton. Lustosa, ep. de Uberaba (Brasilia). *Uberaba*

4 iul. 1424, R. D. Car. Duarte Costa, ep. Botucatuen. (Brasilia). *Botucatu*

4 iul. 1924, R. D. Iustin. de Santa Anna, ep. de Juiz de Fora (Brasilia). *Iuiz de Fora*

B. Decretis *S. Congr. de Prop. Fide* nominati sunt:

16 ian. 1924, R. P. Alfridus Guyomard, Obl. Mar. episc. Iaffnensis (Ceylan). *Iaffna*

26 feb. 1924, R. D. Andreas Killian, ep. Portus-Augustanensis (Australia). *Port-Augusta*

1 mart. 1924, R. D. Ioannes Barry, ep. Goulburnensis (Australia). *Goulburn*

C. Decreto *S. Congr. pro Ecclesia Orientali* nominatus est:

22 oct. 1923, R. P. D. Gregorius Petrus Habra, arch. Damascenus, ex Arch. Mausiliensi. *Damasco*

D. Provisio Abbastiae.

Confirmando electionem a Capitulo Monasterii factam, Sanctissimus, decreto S. C. Consistorialis 29 dec. 1923, instituit Abbatem Einsidlensem (Helvetia), R. P. Ignatius Staub, e Cong. Helveto-Benedictina. *Einsiedeln*

46. — *Nominationes*

A. Brevibus Apostolicis, nominati sunt.

Venezuela 27 nov. 1923, R. P. Benvenutus a Carucedo, ex Ord. Min. Cap. Vicarius Apostolicus Caronensis.

Africa Or. 28 nov. 1923, R. P. Henricus Gogarty, ex Instituto a Spiritu Sancto, Vic. Apost. de Kilima-Njaro in Africa Orientali.

Honduras 11 dec. 1923, R. P. Ioseph Murphy, S. I. Vic. Apost. Hondurensis.

Cina 13 dec. 1923, R. P. Trudo Ians, ex Ordine Fr. Min. Vic. Ap. de Hupè Occiduo-Meridionali.

Africa Or. 9 ian. 1924, R. P. D. Bartholomaeus Wilson, ex Instituto a Spiritu Sancto, Vic. Ap. de Bagamoyo in Africa Orientali.

Africa mer. 26 ian. 1924, R. P. Thomas Spreiter, O. S. B. Vic. Ap. de Eshowe, in Africa Meridionali.

Bolivia » » R. P. Angelus Vigiani, ex O. F. M. Vic. Ap. de Chaco.

Iava » » R. P. Antonius van Velsen, S. I. Vic. Ap. de Batavia.

S. Pedro Sulan 15 apr. 1924, R. P. Joannes Sastre, e Congr. Missionis, Vic. Ap. S. Petri Sulan (Honduras).

Cina 25 apr. 1924, R. P. Ludovicus Renault, e Soc. Paris pro Missionibus exteris coadiutor cum iure successionis Vic. Ap. de Seciuen. meridionali in Sinis.

Sandwich 28 apr. 1924, R. D. Stephanus Alencastre, e Cong. SS. Cordium, Coad. cum iure succ. Vic. Ap. insul. Sandviegensium.

Uelle 6 maii 1924, R. P. Amandus Vanuytven, e Can. Reg. Praemonstr. Vicarius Ap. de Uellen Occidentali in Congo Belgico.

B. Decretis *S. Cong. de Prop. Fide* ad beneplacitum Cong. renuntiati sunt :

Indie olandesi 18 ian. 1924, R. P. Theodosius Herchenrath, e Soc. SS. Cordium, Praef. Ap. de Banka et Biliton.

Africa cent. 25 feb. 1924, R. D. Eduardus Van Goethem, e Miss. SS. Cordis Iesu, Praef. Ap. de Tsuapa.

Cina 12 mart. 1924, R. P. Iacobus Walsh, e Soc. Miss. de Maryknoll, Praef. Ap. de Kong Moon.

Cina 21 mart. 1924, R. D. Odoricus Tch'en e O. F. M. Praef. Ap. de Puchi.

Africa merid. 24 mart. 1924, R. D. Leo Klerlein, e Cong. S. Spiritus, Praef. Ap. de Kroonstad.

Asia merid. 15 apr. 1924, R. D. Melchior Souen, e Cong. Missionis, Praef. Ap. de Lihsien.

7 maii 1924, R. D. Iosephus Potier, e Congr. Missionis, Peaef. Ap. de Arauca. *Columbia*

28 maii 1924, R. D, Henricus Smeets, e Cong. Presb. SS. Cordis, Praef. Ap. de Beng-Koelen. *Sumatra*

Praesides *Consiliorum nationalium Pontificii operis a propaganda Fide:*

pro Bavaria, Rev. Ioan. Neuhaeusler. *Bavaria*

pro Lusitania, Rev. Carolus Martins do Rego. *Lusitania*

pro Statu Serborum, Chroatorum et Slovenorum, R. D. Iosephus Ujcic. *Serbia, Chroatia, et Slovenia*

pro Hungaria, R. D. Steph. Breyer; *Hungaria*

pro Columbia, R. P. Maturin. Ichanno, *Columbia*

47. — *Necrologium*

8 apr. 1923, Ill. D. Thomas O' Dea, ep. Galviensis, *Galway*

2 iun. 1923, Ill. D. Salomon Musa Sabbagh, ep. Amiden. Chaldaeorum, *Amida*

8 iun. 1923, Ill. D. Raphael Amador y Hernandez, episc. Huajuapatamen. *Huajuápam de León*

26 nov. 1923, Ill. D. Ioan. Gallagher, ep. Gulburnensis, *Goulburn*

27 nov. 1923, Ill. D. Amadeus Crooy, ep. Tornacensis, *Tournai*

20 ian. 1924, Ill. D. Aloysios Boschi, ep. Ripanensis, *Ripatransone*

23 ian. 1924, Ill. D. Vincentius Bacchi, ep. Faventinus, *Faenza*

19 febr. 1924, Ill. D. Hieronymus Thomé da Silva, arch. S. Salvatoris in Brasilia, *S. Salvatore*

20 febr. 1924, Ill. D. Ioannes Gunn, ep. Natchetensis, *Natchez*

21 febr. 1924, Ill. D. Theophilus Meerschaert, Oklahomensis, *Oklahoma*

10 mart. 1924, Ill. D. Iulius Vaccaro, arch. Barensis, *Bari*

12 mart. 1824, Ill. D. Ferdinandus Polloni, ep. Brictinoriensis, *Bertinoro*

14 mart. 1924, Ill. D. Rochus Caliandro, ep. Termularum, *Termoli*

17 mart. 1924, Ill. D. Iosephus Pelezar, ep. Presmiliensis Latinorum, *Przemysl*

24 apr. 1924, Ill. Ioannes Borachia, ep. Massanensis. *Massa Maritima*

13 maii 1924, Ill. D. Sebastianus Walsh, ep. Portlandensis, *Portland*

2 iunii 1924, Ill. D. Franc. Ciceri, ep. Papien. *Pavia*

6 » » Ill. D. Andr. Righetti, ep. Carpen. *Carpi*

22 » » Ill. D. Pacif. Fiorani, ep. Auximan. et Cingulan. *Osimo e Cingoli.*

15 iul. » Ill. D. Britius Meuleman, archiep. Calcutten. *Calcutta*

25 aug. » Ill. D. Calogerus Licata, ep. Calven. et Teanen. *Calvi e Teano.*

BIBLIOGRAPHIA

Ex Periodicis

Le Canoniste. Janv. 1924. A. VILLIEN, *La dispense du jeûne eucharistique pour les prêtres.* - AUG. COULY, *Les vicaires forains d' après la nouvelle législation canonique.*

— fév. 1824. A. VILLIEN, *La procédure dans les causes pour dispense de mariage non consommé.* A. BOUDINHON, *Bénédictions et objets bénits pour les protestants.*

Collationes Brugenses (1924). G. J. *Episcopus Brugensis.* Introductio in theologiam mysticam. Tabula secunda, p. 19; Tabula III: regnum Dei super-naturale, 97; restauratur et perficitur, 185. - C. CALLEWAERT. De oratione deprecativa in breviario, 248.

Collationes Gandavenses, T. XI. C. VAN CROMBRUGGE, De traditionalismo, 43. - Orthodoxa doctrina de inferno, 134.

Commentarium pro religiosis. (1924) PH. MAROTO. De licentia requisita ut religiosus votorum sollemnium actus proprietatis in foro civili nomine proprio possit exercere, p. 10-20; 69. 98. - SERVUS GOYENECHE. Quando censeatur emendatus in ordine ad dimissionem religiosus delinquens, p. 21-25. - De egressu religiosorum expleto votorum tempore, 50-55; 86-93. De egressu e religione, 211-216. - G. OESTERLE, De domicilio religiosorum, 167-178. - AL. SCHURIENTEK, Charta magna de virginitatis religiosae excellentia, 179-185. - ARC. LARRAONA. Comment. Codicis. tit. IX, 1-9; 41-49; 81-85; 121-142.

Ius Pontificium 1924. D' AMBROSIO O. M. C. De contumacia iudiciali in antiqua et nova iuris can. disciplina, p. 11. - CAPPELLO S. I. De praescriptione, p. 21. - I. CREUSEN S. I. De reservatione censurae praecepto latae, p. 26. - A. TOSO, De legis conceptu iuxta D. Thomam, p. 34. - A. VERMEERSCH, S. I. Ad Legatorum Ap. facultates, commentarium, p. 37.

Il Monitore ecclesiastico. 1924. Circa la spettanza di un legato, 16. Circa i funerali di " mezzo capitolo „, 42. - Di una divisione di parrocchia, 82. - Sul diritto di partecipare alla elezione del Vicario Capitolare, 116. - Del diritto di ricorso dal decreto di amozione, 131. - Dell'esenzione di un Seminario, 178.

PARS ALTERA
MONUMENTA

48. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Constitutio Apostolica 7 iul. 1924

STATUTA ORDINIS CARTHUSIENSIS DEFINITIVE APPROBANS

(A. A. S. 15 oct. 1924, 16. 385)

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Umbratilem remotamque a mundi strepitu dementiisque vitam quotquot ex instituto suo ita traducunt, ut non modo divina mysteria aeternasque veritates omni acie contemplentur, et, precibus Deo enixe ac continenter adhibitis, florere eius regnum cotidieque latius propagari postulent, sed etiam non tam suas quam ceterorum culpas, per praescriptam sibi aut voluntariam animi corporisque castigationem, luant atque expient, dicendi profecto ii sunt optimam partem, ut Maria e Bethania, elegisse. Nulla enim alia perfectior possit condicio ac lex vivendi hominibus proponi, quam, vocante utique Domino, capiant atque amplectantur, arctissima autem cum Deo coniunctione atque interiore sanctitate eorum, qui solitariam vitam in claustris silentio degunt, ea copiose laus sanctitatis alitur, quam immaculata Christi Iesu Sponsa conspiciendam omnibus praebet atque imitandam. Nec mirari licet si ecclesiastici superiorum aetatum scriptores, ut virtutem atque efficientiam, quae in eorunden religiosorum virorum precibus inesset, explanando efferrent, eo usque progressi sunt, ut illas cum Moysi precibus compararent, rem commemorando notissimam: scilicet, cum Iosue in planitie proelium cum Amalecitis commisisset, et pro populi sui victoria oraret obsecraretque

Vitae contemplativae et paenitentis laus, spectata propria perfectione et Ecclesiae utilitate.

Vis contemplativorum precibus insita.

Deum Moyses in proximi montis cacumine, factum esse, ut, quoad hic tollebat ad caelum manus, Israelitae vincerent; si quando, contra, manus ob lassitudinem demisisset, tum Amalecitae Israelitas superarent; quamobrem Aaron et Hur hinc inde Moysi lacertos sustinuisse, donec Iosue superior e pugna discessit. Quo quidem exemplo eorum, quos memoravimus, religiosorum Sodalium preces aptissime sane significantur, utpote quae tum augusto altaris sacrificio, tum paenitentiae exercitio, tamquam duobus adminiculis, nitantur, quorum alterum quodammodo exprimit Aaron, alterum Hur refert. Sollemne est enim ac quasi praecipuum solitariis eiusmodi hominibus, quemadmodum supra diximus, ut, munere veluti publico, victimas se placationisque hostias, pro sua proximorumque salute, Deo praebeant ac devoveant. — Propterea in Ecclesia, inde a remotiore aetate, invaluit passim increbruitque perfectissimum hoc vivendi genus idemque universo christiano nomini, supra quam cuiquam credibile est, utile ac fructuosum. Nam, si « ascetas » praetereamus, qui, ab ipsis religionis nostrae primordiis, etsi domi suae, tam austere vivere consueverant, ut a Cypriano « illustrior portio gregis Christi » haberentur, constat, cum satis multi ex fidelibus Aegyptiis, idcirco quod christiani, Decio imperatore, vexabantur, in desertam Aegypti regionem confugissent, animadvertissentque plurimum solitariam eiusmodi vitam ad perfectionem adipiscendam valere, in incepto eos, vel post datam Ecclesiae pacem, perstitisse: atque ex anachoretis istis, quorum numerus tam ingens erat, ut tot in desertis degere dicerentur quot in urbibus cives, perrexisse alios procul ab omni hominum consortione vivere, alios, Antonio auctore, convenire in lauras coepisse. Hinc sensim ortum vitae communis, certis quibusdam legibus temperatae atque ordinatae, institutum; quod, celeriter per universas Orientis regiones propagatum, Italiam deinde, Gallias et proconsularem Africam, coenobiis ubique exstructis, pervasit.

Quomodo vita sta semper floruerit in Ecclesia.

Quod quidem institutum, cum totum in eo positum esset, ut monachi, in cellae quisque suae recessu, ab omni exteriore ministerio alieni ac vacui, ad caelestia unice intenderent animum, mirum quantum christianae societati profuit; neque enim eius temporis clerus ac populus poterat non intueri in exemplum, maximo cum emolumento, homines, qui caritate Christi ad perfectissima atque asperrima quaeque rapti, interiorem et occultam, quam ipse in Nazarethana domo duxerat, vitam imitarentur, et ea, quae deessent, passionum eius, quasi hostiae Deo devotae, adimplerent. At quidem absolutissimum vitae

contemplativae, quam vocant, institutum, procedente tempore, aliquantum deferbuit ac resedit. Etenim, quamvis monachi a procuratione animarum ceterisque externis ministeriis refugerent, sensim gradatimque contigit, ut cum divinarum rerum commentatione ac contempletione actionem vitae coniungerent. Visum enim sibi est, aut sacerdotum imparem necessitatibus operam - ut enixe postulabant Episcopi - suppleri debere, aut de populari institutione, quam Carolus Magnus provehebat, curam suscipi atque agi oportere ; huc praeterea accedit, quod e perturbatis passim per eas aetates rebus nonnihil forte coenobia detrimenti ceperant ac languoris. Ecclesiae igitur vehementer intererat, sanctissimum vitae genus, quod per tot saecula incolume in coenobiis exstiterat, sic in pristinum restitui, ut numquam deforent, cuiusvis curae expertes, deprecatores, qui, perpetuo divinae misericordiae instantes, e caelo in homines, suae neglegentiores salutis, omne genus beneficia derivarent. Iamvero benignissimus Deus, qui Ecclesiae suae necessitatibus commodisque prospicere nullo non tempore consuevit, Brunonem, virum insigni sanctimonia, delegit, qui vitam contemplativam ad nativae integritatis laudem revocaret. Qua de causa is Cartusiensem Ordinem condidit, quem suo penitus imbuit spiritu iisque munivit legibus, quae Sodales ad emetiundam celeriter interioris sanctitatis asperrimaeque paenitentiae viam, avis remota externi ministerii officiique perfunctione, efficaciter permoverent, itemque ad perseverandum, animis numquam remissis, in eadem vitae severitate atque asperitate stimularent. Atque in comperto est, Conditoris sui Patrisque Legiferi spiritum Cartusienses ita, novem paene saeculorum decursu, retinuisse, ut, contra atque aliis Sodalitatibus contigit, nullâ Ordo, tam diuturno temporis spatio, emendatione seu, ut aiunt, reformatione indiguerit. Cui autem admirationem viri isti non moveant, qui, ab societate hominum seiuncti prorsus in omnem vitam ac segregati, ut aeternam eorum salutem occulto quodam tacitoque apostolatu tueantur, in cellae quisque suae solitudine sic degunt, ut illinc nulla de causa, nullam ob necessitatem, nullo anni tempore discedant ? Iidem vero, statis per diem noctemque horis, in Aedem sacram conveniunt, non ut, more ceterorum Ordinum, psallant, sed ut « viva et rotundâ voce » divinum officinm, nullo instrumentorum succentu et ad vetustissimos suorum codicum gregorianos concentus, totum atque integrum concinant : quos quidem Sodales piissimos, ita Deum pro Ecclesia hominumque emendatione inclamantes, cur misericors Deus voti compotes non efficiat ? Quemadmodum igitur

Causae cur monachi cum contemplatione actionem coniungere coeperint.

Restituendae vitae contemplativae opportunitas.

Restitutionis auctor S. Bruno, condito Ordine Cartusiensi.

Perseverans Ordinis fervor. Contusiensium laus.

Continua Pontificum existimatione et benevolentia fruitus est.

Brunoni decessoris Nostri Urbani II existimatio ac benevolentia non defuit, qui, doctissimo sanctissimoque viro in scholis Rhemensibus magistro usus, eum postea Pontifex consiliarium adscivit atque adhibuit, sic Ordo Cartusiensium, qui simplicitate praeterea ac sancta quadam rusticitate vitae commendarerur, peculiari Apostolicae Sedis gratia fruitus continenter est. Neque minore Nosmet Cartusienses Sodales caritate prosequimur, neque minus cupimus saluberrimum eiusmodi institutum provehi latius atque amplificari. Etenim, si unquam alias tales in Ecclesia Dei esse anachoretas oportuit, at potissimum hodie esse ac vigere oportet, quando tot cernimus christianos, caelestium rerum commentatione posthabita, immo etiam omni aeternae salutis cogitatione deposita, terrenas opes voluptatesque corporis effrenate persequi atque ethnicos mores, Evangelio omnino adversos, induere et privatim publiceque exhibere. Atque sunt fortasse qui adhuc censeant, virtutes, quae iniuriâ passivae nuncupantur, dudum obsolevisse et pro vetere claustrorum disciplina latiorem liberalioremque substituendam esse virtutum activarum exercitationem: quae quidem opinio - quam immortalis memoriae decessor Noster Leo XIII in Epistula *Testem benevolentiae*, die XXII mensis ianuarii an. MDCCCXCIX data, refutando ac diluendo reprobavit - nemo non videt quam sit christianae perfectionis doctrinae atque usui probrosa et exitialis. Facile, ceteroqui, intellegitur, multo plus ad Ecclesiae incrementa et humani generis salutem conferre eos, qui assiduo precum macerationumque officio funguntur, quam qui dominicum agrum laborando excolunt; divinarum enim gratiarum copiam nisi in agrum irrigandum illi e caelo deducerent, iam evangelici operarii sane tenuiores e labore suo fructus perciperent. Quantum autem spei exspectationisque Sodales Cartusienses de se Nobis commoveant, dicere vix attinet; siquidem, cum legi Ordinis propriae non tam accurate quam generoso quodam animi impetu pareant, eiusdemque observatio legis facile ad altiorem sanctitatem animos conformet, fieri nequaquam potest, quin religiosi ii viri apud miserentissimum Deum validi pro populo christiano deprecatores fiant atque exsistant. Eiusmodi sanc Statuta, quibus Ordo Cartusiensum regitur, digna decessori Nostro Innocentio XI visa sunt, quæ « Apostolici muniminis patrocinio » roborarentur: Constitutione enim Apostolica *Iniunctum Nobis*, die XXVII mensis martii an. MDCLXXXVIII data, Statuta, quae memoravimus, specifico modo, ut aiunt, approbavit. In qua quidem Constitutione legimus ampla a decessore eodem Nostro tributa Cartusiensibus viris praeconia, quae eo

Hodierna istius Instituti utilitas.

Nova Americanismi improbatio.

Plus quam qui dominicum agrum excolunt Ecclesiae pro sunt assidui deprecatores et Paenitentes.

Quanta sit Pontificis de Cartusiensibus exspectatio.

Laus statutorum Ordinis.

maiorem habent gravitatem, quod a Pontifice ob sanctissimam vitam inlustri profecta sunt: qui quidem scribere non dubitavit, Romanos Pontifices decessores suos eundem Ordinem « velut arborem bonam in agro militantis Ecclesiae dextera Domini plantatam, ac fructus uberes iustitiae iugiter producentem merito » appellasse, et se « Ordinem praedictum, et illius personas non cessantes in rerum divinarum contemplatione sublimium Domino famulari, in visceribus » gerere « caritatis ». Cum vero eadem Statuta ad Codicem iuris canonici accommodari iam nunc oporteret, quibus Sodalibus Cartusiensibus ius esset coeundi, ii in Capitulum Generale convenerunt, ut rem conlatis consiliis perficerent. Atque optime quidem perfecere, iis praeterea abrogatis legis capitibus moribusque usu inductis, quae, incolumi prorsus vitae instituto, obsoleverant aut temporibus iam non congruere visa sunt, additisque, contra, nonnullis Capitulorum Generalium Praescriptis. Quam equidem legem, latino sermone conscriptam, atque ita, ut diximus, emendatam ac recognitam, prouti aequum erat, Sacrae Congregationi religiosorum Sodalium negotiis praepositae perpendendam detulimus, Eius autem tenor hic est qui sequitur, videlicet:

Memoratis praeconiis Ordini tributis ab Innoc. XI qui statuta specifico modo approbavit,

Facta in capitulo accommodatio ad Codicem et recognitio.

Statutorum initium

STATUTA ORDINIS CARTUSIENSIS

etc.

INCIPIT PROLOGUS IN STATUTA ORDINIS CARTUSIENSIS

Ad Dei laudem subditorumque omnium communem salutem et pacem et observantiae regularis augmentum... *et quae sunt reliqua.*

Specifica statutorum confirmatio

Cum autem Minister Generalis Ordinis Cartusiensis et omnes, qui iure suo in Capitulum Generale convenerant, a Nobis demisse efflagitassent, ut Statuta, quae in Constitutionem Apostolicam supra inseruimus atque inclusimus, apostolica auctoritate adprobaremus, eorum Nos votis concedere atque obsecundare perlibenter deliberavimus. Itaque Statuta Ordinis Cartusiensis, ut, correcta atque emendata, supra referuntur, auctoritate Nostra apostolica approbamus et confirmamus, iisdemque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, et omnes ac singulos defectus, si qui in ea inciderint, supplemus ac sanamus. Novimus profecto, Cartusienses Sodales nulla egere hortatione Nostra, ut legem sibi datam, quemadmodum

Annua plenaria indulgentia die 8 iulii Cartusiensibus concessa.

antehac observarunt constanter ac fideliter, sic in posterum, summo animorum ardore, sequantur. At tamen, ut stimulos iis admoveamus ac peculiarem alteram paternae benevolentiae in eos Nostrae significationem edamus, per has Nostras Litteras in perpetuum concedimus, ut quotannis, die octavo mensis iulii, quo die, ipsis sane memorabili, Ordinis Statuta ab Apostolica Sede denuo adprobata sunt, omnes ex Ordine Cartusiensi Sodales, qui suam cuiusque ecclesiam inviserint aliisque usitatis condicionibus satisfecerint, plenam admissorum suorum veniam lucrari in Domino queant.

Clausulae.

Haec mandamus, decernentes, praesentes Litteras, et Statuta in eas inserta atque inclusa, firma, valida atque efficacia semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectant aut in posterum spectare poterunt, nunc et pro tempore amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet, etiam speciali atque individua mentione dignis. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis atque excerptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Dies (8 iul. 1924).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VIII mensis iulii anno MDCCCXXIV, Pontificatus Nostri tertio.

P. Card. GASPARRI — C. Card. LAURENTI
a Secretis Status — *S. Congreg. de Religiosis Praefectus*

Dominicus Jorio, Protonotarius Apostolicus
Vincentius Bianchi-Cagliesi, Protonotarius Apostolicus

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Apostolica vol. XXX, n. 16.

ANNOTATIO

Praeclari Cartusiensium Ordinis existimatio et spiritualia documenta in iis contenta nos moverunt ut Bullam istam verbotenus totam in haec Periodica

insereremus. Magnifica enim encomia vitae contemplativae nec silentio praetereunda erant, nec practice a nobis umquam neglegi possunt. Observet pius lector quomodo Pontifex contemplationem non solam sed quam paenitentia comitetur laudibus extollat, ac nova reprobatione notet sic dictum « americanismum », qui virtutes, ut aiebat, passivas nostra aetate contemnendas vel saltem minoris habendas esse praedicabat.

49. — S. C. S. Officii

Instructio 9 iun. 1915

DE INVIOLABILI SANCTITATE SIGILLI SACRAMENTALIS (1).

Memorata si gilli sanctitate,

Naturalem et divinam sigilli sacramentalis legem in Ecclesia Christi semper et ubique sanctissime servatam fuisse ne ipsi quidem confessionis sacramentalis acriores hostes in dubium umquam revocare serio potuerunt. Idque providentissimo Dei consilio absque ulla dubitatione tribuendum est, qui, sacramentalem confessionem veluti *secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam* hominibus misericorditer offerens, omnem aversationis causam ab ea dignatus est amovere.

et temeraria quorundam actione, quae pias aures necessario offendit et suspiciones excitat,

Non desunt nihilominus quandoque salutaris huius sacramenti administri qui, reticitis quamquam omnibus quae paenitentis personam quomodocumque prodere queant, de submissis in sacramentali confessione clavium potestati sive in privatis collocutionibus sive in publicis ad populum contionibus (ad auditorum, ut aiunt, aedificationem) temere sermonem facere non vereantur. Cum autem in re tanti ponderis et momenti nedum perfectam et consummatam iniuriam sed et omnem iniuriae speciem et suspicionem studiosissime vitari oporteat, palam est omnibus quam mos huiusmodi sit improbandus. Nam etsi id fiat salvo substantialiter secreto sacramentali, pias tamen audientium aures haud offendere et diffidentiam in eorum animis haud excitare sane non potest. Quod quidem ab

(1) Ad reverendissimos locorum Ordinarios Familiarumque religiosarum Moderatores.

huius sacramenti natura prorsus est alienum, quo clementissimus Deus *quae per fragilitatem humanae conversationis peccata commisimus, misericordissimae suae pietatis venia penitus abstergit* atque omnino obliviscitur.

S. Officium Ordinariis et Superioribus praecipit efficacem repressionem et praeventionem abusuum, non exclusis poenis et delatione ad S. Officium.

Haec animo reputans Suprema haec Sacra Congregatio Sancti Officii, muneris sui esse ducit omnibus locorum Ordinariis Ordinumque Regularium et quorumcumque religiosorum Institutorum Superioribus, graviter onerata eorum conscientia, in Domino praecipere ut huiusmodi abusus, si quos alicubi deprehendant, prompte atque efficaciter coercere satagant, utque in posterum tam in scholis theologicis quam in *casus moralis*, quas vocant, conferentiis et in publicis et in privatis ad Clerum allocutionibus et adhortationibus sacerdotes sibi subditos sedulo edoceri curent ne quid umquam, occasione praesertim Sacrarum Missionum et Exercitiorum Spiritualium, ad confessionis sacramentalis materiam pertinens quavis sub forma et quovis sub praetextu, ne obiter quidem et nec directe neque indirecte (excepto casu necessariae consultationis iuxta regulas a probatis auctoribus traditas proponendae) in suis seu publicis seu privatis sermonibus attingere audeant; eosque in experimentis pro eorum habilitatione ad confessiones excipiendas hac super re peculiariter examinari iubeant.

Sacra Congregatio confidit neminem ex confessariis huiusmodi praescriptionibus contraventurum: quod si secus acciderit, praedicti Ordinarii et Superiores transgressores graviter moneant, recidivos congruis poenis percellant, ac in casibus gravioribus Supremo huic Sacro Tribunali rem quam primum deferant.

Dies (9 iun. 1915).

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 9 iunii 1915.

R. Card. MERRY DEL VAL.

ANNOTATIO

Cum Instructio ista in *Acta Apostolicae Sedis* numquam inserta fuerit et, saeviente atroci bello, Ordinariis locorum et supremis Moderatoribus religiosorum missa fuerit, hactenus eadem exscribenda abstinuimus. Quia tamen paulatim facta est publici iuris, ne gravissimum et perutile monumentum in nostris ephemeridibus desideretur, visum est istud nunc referre quale exstat in RAZON Y FE, t. 48 (1917) p. 89.

50. — S. C. Concilii

Decretum 16 april. 1924

DE NORMA SERVANDA CUM COETUS CATECHISTICI ALIIQUE PRO SCHOLIS DE RELIGIONE CONVENTUS INDICUNTUR.

(A. A. S. 5 nov. 1924, 16, 431)

Coetus catechistici et conventus de edocenda religione

Ad aptiores rationes comparandas atque evulgandas, quibus Christi fideles universi, praesertim vero pueri atque adolescentes, christianam doctrinam melius ac facilius edoceantur, coetus catechisticos aliosque pro scholis de religione conventus, conferre plurimum nemo est qui non videat.

Laudantur quidem,

Quapropter praeclare faciunt atque peropportune, qui in eos coetus legitime parandos ac celebrandos incumbunt, eo spectantes, ut, collatis peritorum virorum consiliis, actio catechistica universa efficienter promoveantur.

Sed simul hanc cautionem adhibendam decreverunt E.mi Patres, 12 ap. 1924.

Cum vero de re agatur, quae summam Ecclesiae requirat vigilantiam et curam, cumque ad haec praestanda peculiare Officium apud hanc S. Congregationem sit institutum, E.mi Patres eiusdem S. Congregationis, in plenariis comitiis diei 12 aprilis currentis anni, haec, quae sequuntur, servanda esse decreverunt:

1. Ut ante nationales vel provinciales conventus, nuntius cum libello disceptandarum rerum S. C. detur.

1. Coetus catechistici aliique pro scholis de Religione conventus, tum nationales, tum provinciales, posthac ne habeantur, quin antea, una cum nuntio uniuscuiusque coetus, disceptandarum in eo rerum libellus seu exemplar huic S. Congregationi tempestive exhibeatur.

2. Quod etiam optat ut in dioecesanis coetibus servetur.

2. Decet quam maxime ac sane optandum, ut etiam in coetibus dioecesanis convocandis, eadem norma, quae supra dicta est, servetur.

Dies (16 ap. 1924).

Haec omnia, in audientia diei 16 eiusdem mensis infrascripto Secretario concessa, SS.mus D. N. Pius PP. XI dignatus est approbare, eademque per hoc decretum publici iuris fieri mandavit.

D. Card. SBARRETTI, *Praefectus*

L. ✠ S.

† *Iulius, Ep. tit. Lampsacen., Secretarius*

ANNOTATIONES

1. Solitum est S. Sedi sibi maiores causas reservare, sibique partem aliquam vindicare in deliberandis gravioribus negotiis, in quibus periculum quodpiam errandi in fide, moribus vel disciplina subesse facile possit. Ita, dum diocesanae synodi libere congregantur; decreta Concilii Provincialis promulgari vetantur ante quam a S. Congregatione *Concilii* recognita sint; nec, sine S. Sedis assensu et directione per Legatum praesidem, Concilia plenaria plurium provinciarum convenire possunt.

2. Simili nunc mente praesens decretum latum esse videtur. Ad religionem christianosque mores plurimum interest ut populus fidelis, praecipue pueri et adolescentes, christianam doctrinam probe edoceantur. Quare optat S. Congregatio ut de conventu quoque dioecesano circa actionem catechisticam sibi nuntius detur, etiam exhibito rerum disceptandarum libello (programme). Si vero conventus fiat provincialis vel nationalis, hortatio in praeceptum convertitur.

51. — S. C. De Seminariis et de Studiorum Universitatibus.

Decretum 2 feb. 1924

TRIENNALEM RELATIONEM PRAECIPIENS

Decreti ratio.

Quo uberiore cum fructu S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus munere suo gravissimo perfungi valeat, omnino necesse est ut de Seminariorum statu ac conditione saepe et accurate certior fiat.

Decretum

Itaque, de mandato SS.mi D. N. Pii Pp. XI, Sacra eadem Congregatio quae sequuntur decernit:

Triennalis relatio praecepta. Quibusnam?

1. Omnes locorum Ordinarii tenentur, singulis trienniis, relationem S. huic Congregationi facere super Seminarii statu, secundum formulam praesenti decreto adiectam.

2. Ordinarius qui Seminario praesit interdioecesano vel Regionali, de eo etiam, iuxta quaestiones in formula positas, referat.

3. Triennia sunt fixa et computantur a die 1ª Ianuarii huius anni 1924. In hoc primo triennii anno relationem exhibere debent Ordinarii Italiae, Galliae, Hispaniae Insularumque adiacentium; in altero, ceteri Europae Ordinarii; in tertio, Ordinarii Americae universi. *Trienniorum computatio.*

Et ita per vices continuas singulis quae sequentur trienniis. *Modus scribendi.*

4. Relatio lingua latina conscribenda est, et ab ipso Ordinario subsignanda, adiectis die, mense et anno quibus data fuerit.

5. In relatione danda, responderi debet accurate et plene ad singulas quaestiones quae in formula ponuntur.

6. Si, durante triennio quod relationem sequetur, textus quidam praelectionum cursus Philosophiae, Theologiae, Sacrae Scripturae, Iuris Canonici, mutetur, id statim ad S. hanc Congregationem referatur. *Mutatio textus communicanda.*

7. Praesenti decreto nihil derogatur de lege relationis super Seminario S. Congregationi Consistoriali exhibendae, quum ad eamdem S. Congregationem de statu dioecesis, ad normam can. 340, debet referri. *Intacta relatio S. C. Consistoriali facienda.*

Datum Romae e Secreteria S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, die 2 februarii 1924. *Dies, (2 feb. 1924).*

Card. C. BISLETI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† *Iacobus Sinibaldi, Ep. tit. Tiberien, Secretarius.*

Formula servanda in Relatione de statu Seminarii.

Art. I. — *De Seminarii constitutione et aedibus.*

1. Utrum dioecesi proprium sit Seminarium: (can. 1354 § 1) quando et quo documento constitutum, an distinctum in maius et minus (can. 1354 § 2), an saltem debitae cautelae adhibeantur ut aetate minores et maiores seorsim instituantur, cum disciplina uniuscuiusque aetatis propria. *Seminarium quodnam exsistat et quonam modo.*

Si dioecesis Seminario careat an servetur can. 1354 § 3.

2. Quae sit Seminarii fabrica, quot alumnos possit capere: an disciplinae et valetudinis tuendae legibus respondeat.

3. Utrum adsit rusticationis domus, et ibi alumni saltem maxima ex parte temporis maiores agant ferias.

Art. II. — *De reditibus, expensis et oneribus.*

Quisnam eius tatus tempo- alis.

4. Quinam sint Seminarii annui reditus, sive certi sive incerti, et quaenam expensae.

5. Si Seminarii reditus deficiant, an can. 1355; 1356, serventur.

6. An rite satisfiat oneribus Missarum aliisque obligationibus piis vel alterius generis.

7. An Seminarium aere alieno gravetur, quanto, quanam ex causa, an affulgeat spes debitis satisfaciendi.

Art. III. — *De personis.*

Quisnam in eo status persona- rum.

8. Quinam sit Rector, quales eius dotes et aetas (can. 642 § 1 n. 2, § 2; 1360).

9. Quot alii Rectorem in regimine adiuvent. Utrum adsint Praefecti contuberniorum, ex Ordine Sacerdotum vel ex ipsis alumnis assumpti, et hi aequis polleant virtutibus et munere suo naviter perfungantur.

10. Utrum sit Magister Pietatis, seu Director Spiritualis, debita prudentia, doctrina, pietate ornatus, qui in Seminario degat, nulloque alio officio implicetur (can. 642 § 1 n. 2, § 2, 1358; 1360). - An praeter ipsum adsint alii confessarii, sive ordinarii sive extraordinarii et praecepta can. 1361 § 1-2, custodiantur.

11. Utrum circa Magistrorum electionem, pietatem, morum doctrinaeque integritatem, idoneitatem, diligentiam, numerum, serventur quae a can. 1360 § 1; 1366 § 1; 642 § 1 n. 2, § 2; 1366 § 1; 1406 § 1 n. 7, 1366 § 3, praecepta sunt.

12. An S. Scripturae Magister peculiarem, eamque rectam in Sacrae Scripturae scientia institutionem nactus sit, et solida, tum philosophica tum theologica, doctrina emineat.

13. Quinam sit Praefectus Studiorum.

14. Quinam Oeconomus, et utrum dependenter ab Episcopo, et Rectore patrimonium Seminarii diligenter administret (can. 642 § 1. n. 2, § 2; 1358, 1360).

15. An serventur regulae can. 1359 circa Deputatos.

16. Si Seminarium a Congregatione aliqua religiosa regatur, indicetur quaenam sit haec Congregatio, quando, quibusnam conditionibus, et an e S. Sedis venia curam pii Instituti susceperit, et an praefatis conditionibus satisfaciat.

17. Quot sint in praesens Seminarii alumni interni, an

eorum numerus par sit dioecesis necessitatibus, an can. 1363 servetur in alumnorum admissione in Seminarium.

18. An et quot sint alummi externi, qua de causa, et an fieri possit ut ipsi quamprimum in Seminarium ingrediantur, interim quaenam de ipsis sit cura.

19. An et quot extra dioecesim alumni instituantur, ubi et qua de causa, et vicissim, an clerici alterius dioecesis in Seminarium diocesanum recepti sint, quot, quarum dioecesium, et quibusnam de causis.

20. Quot sint famuli, qua cura seligantur et quomodo caveatur ut in pietate et ordine serventur et officiis suis satisfaciant. - Quod si Religiosae Sorores suam Seminario operam navent, indicetur earum Congregatio et agendi ratio et an Seminarii partem incolant omnino separatam.

Art. IV. - *De pietate et disciplina.*

Quaenam cura pietatis et disciplinae.

21. Quomodo pietas in Seminario excolatur, an Communio frequens et quotidiana promoveatur, an praescripta serventur can. 1367.

22. Utrum sint statuta Seminario propria (can. 1367 § 3) et adamussim serventur (can. 1369 § 1).

23. Quomodo se gerant alumni erga Superiores, erga seipsos, erga socios, an erudiantur de legibus urbanitatis et praeceptis hygienicis (can. 1369 § 2).

24. Numquid aliquando perturbationes aut scandala praeterito tempore in Seminario obvenerint, et an forte (quod Deus avertat) adhuc habeantur, et quaenam reputetur horum malorum causa.

25. Utrum quoad alumnorum correctionem et expulsionem serventur quae can. 1371 praecepta sunt.

26. An alumni prohibeantur a lectione librorum et diariorum, quae, quamvis in se non noxia, eos tamen a studiis distrahere possunt.

27. Si alumni ad suos tempore vacationum revertantur, quaenam de hac re normae praescriptae sint in dioecesi.

28. Utrum Seminarii alumni prohibeantur a laicis Universitatibus celebrandis (Decr. S. C. Consist., 30 aprilis 1918).

29. Si Sacrorum alumni servitium militare obire coguntur, quae cautelae adhibeantur ut dum militant honestam vitam agant. - An Seminarii alumni a militiae stipendiis dimissi, nonnisi post debitam et maturam probationem promoveantur ad Ss. Ordines.

Art. V. - *De studiis.*

Quaenam studiorum ordinatio.

30. Quot annis, qua methodo, quorum auctorum textibus humaniora studia perficiantur. An praeter linguas latinam, graecam et propriae nationis etiam aliae disciplinae tradantur et quaenam; an curae sit ut tyrones apprime addiscant linguam latinam, iuxta can. 1364 § 2, et *epistolam Ss.mi D. N. Pii PP. XI ad E.mum Card. Bisleti die 1 augusti 1922.* Quinam alumnorum profectus.

31. Utrum cursus philosophicus ad can. 1365 § 1 conficiatur. Quinam libri in eo praelegantur. Quo idiomate et qua methodo Philosophia scholastica tradatur (can. 1366 § 2, et epist. praefata S. P. Pii XI). Quinam alumnorum profectus.

32. Utrum cursus quoque theologicus, iuxta can. 1365 §§ 2, 3, 1366 § 2, et epistolam Pii XI perficiatur. Quo idiomate, quibus praelectionum textibus Theologia Dogmatica, Moralis, Sacra Scriptura, Ius Canonicum et ceterae disciplinae tradantur. Quinam alumnorum profectus.

33. Praesertim si Seminarium gaudeat facultate conferendi gradus academicos in S. Theologia, an Summa S. Thomae, una cum aliquo probato textu, qui ordinem logicum quaestionum indicet, et partem positivam contineat, habeatur prae manibus in schola S. Theologiae (Decr. huius S. Congregationis, 7 martii 1916).

34. Utrum et quo modo fiant examina finalia.

35. Quod si Seminarium careat facultate conferendi gradus academicos, an provisum sit ut maioris spei clerici in aliqua pontificia Universitate instituantur ut gradus obtineant academicos (can. 1380).

36. An adsint aulae cum apparatu necessario ad studium historiae naturalis et cum instrumentis opportunis ad studium physices.

37. An adsit bibliotheca, et utrum libris instructa sufficientibus, tam pro alumnis quam pro magistris.

Art. VI. — *De Sacris Ordinationibus.*

Quomodo alumni ad Ordines promoveantur.

38. Utrum serventur quae hac de re Codex praecipit (can. 975, 976, 977, 978, 1001 § 2 et 3, 1009).

Art. VII. - *De nonnullis peculiaribus Ordinarii officiis.*

Seminarii visitatio.

39. Utrum Ordinarius saepe per annum Seminarium invisat iuxta can. 1357 § 2, et sedulo vigilet ut Rector, aliique Semi-

nasii Moderatores ac Magistri munere suo rite fungantur (can. 1369 § 3). *Cura de vocationibus.*

40. An urgeat observantiam can. 1353.

41. Utrum « Opus Vocationum ecclesiasticarum » instituerit vel curet ut quam primum instituatur (*epistola SS.mi D. N. Pii Pp. XI ad E.mum Card. Bisleti*).

ANNOTATIONES

I. 1. *De ipso decreto,* observes relationes solis Europae et Americae Ordinariis faciendas imponi, cum ceterae regiones diversae S. Congregationi sive *de Propaganda Fide* sive *pro Ecclesia Orientali* subsint.

2. Notabilis est iussio de monenda S. Congregatione si, in Seminario, textus praelectionum Philosophiae, Theologiae, S. Scripturae, Iuris canonici, mutetur.

II. *De Formula,* observes nihil per eam praecipi de seminarii regimine, cum ideo scripta sit ut S. Congregatio de universa Seminarii vita, condicione et statu certior fiat. Sic, quamvis, n. 10, ratio Directionis spiritualis proponatur qualis in Italia exsistit, hanc tamen alibi imitandam esse, minime inde colligi potest. Sed semel edocta quomodo res se habeant et procedant, S. Congregatio ipsa videbit et monebit si quid perficiendum vel mutandum occurrat.

52. — S. Paenitentiaria Apost.

Rescripta ex aud. SS.mi 7 nov. et 5 dec. 1924

DE IUBILAEI CONDICIONIBUS

I. *Ex audientia SS.i 7 nov. 1924.*

Dentur R. P. D. Secretario Generali enunciati Consilii seu Comitatus (Comitato centrale per l'anno santo) et, eo absente vel impedito, sacerdoti eiusdem vices gerenti facultates dispensandi, etiam extra forum sacramentale, cum omnibus participibus cuiusque peregrinationis circa visitationes quatuor princi- *Facultas data Secretario generali Consilii centralis de anno sancto.*

palium Basilicarum prout magis in Domino expedire iudicaverint, iuxta varia rerum adiuncta.

Dies (20 nov. 1924).

Datum Romae ex aedibus S. Paenitentiariae, die 20 mensis novembris 1924.

O. Card. GIORGI, *Paenitentiarius Maior*

II. *Ex audientia SS. 5 dec. 1924.*

Petitio

La Giunta diocesana di Roma (1) ed il Segretariato eretto nella medesima per l'anno santo, prega questo Comitato (centrale per l'anno santo) di domandare alla S. Penitenzieria uno speciale indulto a favore dei soci delle Associazioni cattoliche Romane che si presteranno per l'assistenza dei pellegrini a fine di rendere sempre più volenteroso e numeroso il loro concorso ai gravosi incarichi che debbono assumere anche con la perdita di intere giornate di lavoro.

Aggiunge che sarebbe oltremodo efficace che il desiderato indulto commutasse *due delle venti visite prescritte alle quattro basiliche in una giornata di assistenza* ai pellegrini in una delle quattro Basiliche, o in una stazione ferroviaria, o in uno dei centri d'informazioni, o nelle adunanze preparatorie ed altri servizi, con la condizione di una visita alla Basilica più vicina e con l'osservanza di tutte le prescrizioni inerenti.

Dies (5 dec. 1924). Gratia

Ex audientia Sanctissimi, die 5 dec. 1924.

Sanctissimus benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces.

O. Card. GIORGI

(1) Id est latine : Viri curatores dioecesis Romanae et a secretis eorum Consilii pro anno sancto constituti, coetum centralem de anno sancto rogant, ut a S. Paenitentiaria speciale indultum impetrent pro Sociis catholicarum Urbis consociationum qui peregrinis adesse volent, ut semper magis spontanea et frequenti cooperatione gravia onera ad ipsis suscipienda admittant cum dispendio plurium dierum laboris.

Addunt maxime efficax futurum esse si, optato indulto duae e viginti visitationibus : quattuor Basilicarum in unam diem assistentiae peregrinorum commutentur sive in una e quattuor Basilicis, sive in statione viae ferreae, sive in uno ex officiis informationum, sive in conventibus praeparatoriis et aliis servitiis assistentia ista praestetur, dummodo vicinior Basilica semel, servatis coniunctis praescriptis, visitaretur.

ACTA SUMMATIM RELATA

53. — *SS. D. N. Plus Pp. XI.*

Allocutio in Consistorio.

A. Sacrum Consistorium 18 Dec. 1924 habitum est, ut S. Pontifex quae « in iubilaeo maximo inchoando servari oporteret, ea, » cum Em. Cardinalibus communicando, statueret. Antea nonnulla, maximam partem laetabilia, Pontifex recolere voluit, i. e. concilium plenarium Sinense; quartum conventum quem « pium apostolatus opus, a beatissimis viris Cyrillo et Methodio nuncupatum, in civitate Velehrad » mense iulio actum; Amstelodamensem Conventum eucharisticum, quem plures alii conventus catholici exceperunt: Panormitanus eucharisticus, Washingtoniensis Sodalicii a SS. Dei Nomine, Hannoverensis catholicorum Germaniae, Caroloregiensis iuventutis catholicae Belgii; foedus in Gallia ob tuendas religionis res coniunctum; translatum corpus Leonis XIII ad Lateranensem Basilicam, cuius, exeunte XVI saec. ab ea condita, saecularia celebrabantur. Simul memoravit discrimina et damna orta et oriunda e socialismo et communismo Russiae, cuius civibus opitulari pro viribus perget.

Subinde nuntiavit instans iubilaeum, Legatos designavit quae in tribus aliis Basilicis portam aperirent, dum Ipse aperturus esset portam sanctam Basilicae Vaticanae. Suam demum exspectationem de iubilaeo et Sacrarum Missionum expositione manifestavit, ecclesiis providit et titulos assignavit tribus Cardinalibus qui optionem fecerant (A. A. S. XVI, 31 dec. 1924, 489.)

Saecularia festa archibasilicae Lateranensis.

B. Litteris *Omnium Urbis et Orbis* in forma brevis, 22 oct. 1924, S. Pontifex commemoravit sextum decimum saecularem annum a dedicata archibasilica Lateranensi, indicta ibi cappella Papali et facta Cardinali Pompilj atque etiam, octavo Dedicationis die, alii Cardinali potestate celebrandi missam ad altare S. Pontifici reservatum (A. A. S. XVI, 3 dec. 1924, 450).

Peculiaris litt. latinarum schola.

C. Motu Proprio *Latinarum Litterarum*, 20 oct. 1924, S. Pontifex, celebrato merito, ecclesiastico usu et utilitate Litterarum

latinarum, ut eius scientiam in clero proveheret, decrevit ut apud Atheneum Gregorianum peculiaris schola latinis litteris tradendis instauraretur, cuius curriculum saltem interim, biennio contineretur. Simul quaenam essent magistri partes, quid alumni e sua assiduitate sperare possent, quibusnam schola pateret, a quibusnam optaret ut frequentaretur, Sanctissimus Dominus definivit (A. A. S. XVI, 5 nov. 1924, 417).

D. *Litterae de dioecesibus et Praelaturis nullius.*

Iuiz de Fora, 1 feb. 1924.

1. Die 1 febr. 1924, Bulla *ad sacrosancti,* separatis ab archidioecesi Mariannensi Brasilianae reipublicae pluribus paroeciis, novam dioecesim « di Juiz de Fora » erigit, statuens ut loco canonicorum dioecesani consultores eligerentur, et quotquot sacerdotes in eius territorio legitime exstarent eo ipso Ecclesiae illi ascripti censerentur (A. A. S. XVI, 5 nov. 1924, 421).

S. Iosephi de Alto Tokantius 25 iul. 1924.

2. Bulla *ad munus,* 25 iul. 1924, distractis tredecim parochiis a dioecesi Goyanensi, in Brasilia, S. Pontifex praelaturam *nullius* S. Iosephi de Alto Tokantius erigit, cuius Praelatus simul erit episcopus titularis (A. A. S. XVI, 5 nov. 1924, 424).

E. *Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis.*

Cambogia 8 aug. 1924

Brevi *Ex hac,* 8 aug. 1924, in regione Indosinensi, a Vicariatu Apostolico Laosiensi detracta pars vicariatui de Cambogia tribuitur (A. A. S. XVI, 15 oct. 1924, 392).

F. *Litterae de ecclesiis.*

de Plata 2 ian. 1924.

Brevi *ad oras,* 2 ian. 1924, curiale templum S. Petri et S. Caeciliae dioecesis de Plata in Republica Argentina, ad dignitatem *basilicae minoris* (1) evehitur (A. A. S. XVI, 3 dec. 1924, 449).

F. *Epistolae.*

Ep. ad Card. Ehrle.

1. Ep. 1 oct. 1924, gratulatur Em. Card. Fr. Ehrle eiusque merita celebrat (A. A. S. XVI, 5 nov. 1924, 426).

Ad Em Card. arch. Parisiensem de cantu Greg. apud Carmelitanas

2. Ep. 12 oct. 1924, ad Em. Arch. Parisiensem, S. Pontifex mentem suam de cantu gregoriano apud Carmelitanas aperit. Nihil mutatum sive in constitutionibus sive in vario locorum usu vult (A. A. S. XVI, 3 dec. 1924, 458).

---

(1) In Commentario Officiali, bis, tum in fasciculi indice, tum in ipsa litterarum inscriptione, titulus bas licae *maioris* pro minore, mendose scriptus est.

54. — *S. Congr. Consistorialis.*

Decreta de dioecesibus.

Dismembratio et unio

1. Decreto 14 martii 1924, non nullae paroeciae cum populo et clero ab archidioecesi de Guadalajara in Mexicana republica separantur et coniunguntur dioecesi de Aguascalientes. Consistoriale decretum perinde valere decernitur ac si Apost. litterae sub plumbo expeditae essent (A. A. S. XVI, 5 nov. 1924, 429).

Dismembratio et unio

2. Decreto 13 nov. 1923, perinde valituro ac si Litterae sub plumbo expedirentur, pagus *Carbona* cum fidelibus a paroecia S. Pauli, archidioecesis Utinensis (in Italia), distrahtur et dioecesi Concordiensi tribuitur. (A. A. S. XVI, 3 dec. 1924, 465).

Mutatio finium.

3. Decreto 19 nov. 1924, pagus Garbertskausen a dioecesi Augustana separatur et Monacensi et Frisingensi (in Germania) coniungitur (A. A. S. XVI, 3 dec. 1924, 466).

55. — *S. Cong. Concilii.*

Canonicus theologus in seminario regionali.

A. *Rapollen. servitii choralis.* — Episcopus Rapollensis sequens dubium dirimendum proposuit: Utrum canonicus theologus ecclesiae cathedralis qui, de episcopi sui licentia *abest a dioecesi* ut in seminario regionali (regionis nempe ad quam pertinet dioecesis) theologiam, *stipendium accepturus*, doceat, ab onere lectionis theologalis relevetur; an ad eam habendam per substitutum teneatur.

Dubium

Ad tenorem iuris, illi qui excusantur a choro excusantur etiam a lege residentiae in loco ubi constitutum est Capitulum; — ex fictione iuris, seminarium regionale considerari debet tamquam seminarium dioecesanum.

Responsum 9 iul. 1921,

Quapropter, die 9 julii 1921, S. C. Conc. respondit canonicum theologum in casu non teneri ponere suis expensis substitutum qui lectiones S. Scripturae habeat ipsumque lucrari distributiones quotidianas. (A. A. S., 15 oct. 1924, 397).

De optione e bulla erectionis.

B. *Nicosien. Optionis et electionis canonicorum.* — In cathedrali ecclesia S. Nicolai, dioecesis Nicosiensis, collatio canonicatuum fit per optionem et electionem alternatim factam ab Episcopo et a Capitulo, excepta dignitate archipresbyterali et canonicatu theologali et poenitentiario. Quae praxis nititur bulla Pii VII, qua ecclesia S. Nicolai, iam collegiata, erecta fuit in cathedralem.

Verum, cum in Codice, can. 396 § 2, prohibeatur optio, reprobata contraria consuetudine, non obstante speciali indulto apostolico (Pont. Comm., 16 oct. 1919), sed *salva fundationis lege*; et can. 403 statuatur ad Episcopum pertinere, audito Capitulo, conferre omnia et singula beneficia ac canonicatus .., reprobata quavis contraria consuetudine et revocato contrario privilegio, sed *firma contraria fundationis lege;* quaeritur an dicta bulla haberi debeat uti *lex fundationis* pro Capitulo.

Responsum 9 iun. 1923.

Die 9 junii 1923, dubio: An post Codicem iuris canonici ius optionis et electionis alternativae sustineatur in casu, E.mi Patres negative responderunt.

Etenim *lex fundationis, sensu stricto,* significat conditiones a fundatore seu dotatore legitime appositas; *sensu minus stricto,* significat etiam statuta in actu erectionis condita ad tecta servanda vel compensanda iura quaesita tertii; *sensu lato,* significas concessiones gratiosas seu privilegia in limine erectionis concessa. Atqui ius alternae electionis et optionis, de quo in casu, nititur lege fundationis sensu lato accepta, seu privilegio apostolico concesso in limine erectionis. At, iuxta declarationem Pont. Comm., 16 oct. 1919, per can. 396, § 2 censetur revocatum *speciale* etiam indultum, et per can. 403 revocatur *quodlibet* contrarium privilegium concessum in limine erectionis. Insuper, lex fundationis salva remanet per exceptionem; exceptio autem stricte interpretanda est, eo magis quod Ordinarius circa collationem beneficiorum habet intentionem in iure fundatam (A. A. S., 5 nov. 1924, XVI, 432).

56. — *S. Congr. Rituum.*

A. *Causae Beatificationis et Canonizationis.*

Maria Rossello, 23 iul. 1924.

1. Die 23 iul. 1924, signata est commissio introductionis causae S D. *Mariae Iosephae Rossello,* Tertii Ordinis S. Francisci, fundatricis Filiarum a Misericordia, natae in Albissola Savonensis dioecesis, 17 maii 1811, defunctae, 7 dec. 1880 (A. A. S. XVI, 15 oct. 1924, 409).

B. Ioannes B. Vianney 1 nov. 1924

2. Die 1 nov. 1924, S. Pontifex declaravit constare de duobus miraculis in causa B. *Ioannis B. M. Vianney,* Confessoris, parochi vici Ars (A. A. S. XVI, 5 nov. 1924, 436).

Iosephus Cafasso, 1 nov. 1924

3. Die 1 nov. 1924, S. Pontifex declaravit tuto procedi posse ad sollemnem Ven. S. D. *Iosephi Cafasso* (1). sacerdotis saecularis beatificationem (A. A. S. XVI, 5 nov. 1924, 439).

(1) Cf. supra p. 172, n. 44.

4. Die 23 nov. 1924, S. Pontifex declaravit constare de virtutibus heroicis Ven. S. D. *Luciae Filippini* fundatricis atque antistitae Instituti Magistrarum Piarum ab eius cognomine nuncupatarum (A. A. S. XVI, 8 dec. 1924, 468).

Lucia Filippini, 23 nov. 1924.

B. *Formulae benedictionum* Seismographi, Bibliothecae, Archivi, decretis 13 febr. et 23 iul. 1924 probatae sunt (A. A. S. XVI, 3 dec. 1924, 471. 472).

Benedictio Bibl. Archivi Seismographi.

57. — *S. Rota.*

Romana crediti. — Anno 1768, Collegium Graecum de Urbe pactum pepigit quo in favorem Collegii Germanici-Hungarici de Urbe census perpetuus scutatorum 425 solveretur « liber, francus et exemptus ab omni et quacumque impositione, taxa, gabella, tam imposita quam imponenda, etiam ex dato et facto summi Principis, et absque ulla diminutione liber ». Verum, post annum 1872, Romae nova taxa vulgo « *ricchezza mobile* » imposita est iis omnibus qui reditus ex censibus perciperent. Fiscus autem hanc taxam exigit a debitore census, salvo eidem debitori iure refectionis in creditorem, nam ex tenore legis taxa creditorem non debitorem gravat.

Quaestio inter Germanicum et Graecum Collegium. Decisio 21 iun. 1924.

Initio tributum impositum fuit utrique collegio et ab utroque solutum per evidentem errorem. Cum autem anno 1882 fiscus refudisset Collegio Germanico integram pecuniae solutae summam, hanc idem collegium non sibi vindicavit, sed Collegio Graeco reddidit 6 aprilis 1883. Quapropter, annis qui secuti sunt, iuxta legem communem, Collegium Graecum tributum solvit pro Collegio Germanico, idque a censu solvendo detraxit.

Verum, anno 1922, iterum perspecta clausula pacti, contendit Collegium Germanicum se iure non obligari nec umquam obligatum fuisse ad indemnem praestandum debitorem census; indeque sibi refundendam esse pecuniae summam taxae annuae « *ricchezza mobile* » ab anno 1872 respondentem, quam Collegium Graecum e censu solvendo retinuit. Actionem instituit apud S. R. Rotam, sed infelici exitu, nam decisio 22 jun. 1923 petitionem Collegii Germanici reiecit propter rationes summatim relatas *Periodica XII*, 168.

Prior decisio

Appellatione rite facta, haec sententia decisione 21 iun. 1924 infirmata est. Auditores dixerunt Collegium Graecum debere ipsum solvere taxam vulgo « *ricchezza mobile* » pro Collegio Germanico, cui integer pendendus est census, eidemque refundere taxam solutam pro ratis partibus maturatis a die 10 julii 1917.

Infirmatur

Vis praescriptionis

Pactum enim quo census debet solvi exemptus ab omni onere fiscali tam imposito quam imponendo validum et licitum est; nullam exceptionem aut limitationem patitur, etiam quoad tributum « *ricchezza mobile* ». — Neque datur praescriptio 40 annorum requisita iure ante Codicem vigente. Collegium Graecum in quasi possessionem libertatis a taxa venit non a promulgatione legis, sed tantum a die 6 aprilis 1883, quo Collegium Germanicum ei taxarum iam solutarum pecuniam refudit. Ista quasi-possessio interrupta est 10 julii 1922 quando Collegium Germanicum exhibuit S. Rotae libellum litis introductorium. Attamen, cum art. 2144 cod. civ. it. quinquennio census annui praescribantur, taxa a Collegio Graeco refundenda tantum est a die 10 julii 1917 (A. A. S., 3 dec. 1924, XVI, 473).

58. — *Provisio Ecclesiarum*

In Consistorio 18 dec. 1924 archiepiscopi et episcopi residentiales nominati sunt:

S. Salvatore della Bahia

R. P. D. Augustus Alvarus da Silva, arch. SS. Salvatoris in Brasilia, ex ep. Barrensi.

Saragozza

R. P. D. Rigobertus Domenech y Valls, arch. Caesaraugustanus ex ep. Maioricensi et Ibusensi (Hispania).

Ripatransone

R. P. D. Aloisius Ferri, cum eccl. Montis alti in personam unita, ep. Ripanus (Italia).

Foggia

R. P. D. Fortunatus Farina, cum eccl. Troiana in personam unita, ep. Fodianus (Italia).

Osma

R. P. D. Michael de Sanctis Diaz y Gornara ep. Oxomensis ex ep. Thagorensi (Hispania).

Massa Maritima

R. P. D. Ioannes Piccioni, cum eccl. Liburnensi in personam unita, ep. Massanus (Italia).

Bertinoro

R. P. D. Antonius Scarante, cum eccl. Sarsinatensi in personam unita, ep. Brictinoriensis (Italia)

Plasencia

R. P. D. Iustus Rivas y Fernandez, ep. Placentinus ex ep. Prienensi (Hispania).

Santos

R. P. D. Iosephus Maria Perreira Lara, ep. de Santos ex ep. Amazonensi (Brasilia).

Hexham et Newcastle

R. D. Iosephus Thorman, ep. Hagulstadensis et Novocastrensis: eccl. invicem perpetuo unitae (Anglia).

Lancastre

R. P. Wulstanus Pierson, ex O. S. B. ep. Lancastrensis

S. Cristoforo di Laguna

R. P. Albinus Gonzalez Mendez Reigada, O. P. ep. S. Christophori de Laguna seu de Tenerife (Africa col. Hispana).

Decretis *S. Cong. Consistorialis*, nominati sunt:

16 oct. 1924, R. P. Petrus Pomares, arch. Barensis ex ep. Fodiano (Italia). — *Novara*

21 oct. 1924, R. P. D. Josephus Castelli, ep. Novariensis, ex episcopo Comensi (Italia). — *Bari*

26 oct. 1924, R. P. D. Abraham Aguilera, ep. S. Caroli Ancudiae e tit. Issensi (Chili). — *S. Carlo d'Ancud*

28 oct. 1924, R. P. D. Odo Bernacchia ep. Thermularum, cum cathedrali Larinensi ad personam unita (Italia). — *Termoli*

29 oct. 1924, R. P. Raphaël Rodié, O. F. M. arch. Bellogradensis ex adm. apost. Banatus Serbi (Servia). — *Belgrade*

29 oct. 1924, R. P. Ioannes Gnidoveć, e Cong. Missionis, ep. Scopiensis (Albania). — *Scopia*

31 oct. 1924, R. P. D. Theophilus M. Louvard, ep. Constantiensis ex ep. Lingonensi (Gallia). — *Constance*

8 nov. 1924, R. P. Ioannes Girbeau, ep. Nemausensis (Gallia). — *Nîmes*

13 nov. 1924, R. D. Iulius Garrett, ep. Cochabambensis (Bolivia). — *Cochabamba*

13 nov. 1924, R. D. Cletus Loazia, ep. de Potosi in Bolivia. — *Potosi*

13 nov. 1924, R. P. Abel Antezana e Cong. Mission. Filiorum Imm. Cordis B. M. V. ep. de Oruro in Bolivia. — *Oruro*

15 nov. 1924, R. P. Augustus Sieffert e C. SS. Redempt. ep. Pacensis in Bolivia. — *La Paz*

17 nov. 1925, R. P. Raymundus Font, e C. Miss. Filiorum Imm. Cord. B. M. V. ep. de Tarija in Bolivia. — *Tarija*

18 nov. 1924, R. P. D. Ioannes Pranzini, ep. Carpensis ex ep. tit. Diocaesariensi (Italia). — *Carpi*

12 dec. 1924, R. P. D. Alexander Cisar, arch. Bucarestiensis ex ep. Iassensi (Rumenia). — *Bukarest*

Decreto S. *Congr. pro Ecclesia Orientali* nominatus est:

11 iul. 1924, R. D. Petrus Gebé, ep. Munkacsien. Ruthenorum (Cecoslovachia). — *Munkács*

Decreto S. *C. Consistorialis*, 12 dec. 1924, SS.us, confirmans electionem a capitulo regulari factam, abbatiae *nullius* B. M. Auxiliatricis de Belmont praefecit R. P. Vincentium Taylor Cong. Americanae O. S. B. (Status foed. Amer. septemtr.) — *S. Maria Ausiliatrice di Belmont*

59. — *Nominationes.*

Coadiutores cum iure futurae successionis electi sunt:

Coimbra R. P. Antunes ep. tit. Rhithymnensis episcopi Conimbricensis (Lusitania).

Liège R. D. Ludovicus Kerkhofs, ep. tit. Diocaesariensis ep. Leodiensis (Belgium).

Leopoldville R. P. Natalis De Cleene, e C. Imm. Cord. B. M. V. de Scheut, Vic. Ap. Leopoldopolitani (Africa, Congol.).

60. — *Necrologium*

Würzburg 2 iun. 1924, Ill. D. Ferdinandus, ep. Herbipolensis.

Nimes 5 aug. 1924, Ill. D. Marcellinus Car. Marty, ep. Nemausensis.

Palencia 12 sept. 1924, Ill. D. Raymundus Barbera y Boada, ep. Palentinus.

Naxos Andros Tine Micone 18 sept. 1924, Ill. D. Matth. Vido arch. Naxien. Andren. Tinen. et Myconen.

Monreale 19 sept. 1924, Ill. D. Antonius Ang. Intreccialagli arch. Montis Regalis.

Armagh 19 nov. 1924, Em. Card. Michael Logue, archiepiscopus Armacanus.

Bari 14 dec. 1924, Ill. D. Petrus Pomares, arch. electus Barensis.

Genova 18 dec. 1924, Ill. D. Franciscus Sidoli, arch. Ianuensis.

S. Maria in Cosmedin 30 dec. 1924, Em. Card. Orestes Giorgi, Paenitentiarius maior, tit. S. Mariae in Cosmedin.

BIBLIOGRAPHIA

Libri

K Keusch (C. SS. R.), *Die Aszetik des H. Alfons M. von Liguori, im Lichte der Lehre vom Geistlichen Leben in alter und neuer Zeit.* 1. vol. in-8, XXXIX - 417 p. Freiburg, Schweiz. Studia Friburgensia, 1924.

Einleitung. - *Erster Teil*: Das Werden oder die Entstehung der Aszetik des hl. Alfons. - *Zweiter Teil:* Das Wesen der Aszetik des hl. Alfons. — *Schlusswort.* — *Anhang* gegen Friedrich Heiler.

M. de la Taille (S. I.), *Esquisse du mystère de la Foi, suivie de quelques éclaircissements.* 1 vol. in-12, IX-282 p. Paris, Beauchesne, 1924. Prix, 8 fr. Esquisse du mystère de la Foi. — Lettre à un publiciste sur les sacrifices. — Lettre à un Missionaire sur l'oblation unique du Christ et l'oblation de toutes nos messes par le Christ. — Lettre à un théologien sur l'ange du sacrifice et le sacrifice céleste. — Les offrandes de Messes. — La présence réelle et son rôle sacramentel. — Appendice.

P. Bonnetain (R. D.) — *Officier et apôtre. Le lieutenant Marcel Antoine* (1893-1918), 1 vol. in-16, XXXIII-320 p. Paris. P. Téqui, 1924. Prix: 7,50 fr. 1. Partie. La formation. — 2. Partie. L'action. — 3. Partie. La physionomie. — 4. Partie. Le sacrifice.

Iohn M. Cooper. *Religion outlines for Colleges Course I. The catholic Ideal of Life.* 1 vol. in-12, XI-200 p. The catholic education press. Washington, 1924. Venit 1 dollar.

The great Commandment. — The law of love. — Charity and the works of mercy. — Iustice and the Commandments. — Life and Halth. — Human Life and modern American conditions. - Marriage. — Home Life. — Purity. — Honesty. — The modern industrial problem. — Social Justice. — Honour. — Fairness in thougt, judgment and Word. — Habit forming. — Citisenship. — Peace among Nations. — Gods' Love, our Liberty and the moral Law. — Bibliography.

P. Feige (R. D.) *Hâtons - nous de devenir des saints.* 1 vol. in-24, 59 p. Paris - P. Téqui. 2. éd. Prix: 1 fr.

Première Partie: Devenons des saints.

Deuxième: Hâtons-nous.

Mgr. Lelong. *Catéchisme de la vie religieuse*. 1 vol. in-32, 216 p. 3. éd. Paris, Téqui, 1924. Prix: 2 fr.

22 leçons: noviciat, vocation, estime de la vie religieuse, tendance à la perfection, règle, voeux, Vertus théologales, Humilité, Mortification, Zèle, Prière, Oraison, Lecture spirituelle, Examen de conscience.

S. Louismet (O. S. B). — *Le mystère de Jésus*. 1 vol. in-32, 435 p. Paris, P. Téqui, Prix: 7,50. *Prem. Partie*: Préliminaires, - *Deuxième Partie*: La prodigieuse vie humaine de N. S. J. C. sur la terre. — *Troisième Partie*: Immenses conséquences de la vie humaine de N. S. J. C. sur la terre.

L. Rouzic (R. D.) *La maison*. 1 vol. in-32, IX-319 p. Paris, Téqui, 1924. Prix: 5 fr.

Son rôle. - Chez les Romains, l'Israëlite. - Maison de Dieu. - Votre maison. - Mobilier. - Maison spirituelle. - Foyer. - Sanctuaire. - Maison paternelle.- Maternelle. - Maison des fils. - Hymne de Brizeux. - Pour que l'ouvrier ait sa maison. - Comment les maisons meurent. - Notre maison dans l'au-delà.

L. Rouzic (R. D.) *La Mère*. 1 vol. in-32, X-250 p. Paris; Téqui, 1924. Prix: 5 fr.

Livre I: L'amour des mères. - *Livre II*: La dette des fils.

Mgr. Tissier (Ill. Ep.) *La doctrine de nos fêtes*. I. Les fêtes de circonstance. 1 vol. in-16, VI-342 p. Paris, Téqui, 1924. Prix: 7,50. Nouvel an. - Inauguration de l'église - Installation du curé. - Bénédiction des cloches. - Inauguration de la chaire. - Bénédiction de l'orgue. - Cinquantaine de sacerdoce. - Assemblée de charité. - Congrès diocésain. - Jubilé des cheminots. - De l'association de N. D. de salut. - Journée des Noëlistes. - Congrès eucharistique national; international. - Sacre, intronisation de l'évêque. - Funérailles du Directeur des oeuvres. - Jour des morts. - Souvenir français. - Fin de l'année.

Mgr. Tissier (Ill. Ep.) *Les femmes de bien*. 1 vol. in-24, 115 p. Paris, Téqui. Prix: 3 fr.

Leurs influences. - Leurs prières. - Leurs vertus.

F. Claeys Boúúaert (R. D.) — **G. Simenon** (R. D.) *Manuale Iuris canonici ad usum Seminariorum*. 1 vol. in-8 XVI 802 p. Gandae et Leodii in seminariis, 1924. Venit 20 fr.

Introductio (Notiones, historica, relatio Ecclesiae ad societatem civilem). - *Liber I. Normae generales*. - *Liber II. De personis* (Clericis, religiosis, laicis). - *Liber III. De rebus* (Sa-

cramenta, loca et tempora sacra, cultus divinus, magisterium ecclesiasticum, beneficia, bona temporalia). - *Liber IV. De processibus* (iudicia, causae beatif. et can.; non nulla negotia vel sanctiones poenales). - *Liber V. De delictis et poenis* (Delicta. Poenae. Poenae in singula delicta).

J. Creusen (S. I.). *Religieux et Religieuses d'après le droit ecclésiastique.* 1 vol. in-8, XIV-288 p. Bruxelles, Dewit, Venit, 7,50 fr .3. éd. 1924.

Introduction. - *Première Partie*: *La constitution des Instituts religieux* (Notions. Érection. Gouvernement religieux, spirituel. Culte. Biens temporels). - *Deuxième Partie*: *La vie religieuse* (Admission. Profession. Obligations. Privilèges. Religieux promu à dignité ou curé). - *Troisième Partie: La séparation d'avec l'Institut* (Passage. - Sortie, Renvoi). Appendices. Table alphabetique.

J. B. Ferreres (S. I.) *La Misas manuales sègún la disciplina vigente.* Comentario canónico-moral. 4 ed. 1. despues del Codice. 1 vol. in-16, 346 p. Venit 3 pesetas. *Parte Primera*; Comentario doctrinal. - *Segunda Parte*: *Applicaciones prácticas*. Apendice I-VI.

J. Salsmans (S. I.) *Droit et Morale.* Déontologie juridique. 1 vol. in-8, XII-231 p. Bruges, Beyaert, 1925. Prix 11 fr. *Prem. Partie*: *Principes généraux de morale* (Imputabilité, Loi et Devoir, Droit et Justice). - *Deuxième Partie*: *Lois civiles et devoir de conscience* (Lois déterminant la propriété. Contrats en général et en particulier. Donations, successions, testaments). - *Troisième Partie*: *Devoirs professionnels* (Devoirs généraux; particuliers).

Th. Slater (S. I.) *Points of Church law. Mysticism and Morality.* 1 vol. in-8, VIII-192 p. London, Burns, Oates and Washbourne, 1924. Venit 5 shell. Fasting and abstinence. - Reckoning of time. - Parish duties and rights. - Taking part in non-catholic religious functions. - The new Code and civil Law, Baptism and sacraments. The Mass pro populo. - Forgiveness of sin and indulgences. - A priest's blessing. - Ministration of sacraments to non-catholics. - Excommunication, - The christian home. - Marriage. - Societies, secret and other. - The mystics' Quest. - Mysticism, false and true. The beatification and canonization of saints. — Catholics and sex problems. - Progress.

Giuseppe Cattani (dott.) *Igiene del Matrimonio* (Eugenetica). 1 vol. in-16, 373 p. Ulrico Hoepli, Milano, 1925.

Introduzione. - Origine della famiglia e deficienze umane. -

Carattere generale, biologia del matrimonio. - Psicologia della generazione. - Politica e matrimonio. - Famiglia e condizioni sociali. - Età e matrimonio. - Edonismo e medicina. - Patologia della famiglia. - Pervertimento del matrimonio. - Contro la fecondità. - Il problema della popolazione. - Educazione dei figli. - Educazione sessuale. - Profilassi coniugale. - Igiene del matrimonio. - A proposito dell'eugenetica. - Indice alfabetico.

Aug. Gemelli, O. F. M. *Non moechaberis*. Disquisitiones medicae in usum Confessariorum ex ital. a can. Ios. Biagioli. 1 vol. in-16, XI-309 p. Ed. 6 Mediolani, « Vita e Pensiero ». Venit L. 12.

De sexuali instinctu. - De causis sexualis appetitus. - De castitate. - De incontinentiae prophylaxi. - De incontinentiae therapeutica sive cura - Psychotherapia incontinentiae. - De sexualibus aberrationibus eorumque cura. - Conclusio totius operis.

Austin O' Malley (M. D.) *The ethies of medical homicide and mutilation*. 1 vol. in-8, VII-285 p. New-York. The Devin-Adair Company, 1922.

General Principles. - Begin and End of human life. - Abortion. - Ectopic Gestation. - Cesarean delivery - Placenta praevia and abruptio placentae. - Abdominal tumores, appendicitis, nephritis, heart diseases in pregnancy ; puerperal insanity and sterilization ; eclampsia parturientium; hyperemesis gravidarum; chorea gravidarum and hysteria, acute yellow atrophy of the liver, in pregnancy ; infections diseases in pregnancy ; syphilis in pregnancy and marriage; gonorrhoea in marriage ; diabetes in pregnancy ; childbirth in twilightsleep ; vasectomy or sterilization, by state law ; the ethics of birth controll.

Eug. Duthoit (Professor). *Vie économique et catholicisme*. Leçons d'ouverture aux semaines sociales de France 1919-1924. 1 vol. in-8, XIV-237 p. Paris,Gabalda, 1924. Prix, 10 fr.

Sources, principes et méthode (Metz, 1913). - Le problème de la production (Caen, 1920). - L'injustice dans la vie économique (Toulouse, 1921). - Comment adapter l' État à ses fonctions économiques (Strasbourg, 1922). - Le problème agraire (Rennes, 1924).

Ex Periodicis

Collationes Brugenses (1924) G. J. *Ep. Brugensis*, Tabula tertia: regnum Dei supernaturale... restauratur et perficitur... 353. P. II Adventus Christi, 441. — C. CALLEWAERT, De oratione deprecativa in breviario, 329. 424. — E. HOSTEN, De

contractibus credita pecunia, attentis hodiernis cambii fluctuationibus, 334. — J. BRYS, De usu pecuniae confraternitatum. Droit de la fabrique d'église sur le produit des quêtes et des troncs, 490.

Collationes Gandavenses (t. XI). A. STANDAERT, De turpiloquio. — F. CLAEYS BOÚÚAERT, L'intervention de l'État en matière économique, 164. — O. LEJOUR, De proposito non peccandi de cetero, 171. De iubilaeo, 187.

Commentarium pro religiosis (1924). PH. MAROTO. De licentia sollemniter professo necessaria ut actus proprietatis in foro civili nomine proprio excerceat, p. 270. — SERVUS GOYENECHE, De egressu e religione, 335. — ARC. LARRAONA, Comment. Codicis, t. IX, 270-277 ; 324-334.

Ius Pontificium (1924). I. NOVAL, O. P. De semi-amentibus et semi-imputabilitati obnoxiis, 76. — A. VERMEERSCH, S I. Ad Legatorum Apost. facultates Commentarium, 87. 128. — A. IANSSEN, S. I. De legibus poenalibus, 119.

Il Monitore Ecclesiastico (1924). Sul Seminaristico, 272. - Su la sepoltura in Cripte, 275 — Ius funerandi di un Convento, 306. - Circa un contratto, 309. - Circa l'obbligo di erigere la Confraternità del SS. Sacramento, 334.

Nederlandsche Katholieke Stemmen (1924). I. KEULERS, Beati pauperes spiritu, 293. — Dr. A. C. M. S. Toepassing van het Privilegium Paulinum, 308 ; De beteekenis van c. 934, 310. - BEIJERSBERGEN, S. I. Iets over wijdingen, vooral over de kleur der paramenten, 343 ; over het ophouden van aflaten en faculteiten tijdens het jubeljaar 1925, 366.

Nouvelle Revue Théologique. P. CHARLES, S. J. Le modernisme anglican, p. 1. - J. D. RAUS, C. SS. R. La vocation religieuse, 14.94. - E. HOCEDEZ, S. I. *Les danses*, 32. - DE MOREAU, S. I. Récitation du canon de la Messe à voix basse, 65. - J. SALSMANS, S. I. Maîtres et élèves, 113. - J. B. BORD, Le catholicisme, religion d'esprit et religion d'autorité, 129. - V. FALLON, S. I. Le juste prix, 144. 213. - J. CREUSEN, S. I. Casuistique de carême, 155. - E. HOCEDEZ, S. I. S. Thomas et la prédication, 163. - J. JANSSENS, S. I. Obligations d'un curé chargé de plusieurs paroisses. Administration du baptême en dehors de l'église paroissiale, 174. - J. JOMBART, S. I. Les Moniales à voeux simples. 196. 267. 340. - RAOUL PLUS. Le mystère de nos influences surnaturelles, 225. - M. C. Le Stylitisme, 230. - EDG. HOCEDEZ, L'église des Saints et le rigorisme primitif, 257. - A. MALVY, S. I. Les divergences dogmatiques entre l'Église Romaine et l'Église orthodoxe gréco - slave, 321.

400. - E. HOCEDEZ. Les sacrements, 354. - J. CREUSEN, S. I. Le recrutement sacerdotal, 361. - G. ARENDT, S. I. Un prétendu conflit entre le for intérieur et le for extérieur, 385. - A. VAN HOVE, La séparation de l'Église et de l'État. Les associations diocésaines de France et l'encyclique Gravissimam, 425. - J. LEVIE, S. I. L'Apocalypse devant la critique moderne, 513. 596. - CASTILLON. Comment résister aux tentations, 525; JULES BESSON. Quelques éclaircissemento sur le jubilé, 577.

Le Recrutement sacerdotal. J. DELBREL. Ceux qui nous quittent : mars, mai, juillet, 1924. - G. Ch. La conscience professionnelle cléricale et sa formation au « for interne », dans les Petits Séminaires : septembre et novembre, 1923; janvier, mai, juillet, 1924. - G. NIEDERGANG (R. D.). Ce que doit être la famille de l'aspirant au sacerdoce : septembre et novembre, 1924.

Revue ecclésiastique de Liège. t. XV. G. SIMENON, Le sacrement, de l'Ordre dans l'ancien droit ecclésiastique, 265. - Le sacrement de mariage dans l'ancien droit ecclésiastique liégeois, 333. - E. LEROUX, L'Église et le Spiritisme, 283. - H. RONGY, La divinité de Jésus dans la Passion, 342. - T. XVI. H. RONGY, Notes sur les textes de la Primauté, p. 3. - L. KERKHOFS, Valeur de l'argument déontologique, 16. — G. KISELSTEIN, La danse et la morale, 69. — G. SIMENON, Le jansénisme au pays de Liège, 87. — L. KERKHOFS. Dieu et l'obligation morale, 139.

Resena Ecclesiastica. Jan. - febr. 1924. POLO BENITO, La ciencia de las misiones. - LLUIS HOMS, El sacerdote y les misions d'infidels.

Rivista dell'Unione missionaria. - Genn. 1924. TRAGELLA, P., Missionologia. - Drago, L'U. M. e i Vescovi. - GAZZA, P., L'idea dell'apostolato nei Salmi di Matutino nel Comune degli Apostoli.

SUMMA DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

Dissertationes

Pag.

De nomine et qualitate Ordinarii . . . . . (1)
De recenti quaestione circa bona ecclesiastica . . . . . (11)
De constitutione Vicarii generalis vel delegati facta ab Administratore Apostolico . (15)
De facultate ordinandi diaconos et sacerdotes, ex bullis Bonifatii IX et Innocentii VII (18)
De Missa religiosis praescripta . . . . . (20)
Notandum de Commentario Facultatum Nuntiorum, etc. . . . . (28)
De propagatione et diffusione vitae religiosae. Synopsis historica.
Cap. I. Ante Christum et extra religionem christianam . . . . (29)
Cap. II. In Oriente christiano usque ad Concilium Chalcedonense . . (36)
Cap. III. De ortu atque progressu vitae monasticae in Occidente
Art. I. Ante S. Patrem Benedictum. . . . . (73)
Art. II. Aetas et familia Benedictina . . . . . (79)
Art. III. De Canonicis regularibus et aliis Regulae S. Augustini subditis . (88)
Art. IV. Mendicantes. . . . . (99)
§ 1. Ordo Fratrum Praedicatorum . . . . . (99)
§ 2. Ordo Seraphicus S. Francisci . . . . . (155)
§ 3. Ordo Fratrum B. M. V. del Monte Carmelo . . . . (164)
§ 4. Ordo Minorum . . . . . (166)
§ 5. Ordo religiosus de Paenitentia. . . . . (167)
Art. 5. Aetas Clericorum Regularium . . . . . (167)
Art. 6. Aetas Congregationum modernarum . . . . . (170)
Appendix. De Regulis monasticis Orientalibus.
§ 1. Regulae suppositiciae . . . . . (52)
§ 2. Regulae proprie dictae . . . . . (56)
De condicionate iterata consecratione particularum dubie consecratarum . . (61)
De anticipata Missae applicatione . . . . . (66)
De Iubilaeo . . . . . (101)
Art. I. Iubilaei significatio et bona, origo et vices historicae, praesentia monumenta . . . . . (101)
Art. II. Communes iubilaei lucrandi condiciones . . . . (106), (196)
Art. III. Facultates paenitentiarlis et confessariis concessae . . . (118), (202)
Art. IV. Privilegiata iubilaei acquisitio . . . . . (133), (199)
Art. V. Iteratus iubilaei usus. . . . . (138)
Art. VI. Suspensio indulgentiarum et, facultatum . . . (139), (200)
De c. 542 et 981, et de libero clericorum ingressu in religionem . . (145), (213)
De Duellis . . . . . (181)
§ 1. Variae duellorum rationes . . . . . (182)
§ 2. Genuina duelli descriptio . . . . . (188)
§ 3. Varia duellorum divisio. . . . . (189)
§ 4. Poenae canonicae . . . . . (190)
Quaesito residua . . . . . (192)
Conclusio . . . . . (194)

Quaesita varia

De S. Communionis loco . . . . . (70)
De exclusione a renovandis Votis, e c. 637 . . . . . (70)
De utili tempore faciendae electionis . . . . . (71)
De horis canonicis assistentium episcopum in choro . . . . (151)
De Indulgentia Portiunculae . . . . . (203)
De coronis e vitro confectis . . . . . (205)
Varia quaesita de religiosis.
I. De c. 507 seu de Superiorum electione . . . . . (205)
II. De c. 529 et 1338, § 3 seu de contionibus in religionibus laicalibus . . (207)
III. De c. 539. seu de Postulatu . . . . . (208)
IV. De c. 545, § 4, seu de admissione in noviciatum . . . . (209)
De piarum unionum aggregatione
I. De vigore et mentione C. Quaecumque . . . . . (210)
II. De depositis formularum in antecessum subscriptarum. . . . (210)
De causis matrimonialibus in missionibus exteris
I. De casibus exceptis a processus sollemnitatibus . . . . (211)
II. De iuramento defensoris vinculi . . . . . (212)
De usu privilegii fidei in re dubia . . . . . (212)
De Festo Iesu Christi Regis . . . . . (215)

Index Analyticus Monumentorum

SS. D. N. Pii Pp. XI. *Pag.*

1. Epistola Apostolica **Unigenitus**, de recta vitae religiosae ratione (19 mart. 1924). — *Annotationes* 1
2. Epistola encyclica **Maximam**, de consociationibus dioecesanis (18 ian. 1924). — *Annotationes* . . . . . .
15. Breve **Cum dilectus**, indulgentiam toties quoties in festo S. Ignatii Loyolaei concedens (20 mart. 1924) 90
22. Bulla **Infinita Dei**, indicens iubilaeum anni sancti 1925 (29 maii 1924).— *Annotationes* 97
23. Motu Proprio **Bibliorum scientiam, de disciplinae biblicae magisteriis** (27 apr. 1924). — *Annotationes* 105
24. Epistola de athenaeo et sodalicio Gregoriano (5 maii 1924) . . 109
Lex sodalicii Gregoriani 112
34. Bulla **Ex quo primum, indulgentias et facultates** per annum iubilaei suspendens (5 iul. 1924) 137
35. Bulla **Si umquam** extraordinarias **facultates** per **iubilaeum concedens** (15 iul. 1924) 140
36. Bulla **Apostolico muneri,** benigne monialibus et **stabiliter impeditis** providens (30 iul. 1924) 147
48. Constitutio Apostolica **Umbratilem remotamque,** statuta ordinis Carthusiensis definitive approbans (7 iul. 1924) — *Annotatio* . . 177

Acta summatim relata.

16. A. Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis dismembrandis, erigendis 92
B. Litterae de Basilicis 92
C. Litterae de plenario concilio in urbem *Shanghai* cogendo (20 ian. 1924) 93
30. A. Consistorium 24 martii 1924. 128
B. Litterae de dioecesi *Petrolinen.* erigenda (30 nov. 1923) . . 128
C. Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis dismembrandis, erigendis 128
42. A. Erectio hierarchiae ritus syro-malabarici in Indiis (21 dec. 1923) . 170
B. Litterae de provincia ecclesiastica *Bellohorizontana* erigenda (1 febr. 1924), de sede *Marsorum* transferenda (16 ian. 1924) . . 170
C. Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis . . . 170
D. Litterae de Abbatia *Crissoviensi* (19 iun. 1924) 171
E. Litterae de basilicis minoribus erigendis 171
53. A. Consistorium 18 dec. 1924 193
B. Breve *Omnium Urbis* de saecularibus festis Basilicae Lateranensis (22 oct. 1924) 193
C. Motu Proprio *Latinarum* de Schola lat. litt. in Atheneo Gregoriano (20 oct. 1924) 193

Pag.

D. Litterae de dioecesibus et praelaturis *nullius* (1 feb. et 15 iul. 1924) 1924
E. Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apost. (8 aug. 1924) . 194
F. Litterae de ecclesiis (2 ian. 1924) 194
G. Epistolae : 1 ad Card. Ehrle (1 oct. 1924) ; ad Card. Dubois, de cantu apud Carmelitanas (12 oct. 1924) 194

S. C. S. Officii.

3. Decretum condemnationis sac. E. Buonaiuti eiusque operum omnium (28 mart. 1924). — *Annotationes* 42
4. Significatio de submissione RR. PP. Brassac et J. Ducher (12 mart. 1924) 45
38. **I. Monitum de P. Pio a Petralcina** (24 iul. 1924) 157
II. Decretum opus proscribens (1 aug. 1924) 158
49. Instructio de inviolabili sanctitate sigilli sacramentalis (9 iun. 1915). — *Annotatio* 194

S. C. Consistorialis.

Acta Summatim relata.

17. Mutatio finium arch. Panormitanae et Montisregalensis (10 ian. 1924) . 93
31. **Decretum abrogans interrogationem duorum testium, in inquisitione de promovendis ad episcopatum** (15 maii 1924) 130
54. Decreta de dioecesibus 1. 14 mart. 1924 ; 2. 13 nov. 1923 ; 3. 19 nov. 1924 195

S. C. de disciplina Sacramentorum.

39. **Litterae de facultate celebrandi sub dio** (26 iul. 1924). — *Annotatio* . 158

S. C. Concilii.

5. Resolutio de abstinentia a peregrinis servanda (9 febr. 1924).—*Annotationes* 47
40. **Epistola de religiosa puerorum et adolescentium institutione** (24 iun. 1924) — *Annotatio* 161
50. Decretum de norma servanda cum coetus catechistici aliique pro scholis de religione conventus indicuntur (16 apr. 1924). — *Annotationes* . 184

Acta Summatim relata

18. Resolutio in causa incardinationis (10 mart. 1923) 93
32. Resolutiones de fatalibus ad recurrendum (12 ian. 1924), de iure funerandi (12 ian. 1924). 131
43. A. **Monitum de doctrina christiana** (23 apr. 1924) . . . 171
B. **Causa Lucerina, praecedentiae** (15 dec. 1923) . . . 171
55. A. Rapollen. Servitium chorale can. theologi in seminario regionali (9 iul. 1921) 195
B. Nicosien. Optionis et electionis canonicorum (9 iun. 1923) . . 195

S. C. de Religiosis.

6. Responsa de Superioribus domorum filialium (1 febr. 1924). - *Annotationes* 53
7. Instructio de clausura monialium votorum sollemnium (6 febr. 1924).— *Annotationes* 58
8. Responsio circa dotem religiosarum (2 mart. 1924). — *Annotatio* . 68

S. C. de Propaganda Fide.

29. Decretum **Sacra Congregatio, revocans privilegium praecedentiae titulo missionarii apostolici adnexum** (16 ian. 1924). — *Annotationes* . 125

S. Cong. Rituum.

9. Responsum de scapularium impositione (4 maii 1923). — *Annotatio* . 70

Pag.

10. I. Responsa de impositione cinerum et de gutturis benedictione (1 febr. 1924). — *Annotatio* 71
II. Responsum de festo S. Eusebii (1 febr. 1924). — *Annotatio* . . 73
11. Responsum de curru in processionibus (28 oct. 1922; 22 febr. 1924) . 74
25. Instructio de vexillis in ecclesia admittendis vel benedicendis (15 dec. 1922). — *Annotationes* 114
26. Responsum Sanctissimi de festo Boni Pastoris (26 mart. 1924). — *Annotationes* 116
27. Responsa de missis conventualibus et Officio Parvo B. M. V. (2 mali 1924). — *Annotationes* 118

Acta summatim relata.

19. Causae Beatificationis et Canonizationis 94
33. A. Concessio missae (26 martii 1924). — *Annotatio* . . . 132
B. Causae Beatificationis et Canonizationis 133
44. Causae Beatificationis et Canonizationis 171
56. A. Causae Beatificationis et Canonizationis 196
B. Formulae benedict. Seismographi, Bibliothecae, Archivi . . 197

S. Cong. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus.

51. Decretum triennalem relationem praecipiens (2 febr. 1924) . . 186
Formula servanda in relatione de statu Seminarii. — *Annotationes* . 187

S. Poenitentiaria Apost.

37. Monita **Constitutione Apostolica " Si umquam „** de usu facultatum et de ratione lucrandae indulgentiae iubilaei (31 iul. 1924) . . 151

S. Poenitentiaria Apostolica *(Sectio de indulg.)*

12. Responsa de absolutione generali et indulgentiis (20 nov. 1923). — *Annotationes* 75
41. Decretum **Ut Septimi,** normas dans concedendae et lucrandae indulgeniae Portiunculae (10 iul. 1924). — *Annotationes* . . . 163
52. Rescripta ex aud. Sanctissimi facultates concedentia pro lucrando iubilaeo (7 nov. et 5 dec. 1924). 191

S. Rota Romana.

Acta Summatim relata.

20. A. Causae anno 1923 actae, quarum sententia in sola parte dispositiva editur 94
B. Causae quae anno 1923 transactae, sunt peremptae, vel aliunde absque definita sententia finitae 95
57. *Romana crediti* inter Coll. Germanicum et Graecum. Reformatur sententia 22 iun. 1923 (21 iun. 1924). 197

Signatura Apostolica.

21. *Romana iurium*, de advocatis consistorialibus apud Curiam dioecesanam (15 dec. 1923). — *Summatim relata* 96

Secretaria Status.

14. Epistola de studiis classicis apud Fratres scholarum christianarum (15 dec. 1923). — *Annotationes* 88

Pont. Commissio interpretando Codici.

13. 1. Dubia soluta in plenariis Comitiis Emorum Patrum (20 mai 1923) . 78
2. Dubium solutum ab. E.mo Cardinali Commissionis Praeside (13 dec. 1923) 81
3. Dubium solutum in plenario coetu (26 nov. 1922). — *Annotationes* . 82

28. Responsa E.mi Praesidis Commissionis de recursu contra Ordinarium (22 maii 1923). — *Annotationes* 121

Provisio Ecclesiarum.

45. A. Decretis S. Congr. Consistorialis 171
B. Decretis S. Congr. Prop. Fide 173
C. Decreto S. Cong. pro Ecclesia Orientali 173
58. Consistorio 198
Decretis S. Congr. Consistorialis 198
Decreto S. Congr. pro Ecclesia Orientali 199
Decreto S. Congr. Consist. confirmata electio abbatis nullius . . 199
46. Nominationes 174
59. Nominationes 199
47. Necrologium 175
60. Necrologium 200

Bibliographia 176. 201

MONUMENTORUM

INDEX CHRONOLOGICUS

Quae monumenta *plene* excripsimus, hic *litteris italicis*, quae *summatim* relata sunt, hic litteris ordinariis indicantur.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1915	*9 iunii*	*Instructio*	*S. Congr. S. Officii*	183	49
1921	*9 iul.*	*Resolutio*	*S. Congr. Concilii*	195	55 A
1922	*28 oct.*	*Responsum*	*S. Congr. Rituum.*	74	11
»	*26 nov.*	»	*Pont. Com. Int. Cod.*	82	13, 3
»	*15 dec.*	*Instructio*	*S. Congr. Rituum*	114	25
1923	15 ian.	Decisio	S. Romana Rota	95	20 A
»	2 febr.	»	»	95	20 B
»	28 »	»	»	95	20 A
»	5 mart.	»	»	95	20 A
»	5 »	»	»	95	20 A
»	10 »	Resolutio	S. Congr. Concilii	93	18
»	17 »	Decisio	S. Romana Rota	95	20 A
»	18 »	»	»	95	20 A
»	19 »	»	»	95	20 A
»	11 apr.	»	»	96	20 B
»	*17* »	*Epistola*	*Secretaria Status*	88	14
»	23 »	Decisio	S. Romana Rota	95	20 A
»	*4 maii*	*Responsum*	*S. Congr. Rituum*	70	9
»	9 »	Decisio	S. Romana Rota	96	20 B
»	*20* »	*Responsa*	*Pont. Com. Int. Cod.*	78	13, 1
»	*23* »	»	»	121	28
»	1 iun.	Decisio	S. Romana Rota	95	20 A
»	9 »	Resolutio	S. Congr. Concilii	195	55 B
»	11 »	Decisio	S. Romana Rota	95	20 A
»	16 »	»	»	95	20 A
»	30 »	»	»	95	20 A
»	3 iul.	»	»	95	20 A
»	5 »	»	»	95	20 A
»	10 »	»	»	95	20 A
»	13 »	»	»	96	20 B
»	14 »	»	»	95	20 A
»	18 »	»	»	95	20 A
»	23 »	»	»	95	20 A
»	28 »	»	»	95	20 A
»	31 »	»	»	95	20 A
»	2 aug.	»	»	95	20 A
»	4 »	»	»	95	20 A

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1923	4 aug.	Decisio	S. Romana Rota	95	20 B
»	6 »	»	»	95	20 A
»	10 »	»	»	95	20 A
»	10 »	»	»	95	20 A
»	16 »	»	»	96	20 B
»	17 oct.	»	»	96	20 B
»	22 »	»	»	96	20 B
»	27 »	»	»	95	20 A
»	6 nov.	»	»	95	20 A
»	10 »	»	»	96	20 B
»	12 »	»	»	96	20 B
»	13 »	Decretum	S. Congr. Consist.	195	54,2
»	14 »	»	S. Congr. Rituum.	94	19,1
»	*20* »	*Responsum*	*S. Paenitentiaria (Ind.)*	75	12
»	21 »	Decisio	S. Romana Rota	95	20 A
»	23 »	»	»	95	20 A
»	26 »	Litterae	Pius Pp. XI	92	16 A 3
»	30 »	»	»	128	30 B
»	4 dec.	»	»	92	16 B
»	4 »	»	»	128	30 D
»	7 »	Decisio	S. Romana Rota	95	20 A
»	11 »	Litterae	Pius Pp. XI	92	16 A 1
»	12 »	»	»	92	16 A 2
»	*13* »	*Responsa*	*Pont. Com. Int. Cod.*	81	13,2
»	15 »	Sententia	Signatura Apost.	96	21
»	15 »	Decisio	S. Cong. Concilii	171	43 B
»	17 »	»	S. Romana Rota	95	20 A
»	21 »	»	»	95	20 A
»	21 »	Litterae	Pius Pp. XI	170	42 A
»	22 »	Decisio	S. Romana Rota	95	20 A
»	27 »	Litterae	Pius Pp. XI	92	16 A 4
»	27 »	»	»	92	16 A 5
1924	2 ian.	Breve	»	194	53 F
»	6 »	Decretum	S. Cong. Rituum	94	19,2
»	10 »	»	S. Cong. Consist.	93	17
»	12 »	Responsum	S. Cong. Concilii	130	32,1
»	12 »	»	»	131	32,2
»	*16* »	*Decretum*	*S. Cong. de Prop. F.*	125	29
»	16 »	Litterae	Pius Pp. XI	170	42 B
»	*18* »	*Epistola Enc.*	»	20	2
»	20 »	Litterae	*Pius Pp. XI*	93	16 C
»	29 »	»	Pius Pp. XI	128	30 C 1
»	31 »	»	»	128	30 C 2
»	1 feb.	Bulla	»	194	53 D 1
»	1 »	»	»	129	30 D
»	*1* »	»	»	170	42 B
»	*1* »	*Responsio*	*S. Cong. de Religiosis*	53	6

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1924	*1 Feb.*	*Responsa*	*S. Cong. Rituum*	71	10, I
»	»	»	*S. Cong. Rituum*	73	10, II
»	*2* »	*Decretum*	*S. C. Sem. et Stud.*	186	51
»	*6* »	*Instructio*	*S. C. de Religiosis*	58	7
»	*9* »	*Resolutio*	*S. C. Concilii*	196	5
»	11 »	Litterae	Pius Pp. XI.	129	30 C 3
»	13 »	Decretum	S. Cong. Rituum	196	56 B.
»	20 »	»	Pius Pp. XI.	129	30 E 1
»	*22* »	*Rescriptum*	*S. Cong. Rituum*	74	11
»	24 »	Decretum	S. Cong. Rituum	133	33 B 2
»	27 »	»	»	133	33 B 1
»	*2 mart.*	*Responsio*	*S. C. de Religiosis*	68	8
»	7 »	Litterae	Pius Pp. XI	129	30 E 3
»	*12* »	*Significatio*	*S. Cong. S. Officii*	46	4
»	14 »	Litterae	Pius Pp. XI	171	42 E
»	»	Decretum	S. C. Consist.	195	54, 1
»	*19* »	*Epistola*	*Pius Pp. XI*	1	1
»	*20* »	*Breve*	»	90	15
»	24 »	Allocutio	Pius Pp. XI	123	30 A
»	25 »	Litterae	»	129	30 E 2
»	*26* »	*Responsum*	*S. Cong. Rituum*	116	26
»	26 »	Decretum	S. Congr. Rituum	132	33 A
»	*28* »	*Decretum*	*S. Cong. S. Offici*	43	3
»	15 ap.	Litterae	Pius Pp. XI	170	42 C
»	15 »	»	»	170	42 C
»	16 »	»	»	170	42 C
»	*16* »	*Decretum*	*S. C. Concilii*	185	50
»	23 »	Monitum	S. Cong. Concilii	171	43 A
»	*27* »	*Motu Proprio*	*Pius Pp. XI.*	105	23
»	*2 maii*	*Responsa*	*S. Cong. Rituum*	118	27
»	*5* »	*Epistola*	*Pius Pp. XI*	109	24
»	15 »	Decretum	S. C. Consistor.	130	31
»	20 »	»	S. C. Rituum	171	44
»	*29* »	*Bulla*	*Pius Pp. XI*	97	22
»	4 iun.	Litterae	Pius Pp. XI	171	42 E
»	6 »	»	*Pius Pp. XI*	171	42 E
»	19 »	»	»	171	42 D
»	21 »	Decisio	S. Romana Rota	197	57
»	*24* »	*Epistola*	*S. C. Concilii*	161	40
»	25 »	Litterae	Pius Pp. XI	171	42 E
»	*5 iul.*	*Bulla*	»	137	34
»	*7* »	*Constitutio Ap.*	»	177	48
»	*10* »	*Decretum*	*S. Paenit. (Ind.)*	163	41
»	*15* »	*Bulla*	*Pius Pp. XI*	140	35
»	23 »	Decretum	S. Cong. Rituum	196	56 A 1
»	23 »	»	»	197	56 B

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1924	24 iul.	*Monitum*	*S. Cong. S. Officii*	157	38 I
»	25 »	Bulla	Pius Pp. XI	194	53 D 2
»	*26* »	*Litterae*	*P. Cong. de Disc. Sacr.*	158	39
»	*30* »	*Bulla*	*Pius Pp. XI*	147	36
»	*31* »	*Monita*	*S. Paenit. Ap.*	151	37
»	*1 aug.*	*Decretum*	*S. Congr. S. Officii*	158	38 II
»	8 »	Breve	Pius Pp. XI	194	53 E
»	1 oct.	Epistola	»	194	53 F 1
»	12 »	»	»	194	53 F 2
»	1 nov.	Decretum	S. Cong. Rituum	196	56 A 3
»	13 »	»	S. Cong. Consist.	195	54, 2
»	19 »	»	»	195	54, 3
»	23 »	»	S. Cong. Rituum	195	56, 4
»	18 dec.	Allocutio cons.	Pius Pp. XI	193	53

INDEX INITIORUM (INCIPIT) MONUMENTORUM

Pag.

Ad aptiores rationes, Decretum 16 apr. 1924, S. Congr. Concilii de norma servanda cum coetus catechistici aliique pro scholis de Religione conventus indicuntur . 185

Apostolico muneri, Bulla Pii Pp. XI, 30 iulii 1924, benigne monialibus et stabiliter impeditis prospiciens 147

Bibliorum scientiam, Motu Proprio Pii Pp. XI, 27 april. 1924, de disciplinae biblicae magisteriis 105

Constitutione Apostolica « Si umquam », Monita 31 iulii 1924 S. Paenitentiariae Ap. de usu facultatum et de ratione lucrandae indulgentiae iubilaei . . 151

Ex quo primum, Bulla Pii Pp. XI, 5 iulii 1924, indulgentias et facultates per annum iubilaei suspendens. 137

Infinitâ Dei, Bulla Pii Pp. XI, 29 maii 1924, indicens iubilaeum anni sancti . . 97

Latinarum Litterarum, Motu Proprio Pii Pp. XI, 20 oct. 1924 de schola latina in athenaeo Gregoriano 194

Maximam, Epistola encyclica Pii Pp. XI, 18 ianuarii 1924, de consociationibus dioecesanis 20

Naturalem et divinam, Instructio 9 iunii 1915, S. Cong. S. Officii de inviolabili sanctitate sigilli sacramentalis 183

Nuper edito, Instructio 6 febr. 1924. S. Congr. de Religiosis, de clausura monialium votorum sollemnium. 58

Omnium Urbis, Breve Pii Pp XI, 22 oct. 1924, de saecularibus festis Basil. Lateran. . 193

Quo uberiore, Decretum 2 febr. 1924, S. Congr. de Seminariis et de Stud. Univ. triennalem relationem praecipiens 186

Sacra Congregatio, Decretum 16 ian. 1924, S. Congr. de Propaganda Fide revocans privilegium praecedentiae titulo Missionarii apostolici adnexum . . . 125

Si umquam alias, Bulla Pii Pp. XI, 15 iulii 1924, extraordinarias facultates per iubilaeum concedens 140

Umbratilem remotamque, Constitutio apostolica Pii Pp. XI, 7 iulii 1924, Statuta Ordinis Carthusiensis definitive approbans 177

Unigenitus, Epistola Apostolica Pii Pp. XI, 19 martii 1924, de recta vitae religiosae ratione 1

Ut septimi, Decretum 10 iulii 1924 S. Paenitentiariae Apost. normas dans concedendae et lucrandae indulgentiae Partiunculae 163

INDEX ONOMASTICUS

Numeri seriem paginarum indicant, asteriscus annotationes significat

S. Alphonsus. De applicatione Missae (68).
d' Annibale. De duello (189).
Benedictus XIV. Hortatio de iubilaeo (107); definitio Communionis (111).
Beringer-Steinen (S. I.). (107). (114). (118). (140). (147). (205).
Blat (O. P.). De iuramento (148).
Bonifatius IX. De ordinatione (18).
Bonnetain (R. D.) Opus, 217.
Brassac (A.). Submissio, 46.
Brousolle (I. C.). Opus, 134.
Buonaiuti (E.). Condemnatur, 42.
Caietanus. De duello (185). (186).
Le Canoniste, 176.
Cattani (Giuseppe), opus, 219.
Claeys Boúúaert (F. R. D.). De iuramento (150); opus, 134.
Cocchi (C. M.). De iuramento (149); opus, 134.
Collationes Brugenses. 176.
Collationes Gandavenses. 176.
Commentarium pro Religiosis (5). 176.
Conte (O. M. C.). De iuramento (150); opus, 135.
Cooper (John M.). Opus, 217.
Creusen (S. I.). Opus, 219.
Decorne (S.). Opus, 134.
Ducher (I.). Submissio, 46.
Card. **Erhle,** 194.
Ephemerides liturgicae. 73.
Fanfani (O. P.). Opus, 134.
Feige (R. D.). Opus, 217.
Ferraris. De duello (193).
Ferreres (S. I.). De iuramento (149). Opus, 219.
Gaell (R.). Opus, 134.
Garriguet (R. D.). Opus, 134.
Gemelli (O. F. M.). Opus, 220.
Genicot (S. I.) De duello (183).
Grimaud (Ch.). Opus, 135.
Himerius (Fr.) **a Iesu.** Epistola pontificia honoratur, 88.
Iannsens (I. S. I.) 42. 124. 137.
Innocentius VIII. De ordinatione (19).
Ius Pontificium. 176.
Keusch (C. SS. R.) Opus, 217.
Lacroix. Consecratio particularum (65).
Lanier (H.). Opus, 135.
Larraona (P.). Ordinarii notio (5). (8). (9).
de la Taille (S. I.). Opus, 217.
Laymann (S. I.). De duello (184).
Ledochowski (S. I). Epistola pontificia honoratur, 109.
Legrand (G). Opus, 135.
Lehmkuhl (S. I.). De duello (189). (193).

Leitner (R. D.). De iuramento (149).
Lelong (Ill. ep.). Opus, 218.
Louismet (O. S. B.). Opus, 218.
Maignen (M. R. D.). Opus, 135.
Marchand (A). Opus, 135.
de Meester (A). De iuramento (150).
Melata (R. D.). De condicionibus ad indulg. lucrandas (115).
Il Monitore Ecclesiastico. De rosariis e vitro (205). De ingressu clericorum in religionem (145). (313).
Noldin (S. I.). De consecratione particularum (63). (66).
O' Malley. Opus, 220.
Omodeo (A). Opus proscribitur, 158
Pascucci. De duello (193).
Pauwels (S. I.). (20). (28). 72. 74. 118. 120. (152).
Pignatelli. De duello (193).
Pirhing (S. I.). De duello (193).
Pius a Petralcina (O. M. C.). 157.
Pruemmer (O. P.). De iuramento (149); de duello (183).
Reiffenstuel (O. F. M.). De duello (190).
Rouzic (R. D.). Opus, 218.
Salsmans (S. I.). Opus, 219.
Schaefer (O. M. C.). Opus, 135. 136.
Simenon (G. R. D.). De iuramento (150). Opus, 218.
Steiger (S. I.). (29). (73). (153).
Slater (S. I.). Opus, 219.
Tissier (Ill. ep.). Opus, 218.
Valuy (S. I.). Opus, 136.
Vaussard (M). Opus, 136.
Vermeersch (S. I.). Opus, 136.

MONUMENTORUM & RERUM

INDEX ALPHABETICUS

Numeri = numeri paginarum.

Asteriscus notam designat.

Lineola interducta (—) = vocabulum in principio positum.

Abbas Primas confoederationis Benedictinae, (87).

Abbatiae. Litterae de iis, 171.

Abrogatio decretorum per Codicem, 19. — decreti S. C. Conc. excludentis retributionem tituli extr. in comm. fidel. def. 81. 82. 88. — praelationis indigenarum pro canonicatibus, 82. — privilegii praecedentiae mission. Apost. 125 - 127. — optionis pro canonicatibus, 194.

Absolutio generalis ascriptis scapulari SS. Trinitatis a quonam et quando impartienda, 75. 76. 77.

Abstinentia servanda in quadragesima a peregrinis, 47 - 52.

Administrator Apostolicus potestne Vicarium generalem vel delegatum constituere, (15) - (17).

Advocati ab Ordinariis approbandi sunt, 96.

Aggregatio piarum Unionum, (210). (211).

Allocutio consistorialis, 128. 193.

Americae (Stat. Un.) beneficentia laudata, 128.

Americanismus iterum reprobatur, 180.

S. Antonius, abbas, (45).

S. Antonius Maria Zaccaria, (168).

Appellatio ab Ordinariorum decretis, 121 - 124.

Appellationis tempus utile, 131.

Applicatio missae anticipata, (67).

Ascetae *christiani,* (36);
non christiani, (33).

S. Augustinus. Eius regula, (74); (75). S. Augustini eremitae, (96).

Barnabitae, (168).

Basilicae. Litterae de iis, 92. 129. 171.

S. Basilius. Eius regulae, (57). (58); Constitutiones, (59).

Beatificationes et canonizationes, 94. 133. 171. 172. 196.

Benedictinae *Congregationes,* (80)-(83). (86). Vide *Monachi.*

Benedictini Ordines, (83) - (86).

Benedictio *gutturis* in festo S. Blasii. Formula, 72.

S. Benedictus, (79). Eius regula, (79). (80).

Bona ecclesiastica. Quaenam su-

perflua in usus pios converti debeant, (11). Quid si casualia sint dos beneficii, (14).
S. Bruno, (87). 179.
Bulla. Modus in ea indicandi annum, 103.
S. Camillus de Lellis, (169).
Canonicatus conferendi dignioribus etiam non indigenis, 82.
Canonici *regulares*, (88). Ordinis S. Augustini, (89); Congregatio Portuensis, (89); SS. Salvatoris Lateranensis, (90); S. Rufi, (90); Fratres Cruciferi Dominici sepulchri Hierosolymitani, (90); Congregatio S. Mauritii Agaunensis, (90); Marbacensis, (91); Aridagamantiae, (91); habitus S. Antonii, (91); S. Victoris, (92); S. Genovefae, (92); S. Crucis Conimbricensis, (92); a Spiritu Santo, (92); Gilbertini, (92). Fratres Ordinis canonici S. Crucis seu Cruciferi, (93). Ordo militaris Crucigerorum, (93); Paenitentiae SS. Martyrum, (94). Congregatio Windesemensis, (94); nostri Salvatoris a S. Petro Forerio, (94). Ordo Praemonstratensis, (94).
Canonicus excusatus a choro ut theologus, 196.
Carmelitanae, (165). Cantus Gregorianus apud ipsas, 195.
Carmelitani, (164). (165).
Cartusienses, (87). Eorum commendatio. Approbatio eorum statutorum, 177 - 183.
Cassianus, (76).
Chorus. Excusati a choro, clerici secreti addicti actu personae Pontificis, 79. 83.
Christi Regis festum, (215).
Cinerum impositio dominica post fer. IV Cinerum, 71.
Cistercienses, (83): B. M. V. Fuliensis, (84); reformati B. M. V. de Trappa, (84).
Clarissae, (160). Urbanistae, (161); Coletinae, (161). (162).
Clausura monialium. Instructio S. C. et annotationes, 58 - 68.
Clerici regulares, (167); a Matre Dei, (169); boni Iesu, (168); ministrantes infirmis, (169); Minores, (169); S. Pauli decollati (Barnabitae), (169); scholarum piarum, 170; Societatis Iesu, (169); Sommaschorum, (168); Theatini, (167).
Clericorum ingressus in religionem, (145). (213).
Coenobitae, (46) - (51).
Coletinae, (161). (162).
S. Columbanus, (78). (79).
S. Communionis locus, (70).
Coetus et conventus catechistici vel de religione edocenda, 185. 186.
Concilium plenarium Sinense, 93.
Congregationes Benedictinae, (80) (86); canonicorum regularium, (89
— religiosae, (171). (176)*.
— saeculares, (171).
Consecratio iterata, (61).
Consilia ad religiosos data a SS Domino, 1 - 14; summa, 14 - 18.
Consilia evangelica: eorum origo et utilitas, 1.

Supremum Consilium Pontificium rei Biblicae provehendae, 106. 107.
Contemplativae et paenitentis vitae sublimitas et apostolica utilitas, 177 - 180.
Conventualis missa praescripta, (20) - (28); post quamnam Breviarii horam dicenda, 119, 120.
Coronae e vitro, (205). Coronarum materia, 77. 78.
Curruum usus in processionibus, 74. 75.
Defensor vinculi: iuramentum,(211).
Delegatio ad matrimonia, 80. 81. 84 - 86.
Dioecesanae Consociationes Galliae, 20 - 25. Statuta, 26 - 30. Dissertatio historica et canonica, 30 - 42.
Dioeceses. Litterae de iis, 128. 170. 194. 196.
Distantiae computatio pro indulgentiis, (204).
Doctrinae christianae institutio, 161 - 163. 171. Coetus et conventus de ista re, 185. 186.
Dominica impedita: missa, (22) et nota.
S. Dominicus, (99). Primus Ordo, (99). Secundus Ordo, (153); Tertius Ordo, (154).
Dos insufficiens a subsidio caritativo c. 551 et 643 non dispensat, 68. 69.
Dubie *consecratae* particulae, possuntne iterum consecrari condicionate, (61).
— *baptizatus*: privilegium Fid.,(212)
Duella, (181). Dissertatio, cf. *Summa dissertationum*, etc.
Ecclesia visitanda pro indulgentia toties quoties, 76. 77.
Ecclesiarum provisiones, 172.173. 198 - 200.
Episcopatus. Sola inquisitio secreta de idoneitate promovendorum facienda est, 130.
Episcopi officia erga Institutum Biblicum, 106. 107. 108.
Eremitae, (44). (45).
Esseni, (30).
SS. Eucharistiae asservatio in eccl. subsidiaria, 81. 86.
S. Eusebii festum pro Italia fit duplex, etiam in ecclesiis religiosorum, 73. 74.
S. Eusebius auctor vitae communis, (73). (88).
Examen pro gradibus Scripturae Sacrae, 106. 108.
Excommunicatio declarata Buonaiuti, 42. Vis huiusmodi declarationis, 44 - 46.
Facultates Nuntiorum, Legatorum, etc. (mendum typographicum), (28).
Festa quaenam a religiosis celebrari debent, 73.
Festum *Christi Regis*, (215); *Boni Pastoris*, 116 - 118. - *S. Eusebii*, 73. 74.
Fidei spiritus alendus in religiosis, 12.
Formula relationis de institutione doctrinae christianae, 162. 163; relationis de seminariis, 187 - 191. — benedicendi archivum, bi-

bliothecam, seismographum (remissive), 196.
S. Franciscus, (155). Primus Ordo, (155). Secundus Ordo, (160). Tertius Ordo, (162).
S. Franciscus a Paula, (166).
S. Franciscus Caracciolo, (169).
S. Franciscus Salesius, (172).
Fratres hospitalares S. Ioannis de Deo, (98).
Fratres Minores, (155); de Observantia, (156); Reformati, (158); Discalceati, (159); Recollecti, (159); Cappuccini, (159).
Fratres scholarum christ. Studia classica, 88 - 90.
Fratres Praedicatores, (99).
Fratres vitae communis, (94).
S. Fridolinus, (79).
Fundatoris spiritus servandus a religiosis, 3.
Funus. Causa de iure funerandi, 131.
Galliae consociationes dioecesanae permittuntur, 10 - 25. - Dissertatio canonico-historica, 30 - 42. Quid differant a reprobatis a Pio X, 21. 23. 24. - Bona ecclesiastica sub regimine legis separationis 1905, 30 - 33.
Gradus academici quinam, 108. Effectus canonici, 106. 108.
Fundationis lex, quid, 196.
Gregorianum athenaeum et sodalicium, 109 - 116. Schola linguae latinae, 194.
Gregorianus cantus apud Carmelitanas, 195.
S. Hieronymus, propagator vitae religiosae, (74).
S. Hieronymus Aemilianus, (168).
S. Hilarion, (48).
S. Hilarius Arelatensis, (76).
S. Honoratus Lerinensis, (75).
Horae canonicae assistentium episcopo vel abbati, (151).
S. Ignatius, (169). Indulgentia toties quoties in eius festo, 90. 91.
Impedimenta matrimonii manifesta, (211).
Incardinationis causa, 93.
Indigenarum praelatio pro canonicatibus abrogata, 82.
Indulgentia *Iubilaei*, (101) - (145). (196); *Portiunculae*, (203). 163 - 169. — toties quoties non censetur in indulto generali inclusa, 76. 77. Indulgentiae variae, 129.
Institutum Pont. Biblicum, 107. 108.
S. Ioannes de Matha, (95).
S. Ioannes Leonardi, (169).
S. Ioannes Reomensis, (77).
S. Iosephus Calasanctius, (170).
Iter maritimum. Iurisdictio. Vis vocis *obiter* c. 883, § 2, 79. 84.
Iubilaeum. Dissertatio, (101), (196). *Vide Summa Dissertationum*, etc. Iubilaei monumenta. Bulla *Infinita Dei*, 97 - 105; *Ex quo primum*, 137 - 140; *Si umquam*, 140 - 146; *Apostolico Muneri*, 147 - 150. S. Paenitentiariae monita, 151 - 157.
Iurisdictio in itinere maritimo: vis vocis *obiter* c. 883, § 2, 79 - 84.

Iuventutis educatio. Vitanda in isto opere, 4. - Quatenus obligatio iustitiae interveniat, 19.
Laicorum Fratrum vocatio et cura, 13. 14.
Lateranensis basilicae saecularia festa, 194.
Latinae linguae schola erecta in Gregoriano athenaeo, 194.
Lazzaristae, (171).
Litterae *apostolicae*, quaenam, 18. — testimoniales clericorum pro noviciatu, (209).
Magistri religiosarum quales sint oportet, et quale eorum munus, 10. 11.
B. M. V. officium parvum, 119. 120.
S. Martinus, monachorum pater, (75).
Matrimoniis assistentia valida, 80. 81. 84-86. Matrimoniales causae, 94. 95.
Mendicantes Ordines, (99). Fratres Praedicatores, (99); Ordo S. Francisci, (155); Fratres B. M. V. de monte Carmelo, (164); Minimi, (166); de Paenitentia, (167); SS. Trinitatis de redemptione captivorum, (95); Eremitarum S. Augustini, (96); B. M. Virginis de Mercede Redemptionis captivorum, (97); Servorum B. M. V. (98).
Mercedarii, (97).
Militia Christi (a S. Dominico), (154).
Minimi, (166).
Missa praescripta religiosis qui chorum habent, (20) 79. 83. 118. 119: conventualis, (21); de dominica impedita, (22); de Requiem, (23); votiva, (24). Commemorationes in Missa, (25); orationes (27); praefatio, (27). Hora missae conventualis, 119. 120. — sub dio, 158 - 161. — **ae** anticipata applicatio, (67) - (69); concessio in carcere Mamertino, 132.
Missionnarius Apostolicus, 125. 126. Privilegia, 126. Abrogatur praecedentia, 125 - 127.
Missiones. Vitanda in apostolatu, 4.
Monachi, (45). Inclusi, Hesychastes, Subdivales, et Pastores, Sale, Acoemetes, Stylites, (51). Benedictini, (79); Cluniacenses, (81); Hirsaugienses, (82); Cavenses, (82); Einsiedlenses, (82), Casae Dei, (82); Clusarum, (82); Saxi Vivi, (82); Silvae Maioris, (82); Becci, (82); Fuldenses, (82); Camaldulenses, (83); Vallis Umbrosae, (83); Grandi Montis, (83); Fontis Ebraldi, (83); Cistercienses, (83); Sylvestrini, (85); Humiliati, (85). Ordo Montis Virginis, (85). Caelestini, (86); Olivetani, (86); S. Vitoni et Hidulphi, (86); Maurinensium, (86).
Nationalismus vitandus religiosis, 4.
Necrologium, 175. 201.
Nominationes, 174. 200.
S. Norbertus, (94). (95).
Normae S. C. de Religiosis, (172)*. (177). (179).

Noviciorum cooptatio, institutio qualis requiratur, 8. 9.
Oboedientiae *simplices*, apud monachos, 56.
Officium parvum B. M. V. 119. 120.
Opera damnantur, 43. 158.
Optio canonicorum suppressa, 196.
Ordinarius. Varius usus nominis (1). Quisnam — in iure canonico e variis monumentis, (2); secundum notam essentialem, (3). Estne talis in Congregationibus religiosis, (5). Varii casus, (7)-(11). Recursus contra Ordinariorum decreta,, 121 - 124.
Ordinatio sacerdotis a sacerdote, (18).
Ordo de Paenitentia, (167).
S. Pachomius, (46).
Pagani ascetae, Buddhistae, (33).
Parochi remoti tempus utilis recursus, 130. 131. — cura doctrinae christianae, 171.
Paroeciae nationales, 78. 79. 82. 83.
S. Patritius, (78).
S. Paulus eremita, (44).
Pensio ab episcopo concessa in reservatione, 81. 87.
S. Petrus ab Alcantara, (159).
S. Petrus Nolascus, (97).
Philosophiae ad religionem relatio, 11.
Piarum Unionum aggregatio, (210).
SS. D. N. Pii Pp. XI donum pro duobus sacerdotibus Romae frequentantibus Institutum Biblicum, 107. 109. — allocutio consistorialis, 128. 193. — epist. ad C. Ehrle, 195. ad C. Dubois de cantu apud Sorores de Monte Carmelo, 196.
Portiuncula SS. Trinitatis ubinam obtinetur, 76. 77. — SS. Rosarii a quibusnam obtinetur, 76. 77. — in festo S. Ignatii, 90. 91. De *Portiuncula* 2 aug. normae generales, 163 - 169.
Praecedentia missionarii Apostolici supprimitur, 125 - 127. - Vicarii generalis, 171.
Praefatio in missa conventuali, (27).
Praefecturae *Apostolicae*. Litterae de iis, 92. 129. 170. 195.
Praemonstratenses, (94). (95).
Praescriptio debitae pecuniae, 198.
Prioratus *simplices* apud monachos, 56.
Privilegia Operis de Prop. Fide, 129; congressus eucharistici, 129. — praecedentiae Missionariorum, (125 - 127); praelationis indigenarum pro canonicatibus, (82); optionis canonicatuum (194), abrogantur.
— missionariorum apost. (126)*.
Privilegium Fidei dubie baptizati, (212).
Processiones. Curruum usus in processionibus, 74. 75.
Processus matrimonialis, (211).
Prophetae (Ascetae), (30).
Rechabitae, (30).
Recursus ad S. Sedem: tempus utile, 130. 131.
Regulae monasticae *Orientales*

suppositiciae, (12) - (55); verae, S. Pakhomii, (56); S. Basilii, (57). Regula Orientalis, (60).
Regula S. Basilii, (57); S. Benedicti, (79); S. Augustini, (74). (89); Chrodegangi, (88).
— observatio commendata, 2.
Relatio de institutione doctrinae christianae, 162. 163. - de proposito conventu circa edocendam religionem, 185. 186. - de Seminariis, 186 - 191. - de mutato libro textus in seminario, 187.
Religionis cultus et eruditio promovenda in institutione inventutis, 4.
Religiosi. Historica, (29) - (55); (73) - (100); (153) - (180).
Varia quaesita de electione, de contionibus, de Postulatu, de litteris testimonialibus, (71). (72). (205) - (210); de ingressu clericorum in religionem, (145). (214); de exclusione a renovandis votis, (70). (71).
Eorum utilitas. Favor Ecclesiae et S. Sedis, 1. 2. 3. Consilia a Pontifice ipsis data, 1-14. Summa, 14 - 18.
— mittendi ad Institutum Biblicum, 106. 108.
Quibusnam officiis divinis teneantur, 73.
S. Robertus, (83).
S. Romanus, (77).
S. Rotae causae, 94. 95. 197. 198.
Scapularium impositio, 70. 71.
S. Scripturae versio permissa, 81. 86.
— scientia, quanti facienda, 105.
— gradus academici, 106. 108.
— professores, 106. 108.
Seminaria. Praescripta de iis triennalis relatio, 186 - 191.
— regionalia aequiperantur dioecesanis pro exemptione canonici theolog. a choro, 196.
Seminaria *parva* pro religiosis commendata, dum prudens sit alumnorum delectus, 7.
Servi B. M. V., (98).
Sigillum sacramentale. Instructio S. Officii de ista re, 183. 184.
Sinense Concilium plenarium, 93. 193.
Societas Iesu, (169). Portiuncula S. Ignatii, 90. 91.
Somaschi, (168).
Sorores *S. Vincentii a Paulo*, (171).
— *a Visitatione B. M. V.*, (172).
Statuta Cartusiensium approbantur, 177 - 183. - sodalicii Gregoriani, 112. 113.
Studia classica apud Fratres scholarum christ., 90. 91.
Studia sacra fovenda a religiosis 4. - 7. 9. - 12. Alia studia iisdem commendata, 8. 9.
Superiores domorum stricte filialium non sunt proprie locales Superiores, 53 - 57.
Syntagma doctrinae, (60).
Tertiarii S. Francisci, (162).
— S. Dominici, (154).
Theatini, (167).
Therapeutae, (31) - (33).
S. Theresia, (165).
S. Thomae pro studiis philoso-

phiae et theologiae commendatio, 11.
Titulus servitii dioecesis, (145). (213).
Trinitarii, (95).
Vetitum tractandi res religiosas datum Buonaiuti, 43. 44.
Vicariatus Apostolici. Litterae de iis, 92. 128. 195.
Vicarius *delegatus* constitutus ab Administratore apostolico, (15). Vicarius *substitutus, supplens, adiutor*, assistitne valide matrimoniis, 80. 84. 85.
— *generalis*, constitutus ab Administratore apostolico, (15). Eius praecedentia, 171.
S. Vincentius a Paulo, (171). (172).
Virgines (christianae), (37).
Votivae missae in choro, (24).

ERRATA

Pag. 76, 2 linea 7 ad est *corrige :* adest
» 78 in Annot. II linea 4. Tertiariis SS. Trinitatis *corrige*: sodalibus Confraternitatis SS. Trinitatis.

v.13

CBPac

v.13

10232

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709